

Universidad de Deusto
Biblioteca

BIBLIOTECA DE LOYOLA
Sala 1 Estante 2 Plúteo 2

Haymonis

EPISCOPI HALBERSTAtensis, in diui Pauli Epistolas omneis interpretatio, ad vetustissimorum exemplarium fidem quàm diligentissimè recognita. Indicata sunt nunc primum in margine capita eorum quæ ab autore è sacra pagina adducuntur.

R. S.
BURGOS.

PARISIIS,

Væneunt apud Gulielmum Thibout typographum, in uico Alexandri l'Angloys, sub Pauonis insigni.

1550.

EFflagitas quotidianis fermè præculis (lector cãdidiſſime) vt in tui ſtudij profectũ, æneis typis excudantur cõmentaria in epiſtolas diui Pauli, quæ vt verboſa prolixitate non offendãt, ita breui perſpicuitate tibi blandiantur. Cauſaris hoc turbulento ſeculo neminem eſſe, cui nõ perpetuò in ore natet Paulus, & qui illius epiſtolas, aut ſub tunica compreſſas non gerat, aut calidis (quod aiunt) manibus non cõtrectet. In iis tamen epiſtolis pleraq; inueniri (quod B. Petrus teſtatur) difficilia intellectu, & quæ indocti & inſtabiles deprauent. Itaq; illuſtribus cõmentariis opus eſſe, quæ nõ minus veram atq; germanã adeo authoris intelligentiã exprimant, quàm lectoré etiam ipſum omni penitus erroris ſuſpitione tueantur. Circunferri animis eruditum plane & nunquam ſatis laudatum enarratorem, diuum ſcilicet Thom. Aquin. at in illo, id te male habere, quod texendo ordini, plus æquo indulgeat: & interſutis quæſtionũ argumentorúmq; ſalebris progreſſum tuũ remoretur & impediat. Fateris quoq; & aliorũ quorũdam præclaras lucubrationes proſtare, ſed quæ perplexioribus ſæpe difficultatũ ſcrupulis te lecturiẽtẽ diſtineant, quàm vel ipſe Paulus ancipitem reddiderit. Vt igitur tuæ expectationi candidiſ. lector, tandẽ ſatisfieret. Haymonis epiſcopi quondam Halberſtatenſis doctæ ſimul & ſuccinctæ in Paulũ exegeſes, tibi edũtur. In quibus ſine cortice (quod dicitur) natare poteris, & reconditiſſima quæq; myſteria Apoſtoli abſq; Theſeo perrimari. Habent enim iucundam breuitatem & argutam diluciditatẽ. Porro tametũ authoris barbarum ſit & ignotũ nomẽ, ingeniũ tamen plane atticũ eſt, eruditio ſingularis, & dictio non omnino aſpernabilis. Probabis in eruendis Pauli abſtruſioribus ſententiis acumen, in hyperbatis connectendis, diligentiam: in explanandis tropis ſedulitatem, fidem in attemperanda ſcripturarum diuerſitate & in citandis teſtimoniis fœlicẽ cõpiam. Quem, ſi in exoricis præſertim vocalis interpretandis, vel alias fortaſsis vt ſit lapſum deprehenderis, non temeritati hominis aut incuriæ putabis tribuendum, ſed cũ ſæculi illius, quo vixit infelicitati, cum illiterato populo, in quo illum & enutriri & diuerſari contigit, Vale, & hanc opellam qualemcunque boni conſule. Diligenter aduigilatum eſt, ne in hoc opere mendarũ portenta te moleſtent.

PAulus scripsit ad Romanos epistolam vnam in qua reuocat Romanos ab erroribus gentilium & ceremoniis legis ab veram & catholicam fidem. Et diuiditur in sexdecim capita, vt sequitur.

Paulus seruus Iesu Christi	cap.1.
Propter quod inexcusabilis	cap.2.
Quid ergo amplius est Iudæo	cap.3.
Quid dicemus inuenisse Abraham	cap.4.
Iustificati igitur ex fide, pacem	cap.5.
Quid ergo dicemus, &c.	cap.6.
An ignoratis fratres, scientibus	cap.7.
Nihil ergo nunc damnationis est,	cap.8.
Veritatem dico in Christo	cap.9.
Fratres voluntas quidem cordis mei	cap.10.
Dico ergo nunquid repulit deus populum	cap.11.
Obsecro ita vos fratres	cap.12.
Omnis anima potestatibus	cap.13.
Infirmum autem in fide assumite	cap.14.
Debemus autem nos infirmiores	cap.15.
Commendo autem vobis	cap.16.

Ad Corinthios scripsit epistolas duas. In prima reuocat quosdã ex Corinthiis à falsis Apostolis & philosophis per eloquentiam quosdam vero per obseruãtiam legis Iudaicæ seductos, ad veram fidem & ad sapientiam euangelicã. Et habet capita sexdecim vt sequitur.

Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi	cap.1.
Et ego cum venissem ad vos.	cap.2.
Et ego fratres non potui vobis loqui	cap.3.
Sic nos existimet homo	cap.4.
Auditur inter vos fonicatio talis	cap.5.
Audet aliquis vestrum	cap.6.
De quibus autem scripsisti mihi	cap.7.
De his autem quæ idolis immolantur	cap.8.
Non sum liber, non sum Apostolus	cap.9.
Nolo enim vos ignorare fratres	cap.10.
Imitatores mei estote	cap.11.
De spiritalibus autem	cap.12.

Si linguis hominum loquar	cap.13.
Sectamini autem charitatem	cap.14.
Notum autem vobis facio	cap.15.
De collectis autem quæ fiunt in	cap.16.

In secunda laudat emendatos & cõuersos ad pœnitentiã. Et habet capita tredecim.

Paulus Apostolus Iesu Christi &c.	cap.1.
Statim hoc ipsum apud me	cap.2.
Incipimus iterum nosmetipsos commendare	cap.3.
Ideo habentes hanc administrationem	cap.4.
Scimus enim quoniam si terrestris	cap.5.
Hortamur vos ne in vacuum	cap.6.
Has igitur habentes promissiones	cap.7.
Notum autem vobis facimus	cap.8.
Nam de ministerio quod fit in sanctos	cap.9.
Rogo autem vos ne	cap.10.
Vtinam sustineritis modicum	cap.11.
Deus & pater domini nostri Iesu Christi	cap.12.
Ecce tertio venio ad vos	cap.13.

Ad Galathas scripsit epistolam vnam, in qua ipsos Galathas seductos à falsis Apostolis vt ad legem & ad circũcisionem reuerterẽtur, reuocat ad fidem catholicæ veritatis, Et diuiditur in sex capita.

Paulus Apostolus non ab hominibus	cap.1.
Deinde post annos quatuordecim	cap.2.
O insensati Galathæ	cap.3.
Quanto tempore hæres paruulus est	cap.4.
Dico autem in Christo. Spiritu	cap.5.
Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus	cap.6.

Ad Ephesios scripsit epistolam vnam, in qua Ephesij qui ab Apostolo verbo veritatis accepto perstiterunt in fide, & ipsos collaudat Apostolus. Et diuiditur in sex capita.

Paulus Apostolus Iesu Christi	cap.1.
Et vos cum essetis mortui delictis	cap.2.
Huius rei gratia ego Paulus vinctus	cap.3.

Obsecro itaque vos ego vinctus cap.4.
Estote imitatores dei cap.5.
Fratres de cætero corfortamini in domino cap.6.

Ad Philippenses scribit epistolam vnã, in qua Philippẽses laudat quod accepto verbo veritatis perstiterũt in fide, nec falsos Apost. recepissent. Et diuiditur in quatuor capita.

Paulus & Timotheus cap.1.
Et nunc audistis de me cap.2.
De cætero fratres mei cap.3.
Itaque fratres mei cap.4.

Ad Colossenses scripsit epistolam vnam, in qua Colossenses corrigit, eo quòd præuenti essent à pseudoapostolis, & eos ad veram fidem inducit, & hortatur vt deueniant, & diuiditur in quatuor capita.

Mysterium quod absconditum fuit cap.1.
Volo enim vos scire cap.2.
Fratres si consurrexistis cap.3.
Domini quod iustum est & æquum cap.4.

Ad Thessalonicenses scripsit epistolas duas. In prima laudat Apostolus Thessalonicenses, qui cum receperunt verbum veritatis, & multas persecutiones passi essent propter illud à suis ciuibus, attamen fortiter perstiterũt in fide & nullos falsos permisissent Apostolos, neq; receperũt, Et diuiditur in quinque capita

Paulus & Siluanus & Timotheus cap.1.
Exhortatio nostra de errore cap.2.
Placuit nobis solis cap.3.
Rogamus vos & obsecramus cap.4.
De temporibus & momentis cap.5.

In secunda instruit eos de nouissimis temporibus de falsa doctrina antichristi, & eius aduentu & persecutione, deq; eius exaltatione & ruina. Et habet capita tria

Paulus & Siluanus cap.1.

Rogamus vos fratres per caput.2.
De cætero orate pro nobis caput.3.

Ad Timotheum scripsit epistolas duas. In prima instruit Timotheum de ordinatione & officio episcopatus & diaconatus atq; ois ecclesiasticę disciplinæ. Et habet capita sex.

Paulus Apostolus Christi Iesu caput.1.
Obsecro igitur primo caput.2.
Si quis episcopatum desiderat caput.3.
Spiritus autem manifeste dicit caput.4.
Seniorem ne increpaueris caput.5.
Si quis aliter docet caput.6.

In secunda hortatur eum ad coronam martyrij & informat eum de omni regula catholicæ veritatis, & quid sit futurum nouissimis temporibus, & de sua passione. Et diuiditur in capita quatuor.

Paulus Apostolus Christi Iesu caput.1.
Tu verò fili mi confortare caput.2.
In nouissimis diebus caput.3.
Testificor coram deo caput.4.

Ad Titum scripsit epistolam vnam, in qua instruit Titũ quomodo debeat constituere presbyteros, & de eorum cõuersatione spirituali. Et de vitandis hæreticis. Et diuiditur in caput vnum.

Paulus seruus Dei secundum fidem caput.1.

Ad Philemonem scripsit epistolam vnam, in qua ipsum commendat de fide & charitate in sanctos & rogat eum, vt indulgeat Onesimo seruo suo, & ipsum benigne suscipiat. Et habet caput vnicum.

Paulus vinctus Iesu Christi caput.1.

Ad Hebræos scripsit epistolam vnã, in qua ostendit defectum & euacuationem legis Mosaicæ, & per lectionem legis euãgelicæ. Et quod Christus sit verus deus & homo dei & hominum mediator. Et diuiditur in capita tredecim.

Universidad de Deusto Biblioteca

Multiphariam multisque modis	caput.1.
Propterea abundantius oportet	caput.2.
Vnde fratres sancti	caput.3.
Timeamus ergo ne forte	caput.4.
Omnis nanque pontifex	caput.5.
Quapropter intermittentes	caput.6.
Hic enim Melchisedech rex	caput.7.
Capitulum autem super ea quæ dicuntur	caput.8.
Habuit quidem & prius	caput.9.
Vmbram enim habens lex futurorum	caput.10.
Est autem fides sperandarum	caput.11.
Ideóque & nos tantam habentes	caput.12.
Etenim deus noster ignis	caput.13.

FINIS.

EX IOANNE TRITHEMIO Abbathe Sphanheimensi Haymo.vita.

HAymo tertius episcopus Halberstaten. in Saxonia ex abbate Hirsfelden.cœnobij ordinis sancti Benedicti,natione Teutonicus,Alcuini monachi quondam auditor, ad quem Rabamus Fulden. tunc abbas.22.libros de vniuerso composuit:vir certe vndecunque doctissimus, diuinarũ scripturarum sagacissimus interpres, in declamandis homiliis ad populum excellentis ingenij fuit.Hic primo monachus Fuldensis, postea abbas Hirsfelden.hinc episcopus Halberstatensis tertius, quam ecclesiam strenue verbo & exemplo annis.13. gubernauit. Scripsit multa & varia opuscula in nouum & vetus testamentum, tandem sub Ludouico pio Caroli Magni filio moritur. Anno domini.534. sepultus in æde diui Stephani Halberstatensis.

IN

IN EPISTOLAM PAVLI AD Romanos Argumentum Haymonis.

ACorintho ciuitate metropoli Achaiæ regionis scripsit Apostolus Paulus Romanis hanc epistolã:quos nõ ipse, nõ Petrus,non quilibet Apostolorũ duodecim primùm instruxit: sed quidam Iudęorũ credentium,qui ab Hierosolymis Romam veniẽtes, vbi princeps orbis residebat,cui erant ipsi subiecti, fidem quã apud Hierosolymam didicerant, Romanis euãgelizauerunt. Causa autem scribendi hanc epistolam, hæc probatur extitisse: Orta est autem contentio inter Iudæos credentes,& gentiles etiam ad fidem concurrentes: Iudæi siquidem credentes,propter sanctos patres,à quibus originem ducebant, & propter legem quam soli inter cæteras gentes acceperant, despiciebant gentiles venientes ad fidem,vtpote idololatriæ superstitioni hactenus deditos, dicentes,propter obseruationem legis cui seruierant, meruisse gratiam Christi,fidem euangelij,Econtra gentiles præferebant se nihilominus Iudæis, improperantes eis mortem filij dei,simul protestabantur se idolis obsequium venerationis minimè exhibuisse,si legis præcepta aut prophetarum oracula habuissent. Omnibus his igitur præbuit se Paulus apostolus medium, omnes illorum contentiones destruens,quæ in prologo huius epistolæ narrãtur: & quasi bonus concionator extẽta manu illos alloquens, omnes ad vnam concordiam adduxit, ostendens nullum eorum suis meritis esse saluatum,sed per gratiã Iesu Christi: quia omnes Iudæi & gentiles sub peccato tenebantur.

IN EPISTOLAM PAVLI AD Romanos Prologus.

EPistola græco vocabulo,latinè dicitur supermissa vel addita,sicut epigramma.i.superscriptio, & epithaphium,super sepulchrum.Epi quidem sonat super,stola verò missa. Epistolæ autem istæ idcirco dicũtur supermissæ vel additæ, eo quòd super vetus testamentum

& gratiã euangelij, vbi perfecta salus consistit, ab Apostolis sint missæ credẽtibus, ad resecanda præsentia atque orientia vitia: & vt si quis transgressus fuerit euangeliũ, hic inueniat medicinã salutis: quatenus vindictã euangelij possit effugere, redditus illi per dignã pœnitentiam. Sunt supermissæ nõ dignitatis causa, q̃ superexcellant, sed ad cõpletionem illorũ postea scriptæ. Epistola autẽ ista nõ illũ ordinem tenet in corpore epistolarum quo scripta est, sed causa dignitatis Romanorũ, qui tunc tẽporis vniuersis gẽtibus imperabant, primatũ obtinuit. Hoc autem factum est non ab Apostolo, sed potius ab illo qui omnes eius epistolas sub vno corpore curauit colligere. Notandum autem q̃ sicut Moyses legislator, Israelitico populo à Pharaone liberato, decem præcepta legis tradidit: ita Apostolus Paulus credentibus in Christum, & à Pharaone spiritali erutis, decem epistolas scripsit. Nam quatuor reliquas ad discipulos misit, duas videlicet Timotheo, vnam Tito, vnam Philemoni, *Pauli*. Paulus, vt Hieronymus dicit, à primo spolio quod sanctæ Ecclesię cõtulit, à Paulo videlicet Sergio proconsule, quẽ apud Cyprum conuertit, hoc nomen sibi imposuit: vt sicut Particus, qui Parthos superauit, & Germanicus, qui Germaniam vicit, quilibet dux Romanorum dictus est: sic ab eo principe quem prius superauit, sit appellatus Paulus. Beatus verò Augustinus dicit modicum interpretari Paulum, id est, humilem. Vnde ipse dicit, Ego sum minimus omnium apostolorum. Dicitur & aporis paulys secundum quosdam, id est, à cessatione persecutionis: vel certè (vt quidem dicunt) binomius fuisse intelligitur, vt plurimi inueniuntur duobns nominibus vocati, sicut Ozias, qui & Azarias in veteri testamẽto: in nouo verò Matthęus, qui & Leui. Vnde in Actibus apostolorũ legitur: Saulus qui & Paulus, inualescebat & confundebat Iudæos: vel etiam more sanctorum, communicationem meruit nominis, vt Abraham, & Iacob, & Simon, qui & Petrus vocatus est à domino, vt persecutor vocatus est Saulus, id est, infernalis, post prædicator effectus, diceretur Paulus, id est, humilis Christi discipulus. *apostoli*. Apostolus Græcè, Latinè dicitur missus, & iste audiuit à domino: Longe mittam te ad gentes. Apostolorum autem genera sunt quatuor. Primùm est, quod nec ab hominibus sit, nec per hominem, sed à deo tãtummodo,

Exod.29.

Actu.15.

tummodo, de quorum numero fuerunt Moyses, Isaias, aliiq; quãplurimi prophetarum, duodecim quoque apostoli: qui quãuis ab homine Christo essent missi, tamen ipse homo erat & verus deus, Moysi ergo dictum est. Mittam te ad Pharaonem, Isaiæ quoque: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et ille: Ecce ego, mitte me, Et Dominus. Vade ad populum istum. Secundum quidem quod à deo est, sed per hominem: de quorum numero extitit Iosue, qui deo præcipiẽte atque volente, per Moysen missus est, aliique quãplurimi, qui electione populi pro vitæ meritis deo volente electi sunt. Voluntas enim populi plerũque voluntas dei est. Tertium, quod ab homine est tantummodo, & non à deo, cùm fauore hominum aliquis eligitur, non pro bona conuersatione, neque causa religionis, sed nobilitatis parẽtelæ: seu cùm quis precio subrogatur in sacerdotij dignitatem: de quorum numero dicit vni beatus Ambrosius, Episcope, nisi centum solidos dedisses, hodie episcopus nõ esses. De istorum etiam numero erãt illi, de quibus dicitur in libro Regum, qui temporibus Ieroboam implebant manus suas, & fiebant sacerdotes idolorum. De istis ergo talibus dicit Dominus per prophetam. Ipsi regnauerunt, sed non ex me: principes extiterunt, & non cognoui. Quartum quoque genus est apostolorum, quod neque à deo, neque per hominem fit, sed à semetipso tantum constat, vt sunt pseudoprophetæ & pseudoapostoli, dicentes: Hæc dicit dominus: cũ dominus non miserit eos. Sciendum est autem inter hos omnes, quosdam tantæ dignitatis esse, vt & apostolatus & prophetiæ sublimẽtur honore, vt fuit Moyses, Isaias, Ioannes quoque Baptista, de quo dicitur: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te: ex quibus fuerunt & apostoli, qui præmia electorum & tormenta reproborum suis auditoribus prædixerunt, quodam honore prophetiæ insigniti. *Ad Romanos.* Romanos appellat hic Apostolus, qui ex Iudæis gentibúsque credentes, in partibus Italiæ habitabant. Interpretantur autem Romani, sublimes siue tonantes, quia illo tempore quo apostolus hanc epistolam eis misit, cunctis gentibus principabantur. Ideóque sublimiores erant omnib⁹ populis: & intonabant præcepta publica & priuata, eorũque fama in omnium hominum resonabat ore.

Exod.1.
Isa.6.
1.Reg.12.
Osee.8.
Marci.1.

IN EPISTOLAM PAVLI ad Romanos, per Haymonẽ episcopum Halberstaten. Exegesis.

CAPVT I.

Ioan.13.

Lucæ.17.

Lucæ.1. Isa.7. Mat.1.

Psal.43.

Mat.28. Rom.8.

DAVLVS *seruus Iesu christi.* De nomine apostoli iã superius dictum est: sed quærendũ est cùm dominꝰ dicat, Iã nõ dicã vos seruos, sed amicos meos: quare Apostolꝰ se seruũ appellat: Ad quod dicendum, duo genera esse seruitutis. Vnũ videlicet timoris, alterũ amoris. Est quidẽ seruitus timoris, qua timet seruus dominũ suum, timẽs ab eo flagellari, si per omnia eiꝰ volũtati nõ obedierit. Et est seruitus amoris filiationisque, qua seruit bonus filius patri, timẽs eius offensam: quo scilicet genere seruitutis, vocat se Apostolus seruũ Iesu Christi. De qua & ipse Dominus ait: Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, & hoc est nõ seruꝰ timoris & pœnæ, sed seruus amoris & filiationis, quo ad instar filij nõ vult offendere Christũ. *Iesu*, hoc nomẽ est ab angelo humanitati impositum, dicẽte ad Mariã: Vocabis nomen eius Iesum. Iesus enim latino eloquio saluator vel salutaris interpretatur. Cuius nominis etymologiã exponẽs angelus, dixit. Ipse enim saluũ faciet populum suũ à peccatis eorũ. Si verò nomen diuinitatis illius requiris, verbum patris vocatur Christus græcè, latinè dicitur vnctus, hebraicè messias: siquidem vnctus est ipse, non oleo visibili, sed oleo inuisibili, plenitudine videlicet spiritus sancti. De qua vnctione dicit Psalmista. Vnxit te deus, deꝰ tuus, oleo lætitiæ. Aliis fuit olim adiectiuum hoc nomen, sacerdotibus videlicet, regibus, & prophetis: sed Iesu factũ est proprium. *Vocatus apostolus.* Est vocatio generalis, de qua dicitur: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Et est specialis, de qua idem ait Apostolus quodam loco, Quos vocauit, hos & iustificauit: secundum quam vocatus est Paulus Apostolus, id est, missus. Notandum autem idcirco nomen apostolatus ab Apostolo in omnibus esse positum epistolis,

stolis, vt maioris honoris & dignitatis essent eius epistolæ apud auditores. *segregatus*, id est, electus ad euangelium prædicandum. Vel segregatus, id est, à grege separatus, à cæteris videlicet discipulis, nó mente sed corpore, quia cor vnum, & animam vnam habebat cum cæteris. Segregatus est corpore ab aliis, spiritusancto præcipiente, Segregate mihi Barnabam & Paulum: & destinatus est gentibus totius orbis predicator, Verbi gratia: Sicut homo extendit brachium ad operandum, & tamen non idcirco præciditur à reliquo corpore: ita Paulus Apo. destinatus est quidẽ gẽtibus ad predicandũ, sed tamen nõ ideo separatus est à cæteris Apo. mente & desiderio. Et cùm reliqui Apo. singulis in locis prædicassent. & singula regna tenuissẽt, verbi gratia: Andreas Achaiã, Thomas Indiam, Matthæus Aethiopiam: ille omnibus gentibus & omnibus regnis prædicator extitit, vnum ipse dicit: Qui operatus est Petro in apostolatu circũcisionis, operatus est & mihi inter gentes. Quod tale est, acsi aliis verbis diceret: Qui Petrum constituit magistrum Iudæorum, me quoque magistrum voluit præficere omnibus gẽtibus. *in euangelium dei.* Marcus dicit, Initium euangelij Iesu Christi: iste econtra euangelium dei patris esse affirmat. Quare fit istat diuersitas? Quia (vt filius ait) omnia patris sua sunt, & sua patris. ideó que vnum euangelium communiter possident. i. bonum nuntium. Nam sicut vna substantia est patris & filij, vna potestas, vna deitas: ita vnum euangelium est patris, & filij. Quid ergo est euangelium? Bonum nuntium, vt diximus. Et quod est melius nuntium, quàm omnipotentem deum trinitatem habere in personis, vnitatem in substantia, patrem ingenitum, filium vnigenitum, spiritum sanctum procedentem ab vtroque, annuntiare natiuitatem quoque Christi secundũ diuinitatem ante secula, secundũ humanitatem in fine tẽporũ, miracula illius, passionem, resurrectionem, ascẽsionẽ ad cælos, aduentum illius ad iudicium, resurrectionem generalem, gloriam electorum, damnationem reproborum? Ad ista omnia prædicanda segregatus est Apo. Sequitur: *quod antè promiserat per prophetas suos.* Sicut promisit deus pater per prophetas filium suum ad salutem humani generis in mundum esse venturum, sic promisit ad sanctum euangelium. Notandúmque quia cùm dixisset, Per pro-

Act.28.

Gal.3.

Mar.1.

Luc.15.

phetas, statim subintulit, Suos: prophetæ enim nomen cõmune est, & accipitur aliquando pro bono, aliquando pro malo. Nã sicut fuerunt in veteri testamẽto prophetæ boni, qui spiritu sancto afflati multi mysteria sibi diuinitus ostẽsa prædixerunt: ita fuerunt & falsi dicẽtes: Hæc dicit dominus, cùm dominus nõ miserit eos. Vnde & per Isaiã dicitur: propheta loquens mendacium, ipse est cauda. Nõ ergo per istorũ ora promisit euangeliũ, sed potius per illorũ quos ipse in veritate misit. Vnde per Ieremiã dicit, Disponam (inquiẽs) domui Israel, & domui Iuda testamẽtũ nouũ, i. euãgeliũ. Et iterũ, Feriã (inquit) vobiscũ peccatũ sempiternũ. Psal. quoq; qui legem Mosaicã habebat, exorabat dicẽs, Legem euãgelij constitue mihi. *in scripturis sanctis de filio suo.* Sunt scripturæ non sanctæ, vt sunt dicta philosophorum Platonis seu Aristotelis, carmina poetarum Homeri seu Vergilij, aliorúmque poetarum gentilium. Scripturæ verò sanctæ appellantur lex & prophetæ atq; psal. quia sanctificant obseruationes suas, prohibẽdo vitia, & commendando virtutes. Quæ scripturæ sanctæ vel euangelium de filio patris, i. de Christo sunt quia illũ annuntiant. Multi quidẽ sunt filij dei secundum adoptionem: de quibus Ioãnes dicit: Quia quotquot receperunt eũ, dedit eis potestatẽ filios dei fieri: sed vnus est proprius naturalisque dominus Iesus Christus, de quo ipse pater: Hic est (inquit) filius meus charissimus. Et de quo Apostolus: *qui factus est ei*, inquit. i. à deo patre filius, *ex semine Dauid secundũ carnẽ*, Dominus Iesus ex duabus substãtiis, diuina scilicet & humana. i. in vnitate personæ subsistẽs, verus deus est, & verus homo: secũdum quod deus est, non est factus, sed genitus, quia non est creatura: secundum autem carnem, factus ex semine Dauid, qui fuit de tribu Iuda. De cuius progenie descẽdit beatissima virgo Maria, ex cuius semine formata est caro dominica, opere spiritussancti in vtero virginali. Vnde satis conuenienter dicit Apostolus, quia factus est deo patri ex semine Dauid, secundum carnẽ, qui erat domin⁹ & creator Dauid secundũ diuinitatẽ. *qui prædestinatus est* .i. preordinatus & præfinitus *filius dei in virtute*, subauditur diuinitatis & in potẽtia verbi, à quo assumptus est ipse homo in vnitate personæ. Origenes dicit: Qui destinatus est filius dei, dicẽs destinari illum posse qui est, prædestinari qui nõ est.

Isaiæ. 1.

Hier. 55.

Psal. 118.

Ioan. 1.

Matth. 3.

est. At verò secũdum B. Augustinum melius est dicere: Qui prædestinatus est filius dei, quia nõ de verbo loquitur hic Apostolus, sed de homine, qui non erat antequam factus esset Humanitas enim quæ non erat antea, illa est prædestinata & præfinita siue præordinata sine suis meritis, vt filius dei esset, assumpta à verbo in virtute diuinitatis, & in potentia verbi, & vnita illi in vnitate personæ, *secundum spiritum sanctificationis*. Spiritus sanctificationis appellatur hic Spiritussanctus, quia sanctitatem præstat angelis & hominibus iustis, qui etiam formauit, viuificauit & sanctificauit ipsum hominem in vtero virginali, ex semine virginis sine semine viri. Considerandum est autem, quia non fuit ei Spiritussanctus pro semine, nec dicimus illum patrẽ esse humanitatis, ne dicantur esse duo patres, quod omnino nefas est dicere: nõ enim omne quod nascitur ex nobis, vtiq; filius noster est. Verbi gratia: Capillus nascitur de capite, & tamẽ nõ ideo filius capitis rectè dicitur. Pediculi ex nobis quoq; nascuntur, & tamẽ filij nostri nequaquã dicũtur. Ita ergo & ille homo assumptus à verbo, de Spiritusancto cõceptus. i. opere Spiritussancti formatus est, sed tamẽ nõ est filiꝰ spiritussancti. Iũgatur ergo ita à B. Aug. docẽte, Qui prædestinatus est filius dei in virtute diuinitatis & potẽtia verbi. *ex resurrectione mortuorũ* primus resurgere, & primus cælos penetrare. Destructo enim mortis imperio, ipse primus omniũ mortuorum electorũ resurrexit, iuxta quod Ioãnes de illo dicit: Qui est primogenitus mortuorũ, & princeps regnũ terrę, & primitiæ dormiẽtiũ Christi⁹: & sicut primus resurrexit: ita & primus cælos penetrauit, dãs fidelibus suis post se aditũ ingrediẽdi. Aliter secundũ Beatũ Ambro. Meritò dicit illũ prædestinatũ esse filium dei ex resurrectione, siue post resurrectionẽ, quia tunc patuit verus filius dei esse, quando in morte illius multa miracula ac euidentia compulerunt dicere: Verè filius dei erat iste, Siquidem antequàm suspẽderetur in ligno pro salute generis humani, & moreretur, multáque miracula fierẽt in passione illius, quæ euãgelium narrat, à paucis cognoscebatur filius dei esse: intantum vt Apostoli quoq; dum comprehẽderetur, relicto eo fugerent, Sed postquàm sol obscuratus est in morte eius, terra tremuit, monumenta aperta sunt, velum quoque templi scissum est, & resurrexit, cognitus

est esse verus filius dei, siue etiam quando post resurrectionem ascensionémque suam misit Apostolis Spiritum sanctum, quo inflammati cœperunt loqui omnium gentiũ linguis magnalia dei, tunc potius cognitus est esse verus filius
Actu.2. dei ab his videlicet, de quibus Lucas dicit, quòd vna die crediderunt tria milia, altera die quinq; milia. Digna autẽ cõsideratione animaduertendum est, quia non dixit Apostolus absolute, Qui prædestinatus est filius dei in virtute ex resurrectione mortuorũ, sed adhuc addidit aliquid dicẽs, ex resurrectione mortuorũ Iesu Christi, hoc est tantummodo electorum ad se pertinentium: simulque nobis demõstratur, quia sicut suã resurrectionem procurauit, ita
Mat.27. quoq; multorũ mortuorũ corpora & animas pariter resuscitauit secũ, tam illorũ de quibus dicitur, Multa corpora sanctorũ qui dormierant surrexerunt, quàm etiã omnium electorũ. Ex quorum ergo resurrectione mortuorũ apparuit Christus verus filius dei esse. *Iesu Christi*, illorũ qui ad se pertinebãt, quos ipse resuscitat ad vitam, & de quibus idẽ Apostolus dicit, vt sit ipse primogenitus in multis fratrib⁹. Nã de resurrectione reproborum nihil hic dicitur. Potest & ita coniungi: Paulus seruus, vocatus Apostolus ex resurrectione mortuorum Iesu Christi, Omnes quidem Apo. ante Domini passionem sunt vocati ab ipso, Paulus verò post resurrectionem eius. *Per quem accepimus gratiam & apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius.* Gratia dicitur gratis data. Et gratiã hic debemus intelligere fidem & remissionem peccatorum, vel patientiam omnium laborum, pro qua remunerabimur in futurum. Quæ omnia nullis præcedentibus meritis gratis data sunt cunctis fidelibus, sicut iisdem egregius prædicator dicit: Gra-
Rom.8 tia salui facti estis. Apostolatus verò nomine debemus intelligere legationem prædicationis, quã ipsi soli Apostoli
Ephe.2. eorúmque sequaces acceperunt, qui similiter post illos officium predicationis tenuerunt. Et ne quis putaret, quòd in vna gente tantummodo Israelitica accepisset legationem prædicationis, dicit, in omnibus gentibus ad obediendum fidei, accepisse illos Apostolatum. i. vt omnes gentes obediant fidei euangelicæ & Christi, quod vnum est. Fides autem dicitur, eo quòd fiat vt promittitur. Constat autem inter deum & homines. Verbi gratia: Tempore baptismatis

matis profitemur nos credere in deum patrem & dominũ Iesum Christum & in spiritũ sanctum, abrenuntiare quoque diabolo & omnibus pompis eius omnibúsque operibus eius. Si ergo hoc obseruamus, fidei obedimus: finautẽ, infidelitatis redarguimur. Fides igitur est, vt diximus, confessio sanctæ trinitatis, & solidum fundamentum religionis, qua veraciter credimus id quod nequaquam videre valemus. Si autem quod credimus iam videmus, fides iam nõ est habenda, sed cognitio. Notandumque, quia pro nomine Christi, id est, vice nominis eius dicit se accepisse apostolatum, Sic enim ait eis dominus: Sicut misit me pater, & Ioan.20.
ego mitto vos, id est, sicut misit me pater in nomine suo, ita & ego vos vice nominis mei mitto ad prædicationem. Vnde & iisdem Apostolus alias dicit. pro Christo, id est, vice Christi legatione fungimur. Itemque, Obsecramus pro 2.Cor.5.
Christo. reconciliamini Deo. *in quibus*, subaudis gentibus, *Estis & vos* Romæ habitantes Iudæi & Gentiles, *vocati Iesu Christi*, id est, ab illo vocati estis per nos, vt in eum credatis, vel etiam in hoc vocati estis illius, quia ab illo nomen Christianitatis promeruistis. *Omnibus qui sunt Romæ dilectis vel dei vocatis sanctis.* Dilectis Dei dicit, id est, electis ad fidem & gratiam. Quod autem dicit vocatis sanctis, sic videntur hæc verba sonare, quod iam sancti essent quando vocati sunt, sed non conuenit. Qui enim erant peccatores & iustissimi, vocati sunt sancti, id est, ad hoc electi & vocati sunt, vt essent sanctificati per baptismũ. Tale est & illud, quod in canti. Zachariæ patris Ioannis Baptistæ,
Visitauit, inquit, & fecit redemptionem plebis suæ. Non e- Luc.1.
nim inuenit illam esse plebem suam, sed visitando & redimendo suã fecit esse. Notandum autem quia initiũ huius epistolæ longo circuitu distenditur: ac per hoc eius distinctio solerter est consideranda. simulque considerandum salutationes epistolarum sub tertiis personis consistere. Legatur ergo per cõmata ac subdistinctionibus. Paulus seruus Christi Iesu. &c. vsque, In quibus estis & vos vocati Iesu Christi, ibique ponatur media distinctio, deinde inferatur, Omnibus qui sunt Romæ vocatis sanctis: ibiq; fiat plena distinctio, & subaudiatur tertia persona: salutem optat. Nã quod sequitur, gratia vobis. extra salutationẽ est, quia secũda persona est ad quã debet post salutationẽ primam

loqui. *Gratia vobis & pax à deo patre nostro & domino Iesu Christo.* subaudis sit gratia vobis, id est, fides & salus qua remittũtur peccata tẽpore baptismatis, & pax qua recõciliamur deo patri per sanguinẽ filij sui Quidã ita volũt intelligere distincte, vt dicatur gratia vobis à deo patre, qui gratis misit filiũ, & pax à domino Iesu Christo: cuius passione recõciliamur tã deo quã angelis, sed melius vtrumque à deo patre datũ intelligitur, vtrũque à filio, quia gratia & pax à patre & filio æqualiter cõfertur. Spiritussancti verò personã idcirco reticuit, quia in donis suis eũ cõ prehẽdit. i. in gratia & pace. Ait enim veritas Samaritanæ mulieri: Si scires donũ dei. i. spiritũ sanctũ. Quia enim per eũ diuinitus honorantur electi, ideo, vt diximus, in donis intelligitur. Gratia enim. i. remissio peccatorũ, quã percipiũt credẽtes in lauacro baptismatis, & pax per quã recõciliationem merẽtur, æqualiter à tota trinitate præstãtur. *Primum quidẽ gratias ago deo meo pro omnibus vobis,* hucusq; salutatio. post salutationẽ verò sequitur statim textus epistolæ. Beatus apostolus in exordio suæ epistolæ à gratiarũ exorsus est exactione, adimpletus vtiq; mandatũ suũ quod dixit alibi: In omnib⁹ gratias agite. Gratias, inquit, ago. i. laudes refero deo meo pro vobis. Bene autẽ addit meo, quia cũ omniũ rerũ vnus sit deus per naturã eo quod sit creator omniũ, illis propriè tamẽ per gratiã deus dicitur esse, quod merito fidei & iustitiæ eius cultores esse probãtur, sicut beato Paulo aliisq; Christi fidelib⁹. Hinc dicitur: Ego sum de⁹ Abrahã, deus Isaac, & deus Iacob per gratiã & vitæ meritum. *quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.* A toto partem accipe, neque enim totus mundus illorũ fidem annuntiabat, sed per plures mundi partes diuulgabatur, nouam fidẽ euangelij eos percepisse, vtpote qui tunc temporis pene omnibus gentibus dominabantur. Ab illis qui Roma veniebant, indeque ad propria repedabant, eorũ fides multis annũtiabatur gẽtibus. Fides dicitur eo ꝙ fiat, quod sicut promittitur, ita debeat impleri: sinautẽ non fuerit adimpleta, iam non est fides. *Testis enim mihi est Deus.* Videtur contra dominicũ præceptũ iurare apostolus quo dicitur: Nolite iurare omnino. Sed quia veritatem iurare: necessitate cõpellente, non est peccare, vt ab Augu. dicitur, Coactus apostolus vt crederetur ei ab auditoribus, dũ iurat

Ioan. 4.

1. Thes. 5.

Exod. 3.

Marc. 5.

rat non peccat. Tutius tamen est nõ iurare: quia qui nunquam iurat, nunquã periurium perpetrat. *cui seruio in spiritu meo,* non ait adoro sed seruio. Sunt quidã qui corpore & voce deum aut homines ficte adorant, sed non spiritu. i. mẽtis affectu. Plus est ergo dicere, cui seruio in spiritu, quàm adoro: quia hic intelligitur seruitiũ amoris & integræ dilectionis. *in euangelio filij eius.* i. prædicatione Christi. Euangelium, vt diximus, bonum nuntium sonat. Dicit enim: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum: Prædicare quoque conceptionẽ & natiuitatẽ Christi & reliqua dispensationis eius mysteria, euangelizare est. *quod sine intermissione memoriã vestri facio, semper in orationibus meis.* Sine intermissione dicit, quia omni die, omni nocte orationi incumbens, eorũ memoriã faciebat. Nã aliter hęc verba stare non valent, quia comedebat & dormiebat. Homo siquidem mortalis erat adhuc Apostolus, ideoque mortalia indigebat operari, comedere atque dormire. His enim omnibus indiget homo mortali tegmine indutus. In hoc vero quia orationi instabat, in semetipso primũ opere prætẽdebat, quod ipse alibi suis auditoribus exhortãdo præcepe rat: Sine intermissione, inquiens, orate. *obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperũ iter habeã in voluntate dei veniendi ad vos.* Si quo modo, id est, si aliquo modo, tandẽ ad vltimum vel vix. Bene dicit obsecrans si aliquo modo prosperum iter habeã in voluntate dei veniendi ad vos: quoniam sunt quidam qui dei permissione non voluntate, prosperũ iter videntur accipere ad malum, si quando homicidiũ aut aliquod festinent scelus perpetrare. Sed Apostolus omnia prospera, quæ sine voluntate dei veniunt nihili pendit, & pro nihilo deputat. Nam aliter prosperum iter se posse habere non putabat, nisi voluntas Dei, quæ omnia nouit, & in omnibus nos præuenit, bonis præcedit & fouet, illuc eum duceret vbi fructum aliquem haberet. *Desidero enim videre vos,* ideo dicit desiderare se venire ad illos, vt illos ad amorem suum excitaret, vt & ipsi desiderarent illum. Desiderabat autem illos videre, vt aliquid gratiæ prædicationis & miraculorum illis largiretur, sicut sequentia manifestant. Desidero, inquit, videre vos. *Vt aliquid gratiæ spiritalis impartiar vobis ad confirmandos vos.* Vt confirmem fidem vestram doctrina &

Marc. 3.

1. Thes. 3.

prædicatione atque miraculorum virtute, suppleamq; meo aduentu si quid minus habetis in fide, vel etiam vt doceam vos perfectam charitatem habere, ne ab inuicem dissideatis & discordiam habeatis, sicut nunc audio. *id est simul cõsolari in vobis per eam quæ inuicem est fidem vestrã atque meam.* Consolantur magistri de profectu discipulorum, quando scilicet stabilimentum fidei reperiunt in illis, econtra consolantur discipuli dum aduentu magistrorum cumulatur illis gratia spiritussancti, vel dum suam scientiã & fidẽ magistrorum scientiæ aut fidei concordare & comparticipare intelligunt. *Nolo autem vos ignorare fratres: quia sæpe proposui venire ad vos*, id est, & volui & proposui, *& prohibitus sum vsque adhuc.* Prohibitus est Paulus à deo ne antea Romam veniret quàm gentibus circa Hierosolymam positis, sacrum administraret euangeliũ. Deinde verò per Macedoniam Asiamque minorẽ prædicando Illyricum veniés quæ est prima pars Europę, tandẽ iuxta animi sui votum peruenirет Romã. Cum ergo dixisset Apostolus sæpe se destinasse venire ad illos, poterat aliquis illorum ei obuiare interrogando ac dicere: O beate Apostole, cur disposuisti venire ad nos peccatores? Ad hæc ille, *Vt aliquem fructum habeam in vobis sicut & in cæteris gentibus*, id est, vt mercedem æternam spiritalis gratiæ habeam in vobis de meo labore, sicut & in cæteris gentibus. *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* Sapientes appellat Iudæos & Græcos, à quibus omnis sapientia diuina, & omnis philosophia mundana exordium sumpsit, insipientes verò & barbaros, alias gentes, sicut sunt Teutonici, Britones, alijque qui illorũ cõparatione indocti & quasi sine literis erãt, Nã sicut ab Hebræis acceperunt latini omnẽ diuinam scripturam, ita & à Græcis omnem philosophiam secularem. Et cũ in sapientia florerent, se quidẽ sapientes, omnes verò reliquas gentes barbaras vocabant. Quorum superbiã cõfundit apostolus, dum in sequentibus præponit eis Iudæos. Sed considerandũ est quid acceperit Apostolus, vt horũ debitor esset, id est, sapientium & insipientiũ: Nã ab ipsis nõ acceperat aliquid A deo hoc donum acceperat, vt omnium gentium linguis loqueretur, quibus eisdem gentibus fidem Christi, vtpote debitor, prædicare debebat. vel certè in hoc erat debitor omnibus gentibus, quia, sicut beatus Augustinus

stinus ait in expositione epistolæ ad Ephesios, præ omnibus apostolis sapientiam diuinam percepit. Et quare hoc nisi vt omnibus principibus, omnibúsque philosophis per sapieniam sibi datam resistere posset? Vnde & dominus ait de illo ad Ananiam, Vas electionis mihi est vt portet nomen meum coram regibus & gentibus. *Actu.9.* Sapientibus debitor erat, vt eis profunda & alta mysteria panderet, sicut ipse dixit alibi: Sapientiam loquimur inter perfectos. Insipientibus debitor erat, vt secundum capacitatem illorum eis verbum mysteriorum committeret, quibus ipse dicebat. *1. Cor.2.* Nõ potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Insipientibus verò debitor erat in hoc: vt illorum insipientiam patienter ferret. *1. Cor.3.* *ita quod in me promptũ est*, id est, manifestũ est. *& vobis qui Romæ estis euãgelizare.* Ordo verborum est, pariterque sensus. Quia sapientibus & insipientibus debitor sum, vobis quoq; qui Romæ estis: multo prõtior est mea voluntas ad euangelizandum: & sicut de fide omniũ gẽtiũ, ita etiã de profectu vestræ fidei opto magnus sublimisque fulgere. *Non erubesco enim euangelium*, subaudis prædicare. Quidã credebant in filium dei, & verecũdabantur prædicare quod natus esset ex fœmina, quod crucifixus, quasi nolentes iniuriã facere dei filio, sed hoc non erubescebat Paulus qui dicebat: Non erubesco euangelium prædicare, ac si diceret aliis verbis, Non erubesco filiũ dei prædicare in fine temporũ natũ, quem scio ante secula æqualem patri genitũ. Non erubesco mortuũ prædicare: quẽ scio superata morte tertia surrexisse die, deinde cœlos penetrasse. Et quasi aliquis diceret, quare nõ erubescis euangelium? ait, *Virtus enim dei est* euangelium *in salutem omni credenti. Iudæo primum & Græco.* Virtus enim dei est euangeliũ in salutẽ omni homini credenti, quia per illam fidem & operationẽ quam euangeliũ annunciat, decreuit saluare genus humanũ. Præferũtur modo Iudæi Græcis, vel quia ante illos leges diuinas humanasq; habuere, vel quia enutriti in lege, cito per cognitionẽ legis peruenerunt ante illos ad fidẽ euangelij, videlicet quando post ascensionẽ dominicã prædicantibus apostolis crediderũt ex eis vna die tria millia: altera quinque millia, & deinceps multa millia. *Actu.2.* Siue etiã in hoc prefert Iudæos Græcis, quia ipsi apostoli à quibus græci doctrinã fidemq; euangelij quasi à magistris

percipiebant,natura Iudæi erant.Notandū autem nomine Iudæi,omnes Iudæos credentes debere intelligi:& nomine græci,omnes gentiles debere comprehendi. *Iustitia etenim dei in eo*,id est,euangelio, *reuelatur ex fide in fidem*.Iustitia dei. i. iustificatio *qua* iustificat in se credētes, vt in euangelio manifestatur dū dicitur. Qui crediderit & baptizatus fuerit,saluus,id est, iustus erit. Hæc est iustitia, qua omnes credētes dono patris & filij & spiritussancti iustificantur.Quæ ideirco iustitia dei dicitur,quia eā impartiēdo fidelibus,iustos eos reddit,& hac ex fide, subaudi legis, in fidē sancti euāgelij,si ad Iudęos referas. Quia enim in lege vnius dei notitiā & fidē habuerūt,sicut dicitur in Exodo.q crediderūt domino & Moysi seruo eius,facilius ex fide & cognitione vnius dei ad euangeliū transeūtes, fidē sanctæ trinitatis perceperūt. Cōmuniter omnes credentes à fide verborū trāsiēt quādoq; ad fidē rerū,quia iuxta quod promittit euāgeliū fideliter exhibetur spei præmiorū, quando quod modo tenemus in fide & in spe,tūc possidebimus in re:iuxta quod beatus Ioānes dicit, Charissimi filij dei sumus in spe, & nondū apparuit quod erimus in re. Scimus autē quoniā cū apparuerit,similes ei erimus, quoniā videbimus eū sicuti est. *Sicut scriptū est: Iustus autē ex fide viuit.* ad hoc exemplū in oraculo abacuc prophetæ cōtinetur. Ex fide igitur quæ cōcipitur corde & profertur ore,& bonis operibus exornatur,viuit iustus vita æterna. Fides autē sine operibus mortua est. *Reuelatur enim ira dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiā hominū.* ira dei appellatur isto in loco vltio diei iudicij, & vindicta diuina, quā omnibus reprobis infert dominus in die illa dicēs illis:Ite in ignem æternū.Quæ vindicta diuina de cœlo manifestabitur,quia inde veniet dominus ad iudiciū, sicut ipse per seipsum dicit:Filius hominis veniet vt reddat vnicuique secundū opera sua,vel certè vindicta diuina de cœlo manifestatur, hoc est de ecclesia per tubā euangelij: quia ea quæ de die iudicij & domini aduentu diximus,ibi continētur. Cœli enim nomine ecclesia cēsetur. Sicut ipsa veritas dicit. Simle est regnū cœlorū decem virginibus.In apocalypsi quoque Ioānis multis in locis cœli nomine designatur. Potest & absolute intelligi,quod dicitur de cœlo manifestari diuinam vindictam, hoc est, de euangelio de quo dominus dicit:

Marc.16.

Exod.14.

1.Ioan.3.

Iacob.2.

Matt.15.

Matt.16.

Matt.25.

Simile

Simile est regnum cœlorum fermento,quod mulier abscōdit in farinæ sātis tribus,donec fermentaretur totū. Reuelabitur inquit,diuina vindicta,super omnē impietatem & iniustitiā. Impietas idololatriā significat,vt habetur in Zacharia.Impietas sedebit super talētū plumbi. Iniustitia est qua contra dominū & proximū quis iniuste agit,& est sensus.Vindicta quā domin⁹ in euāgelio cōminatur,venit super omnes idololatras & peccatores.Sequitur.*eorū qui veritatē dei in iniustitia detinēt.* Simplex veritas deus inuisibilis & incōmutabilis est:cuius religionē in iniustitia detinuerūt,qui cultū soli deo dignū creaturis corruptibilibus impendendū iudicarūt.Veritatē dei in iniustitia detinebant, qui veri dei religionē,atq; honorē iniuste, creaturæ quātū in ipsis erat attribuebant,dicētes lapidi, Deus meus es,& ligno, tu me genuisti: *Quia quod notum est dei manifestum est in illis.* Hinc iam cōtra philosophos istius seculi ex maxima parte loquitur apostolus,& est sensus.Ideirco ira dei omnipotentis veniet super reprobos,maximeq; super philosophos,quia quod notum est proprie dei est esse,scilicet quia ipse solus sit verus creator omniū rerum,manifestum est illis.Ex pulchritudine enim visibiliū operum cognitio opificis & maiestas innotuit philosophis:quia tam speciosæ creaturæ speciosiorem haberent creatorem,sicut fertur ab Hebræis de Melchisedec:quia considerata fabrica mūdi,vnū deum excellentiorē creaturis dixit: & ideo excellētiora,id est,panē & vinū deo obtulit vero. *Deus enim illis reuelauit.* Siue enim per naturale ingeniū & rationis donū atq; acumen studij, siue per occultā inspirationē reuelauit deus eis,quia nō hoc est creator quod creatura,quia creatores de⁹,creatura vero est factura dei. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mūdi, per ea quæ facta sunt, intellecta cōspiciuntur,* quod est dicere.Inuisibilia sacramenta omnipotentis dei à creatura mūdi.i.ab homine maximeq; à philosophis gētiū, per ea quæ facta sunt visibilia, intellecta siue percepta & cognita cōspiciuntur,nō oculis corporeis,sed oculis mētis intelliguntur. Per ea enim quæ facta sunt eius sacra inuisibilia: *sempiterna quoque eius virtus & diuinitas,* subaudis per ea quæ facta sunt visibilia,conspiciuntur mente, ab illis philosophis. *Ita vt sint inexcusabiles.* Virtus dei est quæ cuncta creata gubernat: diuinitas vero,quæ vni-

uersa replet: ideoque deus omnipotēs per naturale ingenium, & per ea quæ facta sunt visibilia, dedit philosophis multa cognoscere de diuinitate sua: vt illi adorantes idola creaturam videlicet pro creatore, inexcusabiles sint, & nō possint dicere, quia deū ignorauerint. Virtus enim dei quę sempiterna est, & diuinitas quę nihilominus æterna est, ex coniecturis creaturæ ostenditur. *Quia cum cognouissent deum* per naturale ingenium vel per creaturam inuisibilem, *non sicut deum glorificauerunt aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis*, id est, vani facti sunt à sua sapientia propter suam superbiam. *Et ad pristinos redierunt errores, ascribentes sibi facultatem* à deo datæ sapientiæ. *Et obscuratum est cor eorum insipiens*, Deum non glorificauerunt, siue non honorauerunt, quia maiestatem illius non publice prædicauerunt, neque docuerunt illum solum esse colendum, abiectis idolis. Gratias non egerunt, id est, laudes non retulerunt illi pro demonstratione summi & inuisibilis boni. Cor quoque illorum quod illuminatum est per naturale ingenium & per gratiam dei, postquā cœperunt idola & creaturam adorare pro creatore, obscuratum est per ignorantiam. Quid enim deterius & obscurius, quàm serpentes pro vero deo coli? *Dicentes enim se esse sapientes*, à semetipsis *stulti facti sunt*. in hoc cum ab illis non esset sapientia, à seipsis eam se habere putauerunt. Quod enim contulit illis diuina gratia gratis, abstulit vtique dum essent ingrati. *Et mutauerunt gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum & serpentium.* Omnis creatura quæ mutari potest in melius aut in deterius, corruptibilis est. Verbi gratia. Homo corruptibilis est quia corrumpitur per senectutem, per infirmitatem: ad extremum etiam quando per mortem redigitur in puluerem: deus vero omnipotens, qui nō potest mutari, aut in melius aut in deterius, sed semper idem & æqualis manet, incorruptibilis solus existit. *Cuius gloriam & culturam*, quæ soli conuenit ei qui deus est, mutauerunt homines in similitudinem aliorum hominum, vt Assyrij, qui simulachrum Beli patris Nini regis pro deo colebant: & Babylonij idipsum, quem vocabant Bel, Sydonij Baal, Iudæi Beelzebub, & Philistei zebet: & non solum in similitudinem hominis mortui & corruptibilis:

sed

sed etiam in similitudinem volucrum: sicuti Romani qui colebant anserem, & Aegyptij qui colebant accipitrem. In similitudinem quoque quadrupedum: sicut Aegyptij qui colebāt apim, hoc est vaccam albam. In similitudinem etiam serpentium, sicut Babilonij qui colebant draconem, & Aegpytij qui colebāt cocodrilum, qui est serpens aquaticus, natans in aqua vt piscis, pascens in terra vt bos. *Propter quod*, id est, quia cultum & religionem dei falsis imaginibus tradiderunt, & noluerunt ei gratias referre pro collatis sibi diuinitus donis, *tradidit illos deus in desideria cordis eorum in immunditiam*. id est, tradi permisit à seipsis, vel ire secundum desideria cordis eorum in immunditiam, *vt contumelijs*, id est, turpitudinibus libidinum, *afficiant* siue deturpent *corpora sua in semetipsis*. idcirco permisit eos ire in desideria cordis eorum, vt grauius punirentur. Quomodo permiserit illos deus secundum desideria delectationum suarum in sequentibus plenius refertur: *Qui commutauerunt veritatem dei in mendacium: & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in secula.* Veritatem dei in mendacium commutauerunt id est, cultum & religionem veri dei in idololatriā. Veritas enim est deus, mendacium vero idolum. aliter: Veritas quippe creata à deo est, ideoque ipsa creatura non est veritas, quam ipsi in mendacium conuerterunt dicentes solem & lunam aliasque creaturas deos esse, pro nihilo duputantes deum qui est benedictus in secula, veritatem dei in mendacium commutauerunt, quando veram creaturam à deo factam per mendacium dicebant esse quod non erat. Solem etenim & lunam dicebāt mendaciter deos esse, denegantes quod erant, quia non sunt dij, sed solummodo creaturæ in veritate. Creatura quippe à deo facta vera creatura est: sed nō est ea veritas quæ deus est, quia deus non est: qui est benedictus in secula. Si ergo ille est benedictus deus in secula, illi vtique qui cultum & religionem eius idolis impendebant, erant maledicti in secula. & temporales, id est, defectum & corruptibilitatem patientes: iuxta quod psalmus dicit de illis: Erit tempus eorū in secula, quod est dicere, Defectus eorū manebit in secula: quia semper corrumpentur ab igne & vermibus. Sequitur. *Propterea tradidit illos deus in passiones ignominiæ.*

Propterea, inquit, quia veri dei religionem in mendacium commutauerunt, tradidit illos deus, id est tradi permisit, vel ire in passiones & flagitia ignominiæ. Ignominia dicitur quasi qui sine nomine dignitatis. Inde dicitur ignominiosus qui desinit habere dignitatis nomen, quando deprehenditur in aliquo crimine: sicut ignobilis, sine bono nomine, & infamis sine bona fama, quales erãt illi de quibus subiungitur. *Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum qui est contra naturam. Similiter autem masculi relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desideriis suis, masculi in masculos turpitudinem operantes*, id est Naturalis vsus est vt vir & mulier in vnum cõcubitũ eoeant: Cõtra naturã veroest, vt masculus masculum polluat, & mulier mulierẽ. Si quis relicta coniuge cũ alia cõcubuerit, turpitudinẽ quidẽ operatur & peccat, sed nõ contra naturã. Qui vero cũ ipsa coniuge aliter quàm debet cõcubuerit. i. in alio mẽbro quàm decet, cõtra naturã turpitudinẽ operatur, & grauissimũ scelus perpetrat. *& mercedem quam oportuit in semetipsis recipientes*, id est, quia primũ deũ cognoscẽtes nõ honorauerũt, iusto dei iudicio mercedẽ mutuã receperũt sui erroris, vt nõ seruarẽt sibi honorẽ, traditi passionibus turpissimis. Siue etiã mercedem æternæ dãnationis receperũt, quã promeruerunt pro talibus operibus: de qua
Roma. 6. idẽ egregius prædicator alias dicit: Stipẽdiũ, inquiẽs, peccati mors est. *Et sicut non probauerũt*, id est nõ elegerũt nec dilexerunt, *deum habere in notitia, tradidit illos deus*, id est, ire permisit *in reprobum sensum, vt faciãt ea quæ nõ cõueniunt*, hoc est ouæ & diuinæ & humanæ prohibẽt leges. Illi dicũtur deũ habere in notitia qui eum semper tãquam præsentem timent: & dum considerant eius præsentiam vbique esse, peccare non audent. Illi autem dicuntur illum non habere in notitia, qui nolunt cõsiderare præsentiam illius esse vbique, vt sine timore liberius peccent. *repletos omni iniquitate*, iniquitas est, quæ & anomia dicitur, quicquid contra legem dei fit. Nam nomos lex, anomia vero quasi sine lege: & dicitur iniquitas mentis acerbitas, dum malum corde concipitur. Peccatum est perpetratio mali. Iniquitas autem & peccatũ ita distinguuntur, quia iniquitas ad mẽtis acerbitatem siue duriciam refertur, vt diximus: peccatũ autem ad prolapsionẽ corporis. *malicia*: Malicia autem est fraus

fraus aut astutia, quando videlicet aliud corde geritur & aliud ore profertur, Cogitatio non profertur. Cogitatio prauæ mentis malicia dicitur. Maliciæ votum vel opus, malignitas appellatur. *Fornicatione*. Fornicatio autem à fornicibus, id est, arcuatis domibus dicitur, quæ fornices appellabantur, vbi publicæ meretrices prosternebantur. Fornicator siquidem est, cuius corpus publicum & vulgare est. *Auaritia*. Auaritia est cupiditas rerũ inexplebilis, vel adulterium, & est in hoc loco non solum ad pecuniam, sed etiã ad coitum referendum. *nequitia*. Nequitia est superbia vel audacia peccati. Vnde dicitur: Ego noui nequitiam eorum, *plenos inuidia*. Inuidus dicitur plenus inuidia, qui alterius felicitate torquetur, & scinditur in duplicem passionẽ, cum aut quod ipse est, alium esse non vult: aut aliũ videns esse meliorem, dolet se non esse consimilẽ. Inter inuidiam autem & zelum hoc distat: quia zelus vel æmulatio quæ vnum sunt, aliquando in bonam partem ponitur, vt *4. Re. 19,* ibi: zelus domini exercituum faciet hoc: ponitur & in ma- *Gene. 37.* lam partem, sicut de Ioseph legitur, quod æmulantes siue zelantes eum fratres sui, id est, inuidentes illi vendiderunt illum. Inuidia vero semper in malam partẽ ponitur. *homicidio*. Homicidium dicitur ab homine & cædo verbo, inde dicitur homicida hominem cædens. Recte autẽ post inuidiam subsequitur homicidium statim, quia ex inuidia procedit homicidium. Verbi gratia. Diabolus cernens hominem ad hoc factum vt locum gloriæ acciperet, quẽ ille su- *Gene. 3.* perbiendo perdiderat, inuidia ductus interfecit illũ in anima. Similiter Cain inuidia cõmotus contra fratrem suum Abel, quia respexisset dominus ad illũ, inflãmando mune- *Eodem.* ra eius, ad ipsum vero non respexisset nec ad munera eius inflammando, interfecit illum. *Contentione*. Contentio est vbi non ratione aliquid, sed animi pertinacia defenditur: vel vbi nõ veritas quæritur, sed animositas, id est, superbia fatigatur Loqui cõtra alterũ sine aliqua vtilitate cõtentio maxima potest dici. *dolo*. Inter dolorem & dolũ hoc distat, quia dolor ad infirmitatem corporis pertinet, dolus vero est mẽtis calliditas, dict9 ab eo quod deludat verbis fictis. Inter dolũ autẽ & insidias & fraudẽ hoc interest, quia dolus animo fit, insidiæ loco sine zelo: fraus vero circa fidem mutuam. *malignitate*. Maliguitas est maliciæ opus quæ &

malenolentia potest dici. *susurrones* Susurro de sono locutionis nomen accepit, quia non in facie alicui, sed in aure loquitur, detrahendo: & est onomatopœia, nomen de sono factum. *detractores.* Quidam codices habẽt detractatores, sed falso scriptum est. Detractio est aliorum bene gesta opera vel in malum malitiose mutare, vel inuidendo fallaci fraude diminuere: cum autem mala dicuntur, quæ bona sunt, aut parua bona, quæ magna sunt. Detrahere enim dicitur, qui alicui aliquid subtrahere comprobatur & diminuere. *Deo odibiles* qui dei odium incurrunt, *contumeliosos* Contumeliosi dicuntur qui veloces sunt in verborum iniurijs, & aliis aut verbis aut factis iniuriam faciunt, verbis scilicet conuitiando, aut aliquid improperando: factis vero
Actu.5. flagellando. Vnde legimus de apostolis, quia flagellati in consilio ibant gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. id est, flagellationem & contumeliam & opprobrium. *superbos.* Superbus est peruersæ celsitudinis appetitor, & qui præcellere vult alios. Vnde græco vocabulo hyperphanos, id est, super apparens vocatur. *elatos* Elatus qui effertur supra mensuram suam vel qui maiorum institutis non acquiescit. *inuentores malorum* qui multa mala adinueniunt sicut illi erant, de quibus hactenus diximus. *parentibus non obedientes* Parentibus terrenis non obtemperant, qui vero deo patri non obedientes existunt. *insipientes* sunt stulti & fatui à sale sapientiæ immunes. *incompositi.* id est, inordinati lasciuique: qui omnia sua inordinate & lasciuiose peragunt. Omnis enim insipiens, incompositus, inordinatus est. *sine affectione* id est, sine dilectione dei & proximi. Est affe-
Mat.22. ctio quæ ponitur pro afflictione, vt in euangelio vbi dicitur, quod seruos contumelijs affectos, id est afflictos occiderunt, & est affectio quæ ponitur pro dilectione: vt in præsenti loco, *absque fœdere.* hoc est amicitia & pace. *sine misericordia,* Sunt qui nec sui nec aliorum miserentur. Primum enim necesse est vt nobis misericordiam impen-
Eccle.30. damus, deinde vero alijs. Vnde dicit Salomon: fili miserere animæ tuæ placens deo, *Qui cum cognouissent iustitiam dei, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte.* Omne quod turpe est, deo displicet. Et philosophi licet mala agerent, tamen in hoc erant consentientes iusticiæ dei, quia

quia in alijs ipsa vitia reprehendebant. Iustitia quippe dei est, quæ odit ac detestatur vitia, & docet virtutes. Quam iustitiam illi cognouerunt, qui vitia deo displicere intellexerunt, & tamen in hoc ignorare dicuntur, quia non intellexerunt quoniam qui talia agunt, qualia ipsi agebant, digni sunt morte æternæ damnationis, & quasi non intellexerunt, dum sine timore peccauerunt *non solum qui ea faciunt,* subaudis digni sunt morte, *sed etiam qui consentiunt facientibus* Qui facit peccatum & non consentit, dignus est morte. Qui non facit & consentit in subditis non puniendo, dignus est morte. Qui autem faciunt & consentiunt, illi duplici morte digni sunt.

CAPVT. II.

Propter quod, quia nõ solum ille dignus est morte qui facit peccatũ, sed etiam qui consentit, *inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas* Hic non tantum gentilem quemlibet, sed & iudæum alloquitur, & omnes generaliter prælatos. Iudæos ideo alloquitur quia illi reprehendebant & damnabant gẽtiles qua si idolatras & peccatores, gloriantes se ad gratiam euangelij propter obseruantiam legis meruisse peruenire, Prælatos autem, quia in alijs peccatum iudicant & reprehendunt, intelligentes esse peccatum, & in se non damnant, cum faciant idipsum. Sic etiam intelligendum est de omnibus qui aliorum vitia reprehendunt, & in se eadem non emendant *In quo enim iudicas alterum teipsum condemnas.* Hoc ita est intelligendum: Si reprehendis & iudicas aliũ & temetipsum ab his vitijs, à quibus illum reprehendis, obserues & ab alijs teipsum liberas: si vero ea opera imples aut maiora à quibus reprehendis fratrem tuum, in quo illum iudicas, teipsum damnas, quia ea facis quæ iudicas. *Scimus enim quoniam iudicium dei est secundum veritatem,* id est, sine personarum acceptione, *in eos qui talia agunt,* hoc est qui talia faciunt, qualia in alijs reprehendunt. In præsenti seculo attendunt homines personas potentum, diuitum, propinquorum in iudicio: sed dei iudicium in hoc verum est, quia qui alium iudicas, quandoque iudicaberis, & rectè: quia ipse qui rex est non attendit

personas, sed vitæ meritum. *Existimas autem hoc ô homo omnis qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis cõtemnu? Ignoras quoniam benignitas dei.* id est, valde bona pietas dei, *ad pœnitentiam te adducit?* Ad Iudæos quidem loquitur specialiter, qui reprehendebant & damnabãt gentiles quasi idololatras, sicut iam supra diximus: se autem promeruisse hoc dicebant, vt ad fidem Christi venirent: generaliter vero omnes alloquitur, tam Iudæos quã gentiles: Et est sensus. Si seruus aut subiectus tuus nõ valet effugere iudicium tuum ô homo, humana tantummodo sapiens, quomodo tu poteris effugere iudicium omnipotẽtis Dei? Diuitiæ bonitatis dei sunt, quibus vniuersum mũdum quotidie peccantem non statim punit, expectans illum ad pœnitentiã, sed insuper illi benigna largitate solé & pluuiã largitur, quæ plerunque homines contemnunt siue despiciunt, dum ei gratias non referunt. Patientia est qua per superbiam & procacitatem peccantes nõ statim punit. Lõganimitas est, quæ alibi subsstentatio siue sustinẽtia vocatur. qua per infirmitatem & fragilitatem, & non deliberato animo peccantes diu portat, expectans illos ad pœnitentiã. *Secundum autem duriciam tuam & impœnitens cor thesaurizas,* id est reseruas & multiplicas tibi *iram in die iræ* hoc est, vindictam in die iudicij, *& reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua,* bonis bona, malis mala. Dies iræ & reuelationis siue manifestationis iudicij, ipsum iudicium & manifestatio iudicij omnipotentis dei intelligitur. Cor durum & impœnitens in scripturis diuinis dicitur, cum mens humana velut cera frigore iniquitatis obstricta, signaculum diuinæ maiestatis non recipit, illud scilicet, quod dominus in anima nos habere docet, dicens. Sancti estote: quia & ego sanctus sum. Et de quo Psal. Signatum, inquit, super nos lumen vultus tui domine. *Hu quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus, vitam æternam.* Ordo verborum, & est sensus cum subauditione: his quidem qui secundum patientiam boni operis, modo laborant aut viuunt, quærentibus vitam æternam, id est iudicium dei expectantibus, qui de bono suo non modo, sed in futuro mercedem quærunt gloriam & incorruptionem

Leuit.16. *Psal.4.*

ptionem dabit in die iudicij. Gloriam claritatis dabit eis, qua fulgebunt sicut sol in regno patris sui: honorem quoque quo filij dei erunt, sicut dicit beatus Ioannes: Charissimi, filij dei sumus, & nondum apparuit quod erimus. Scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Incorruptionem quoque dabit illis, id est, immortalitatem, quia erunt omnes electi incommutabiles in anima, & incorruptibiles in corpore. *his autem qui ex contentione* subaudis sunt, id est, qui dei iudicium reprehendunt. *& qui acquiescunt veritati* id est euangelio vel Christo, *credunt autem iniquitati* hoc est mendacio, omnique malo vel etiam diabolo eius voluntatem implendo, *ira* id est, iudicium dei veniet *& indignatio* hoc est vindicta siue scueritas damnationis *tribulatio,* quoque veniet eis de rearu conscientiæ & consideratione peccati, *& angustia* de sera pœnitentia. Hæc autem omnia venient *in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci.* in omnem animam dicit, hoc est totum hominem, à parte totum intelligens: frequens enim Apostoli locutio est, vt est illud, Descendit Iacob in Aegyptum in animabus septuaginta: vel etiam in animam dicit quia primum peccatum concipitur in animo cogitando, ac deinde perpetratur opere. Sed timendũ, nimisque formidandum est quia dicit, In omnem animam hominis operantis malum, hæc esse ventura. Nulli enim parcit deus, non angelo, non amico. Peccauit siquidem angelus. & proiect⁹ est de cælesti sede. Peccauit item homo, & ipse expulsus est à paradisi gaudiis. Peccauit Moyses ad aquas cõtradictionis, ideoq; nõ est ingressus terrã repromissionis. Idcireo autẽ Iudæus gẽtili in culpa antefertur, quia ipsi qui legem Moysi ante habuerũt, grauius peccauerũt, legem naturalẽ & legem scriptã preuaricãdo. In gloria vero non causa honoris præfertur Iudæus gentili, sed credulitatis tempore. *Gloria autẽ,* quia fulgebũt iusti in regno dei sicut sol: *& honor* quo erunt filij dei, *& pax* id est, remissio peccatorũ, siue reconciliatio qua reccõciliamur deo patri *omni operãti bonum* subaudi venit. *Iudæo primum & Græco:* quia primitiæ ecclesiæ ex Iudæis fuerunt. *Non est enim personarũ acceptio apud deum.* Tunc esset personarum acceptio siue distinctio apud deum, si propter Abrabam Iudæos eligeret: & gentiles diu idola colen-

1. Ioan. 3.

Gene. 16. *Deut. 10.*

tes,alij ceret.vel si remuneraret Iudæum bene viuentem, & negligeret gentilem recte credentem,& recte operantem. *Quicumque enim sine lege* vel Moysi,vel euangelij *peccauerunt* sicut pagani, *sine lege peribunt*: quia non requiretur ab illis lex,peribunt tamen,quia legem naturalem spreuerũt, & euangelium recipere noluerunt: *& quicumque in lege* Moysi *peccauerunt* positi. *per legem iudicabuntur* quoniam sunt prævaricati, *Non enim auditores legis iusti sunt apud deũ,sed factores legis iustificabuntur*,hoc est iusti habebuntur & iusti apparebunt:sicut ille volebat, *de quo dicitur*, Volens autem iustificare semetipsum,id est volens iustum apparere. Qui audit legem & non implet præcepta eius,non iustificabitur solummodo propter auditum. qui vero est auditor legis & factor: vtique ille iustificabitur per legem. *Cum enim gentes quæ legem non habent,naturaliter quæ legis sunt faciunt,eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus eorum.* Hoc dupliciter intelligi potest.Cum gentes quæ legem scriptam non habent, faciunt ea quæ lex scripta præcipit illis quibus data est,ipsi vtique ostendunt se habere scriptam naturalem legem in cordibus,& ipsi sibi sunt lex: quia illa faciunt quæ lex docet, licet illis non sit data. Verbi gratia.Saraceni qui neque legem Moysi, neque euangelij habent,dum naturaliter seruant legem, ne homicidium faciant,neque adulterium perpetrent, cætera quæ lex in se scripta continet, ipsi sibi sunt lex, quoniam per opera quæ faciunt, scriptam legem in cordibus suis ostendunt Lex dicit,Non occides.Is qui legem non accipit,si non occidit,ipse sibi est lex.Aliter: Cum gentes quæ legem Moysi non habent per doctrinam euangelij imbuti,naturaliter ea faciunt quæ lex Moysi præcepit,ipsi sibi sunt lex, quia habent eandem legem Moysi scriptam in cordibus suis inspiratione omnipotentis dei. *testimonium illis reddente conscientia ipsorum. & inter se inuicem cogitationum, accusantium aut etiam defendentium.* Et quando hoc? *in die cum iudicabit dominus occulta hominum secundum euangelium meum* id est,secundum quod ego annuntio vobis *per Christum Iesum.* Per illum iudicaturus est deus pater mundum,sicut ipse dixit:Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.Sicut stylo imprimitur

Luc.10.

Deut.5.
Exo.5.
Leui.9.

Ioannis.5.

primitur nota in cera,sic quædam notæ malarũ aut bonarum cogitationum figuntur in mente & conscientia nostra, quæ aut accusabunt,aut certe defendent nos in die iudicij, quando non solum aperta,sed etiam quę modo sunt nobis occulta iudicabuntur.In hoc ergo testimonium nobis perhibebit conscientia nostra,quia manifestabit nobis vtrum plura peccata sint,an bona opera: & vtrum vetera an noua. vtrũ deleta per pœnitentiam,an nouis sceleribus cumulata. *Si autem tu Iudæus cognominaris.* subaudis à Iuda patriarcha, *& requiescis in lege* illam legendo,meditando,& secũdum tuam falsam doctrinam intelligendo, *& gloriaris in deo*,hoc est,in vnius dei notitia. *& nosti voluntatẽ eius* per ipsam legem, *& probas vtiliora instructus per legem*,& cætera vsque ad id,te dico, *habentem formam scientiæ & veritatis in lege*,id est, similitudinem quidem habentem scientiæ, sed non veritatem prudentiæ:quia Christo non credis.Ad infidelem Iudæum loquitur,qui gloriatur quasi in cognitione dei vnius, & in circuncisione, & ptobat vtiliora in lege Moysi, *& putat se esse ducem cæcorum*, id est,gentium,quæ erant cæcæ in infidelitate ignorantiæ & peccatis, sicut & illi fuerunt olim,quibus idem Apostolus loquitur. Fuistis aliquando tenebræ,nunc autem lux in domino.Bene dicit, quia probat vtiliora in lege Moysi.In lege autem naturali vtilia sunt,quæ dicit: Quod tibi nõ vis fieri,alteri ne feceris,licet in lege scripta erant vtiliora, quia ibi est cognitio dei,in euangelio autem vtilissima. Gentiles enim quodam modo vtilia cognoscebant per naturalem legem. Iudæi verõ per legem naturalem & per legem Moysi scriptam vtiliora,fideles autem in nouo testamento vtilissima cognoscunt,quia habent fidem sanctæ trinitatis. *Qui ergo alium doces,teipsum quare non doces?* Hoc increpatiue est legendum,& cum subauditione huiusmodi: O Iudæe, qui alium doces,teipsum quare non doces? *qui prædicas nõ furandum,* quare *furaris* bona alterius?vel etiam qui prædicas legem, quare furaris de lege spiritalem intelligentiam? *qui dicis non mœchandum,* quare *mœcharis*? Mœchus est adulter,& non solum ille dicitur mœchus, qui vxorem alterius violat, sed & ille qui cultum & religionem quæ soli Deo conuenit,quantum in se est,falsis superstitionibus tribuit. Et est sensus. Qui dicis alterius vxorem non debere adul-

Eph.6.

terari, quare adulteraris? vel etiam qui dicis deo debere seruiri, quare deseruis vitiis? *qui abominaris*, id est, respuis vel odio habes *idola*, quare *facis sacrilegium*. Legere siue sublegere, est furari. Inde sacrilegium dicitur sacrarum rerum furtum, Verbi gratia. Quisquis de thesauro ecclesiæ, vel de substantia deo famulantium aliquid occultè abstrahit, sacrilegium perpetrat. Spiritualiter verò sacrilegium est sacrorum verborum præuaricatio. *Qui in lege gloriaris*, quare *per præuaricationem legis deum inhonoras*? deus inhonoratur, dum voluntas & iussio illius calcatur, & pro nihilo ducitur. Sic dicitur inhonorari rex vel quælibet potestas: dum epistola illius non obseruatur, præceptúmq; eius non custoditur. *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est*, in Isaia. Captiuatus est populus Israel in Assyrios & in Babylonem cæteraque gẽtes. Nomen dei per illos blasphemabatur, quia dicebant hostes illorum cum irrisione: Ecce quem deum colebatis, qui non valuit vos liberare de manibus nostris: vere idola nostra victricia fuerunt dei vestri. Similiter quando deprædatur sancta ecclesia ab hostibus, & quando illi qui nomen sanctitatis deberent habere, male viuunt, blasphematur nomen dei, quia dicunt Iudæi atque pagani: Ecce populus domini, ecce apparet quales seruos habet Iesus vester. *Circumcisio quidem prodest, si legem obserues.* In hoc loco non est sequendus Claudius, Sed potius Ambrosius. Huiusmodi circumcisionem hoc in loco pro ipso genere gentis accipe, hoc est pro genere Abrahæ, à quo ille populus originé carnis trahit, à quo etiam ipsa circumcisio exordium sumpsit. Hanc enim habet Apostolus cõsuetudinem, vt Iudæos circumcisionem, gentes autem præputium appellet. Et est sensus. O Iudæe, tunc prodest tibi quod de genere Abrahę es & de genere circumcisionis, à quo ipsa circumcisio exordium sumpsit, si legem spiritualiter intelligens credis in Christum, cui lex testimoniũ perhibet: & si circumcisionẽ non carnaliter, sed spiritualiter obseruas, alioquin nõ prodest esse de genere Abrahæ, sed magis obest tibi. Promittens enim lex Christum, dicit per Iacob. Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentiũ, & per ipsum legislatorem prophetam suscitabit dominus vobis de fratribus *Gene. 41.*

tribus vestris, quẽ tanquam meipsum audietis, iuxta omnia quæ dixerit vobis. De circũcisione quoq; spirituali: in diebus (inquit) nouissimis circuncidet dominus cor tuum, & non carnẽ tuã. *Si autem præuaricator legis sis*, i. si non credis in Christũ quem lex promittit, & si circuncisionẽ spiritualiter nõ seruas: *Circumcisio tua præputiũ facta est*, talis es qualis & gentilis, qui legẽ non habet, quia qui debueras esse Iudæus credendo in Christũ, & legem spiritualiter implendo, similis effectus es gentili, ideóque in gentilitatem reputaberis. Vnde dicit dominus per prophetam: Chermel in saltum reputabitur, circuncisio videlicet in gentilitatem. *Deut. 18.* *Deut. 30.*

Si igitur præputium legis iustitias custodiat, nónne præputium illius in circumcisionem reputabitur? Sensus iste est: Si gentilis quilibet legem custodiat credendo in Christum, circuncisionem spiritualiter obseruando, cæteraque quæ lex præcipit spirituali intelligentia custodiendo, nunquid gentilitas illius non reputabitur in circuncisionem? vtique, quia verus ille Iudæus erit, id est, cõfitens Christum. Vnde prophęta dicit: Conuertetur Libanus in Chermel, id est, gentilitas in circuncisionem veram: Libanus enim dealbatio dicitur, Chermel verò scientia veræ circuncisionis. Libanus ergo in Chermel conuersus est: quando gentilitas dealbata in baptismate locum obtinuit Iudæorum, scientiam veræ circuncisionis habens. *& iudicabit id quod ex natura est præputium legis consummans*, id est, perficiens *te qui per literã & circumcisionem præuaricator legis es.* Præuaricator legis est, qui in Christũ non credit. Ex superioribus ista pendẽt & est sensus. Nunquid ille qui naturaliter gentilis est, & legem consummat siue perficit & obseruat, non iudicabit te cõparatione, scilicet melioris facti. quia per literalẽ intelligentiam & circuncisionem carnalem, legem præuaricaris: vtique dãnabit te sicut diximus, quia ille spiritualẽ intelligentiam in lege seruando requirit, tu semper carnali intellectu delectaris superficiem tantummodo lingendo.

Non enim qui in manifesto Iudæus est, subaudis placet deo. *neque circumcisio quæ in manifesto & in carne est* placet deo, *sed qui in abscondito*, id est, qui in corde, *Iudæus est*, placet deo. *Et circumcisio cordis in spiritu, non litera*, subaudis placet deo. *cuius*, subaudis Iudæi *laus non ex hominibus, sed ex deo est*. Carnalis circuncisio quæ manifestata atque secundum

literam explanatio vel expoliatio carnis est, illa laudatur ab omnibus Iudæis: circuncisio vero cordis, quę fit in spiritu, est ablatio infidelitatis & susceptio fidei Christi, atq; expoliatio vitiorum. Et est sensus. Qui tantummodo genere & nomine est Iudæus, & circuncisionem carnaliter obseruat, nō placet deo, neq; meretur laudari ab illo, quanquam ab hominibus laudetur: qui verò in occulto in corde est Iudæus, id est, confitens Christum, & in corde est circuncisus ab omni infidelitate, & ab omni mala voluntate & cogitatione, placet deo, & meretur laudari à deo audiens ab illo: Euge bone serue & fidelis intra in gaudium domini tui,

CAPVT III.

Vid ergo amplius est Iudæo? subaudis quā gentili propter circuncisionem: *aut quæ vtilitas circuncisionis? multum per omnem modū*, id est, per multas causas, *Primum quidem.* In hoc subaudis, profuit illis. *quia credita sunt illis eloquia Dei.* Erant apud Ro. Iudæi & Gentiles in Christū credentes, sed plus habuerunt Iudæi ante domini aduentum quàm gētiles, quia illis credita sunt eloquia dei. Et est sensus. Quid boni percipit Iudæus propter circuncisionē plusquā gentilis, aut quæ maior vtilitas est Iudæo circuncisō quā gentili incircuncisō? *Exod.16.* multū per omnes causas profuit illi, quia meruit legem ac- *Num.34.* cipere, manna suscipere de cœlo, in terram intrare omni- *Exod.28.* bus melioré, regnū & sacerdotiū possidere, vnde dicit Apostolus: Quid primū profuit eis, quia legem & prophetiā meruerunt accipere? *Quid enim?* subaudis nocuit, *si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem dei euacuauit? Absit.* Hoc tripliciter potest intelligi. Quid in- *Num.11.* quit, nocuit Iosue, & Caleph, aliisque qui terram repromissionis meruerunt accipere, si sexcenta milia non crediderunt, sed perierunt propter suam incredulitatem? Nūquid incredulitas & perditio illorū fidem dei, id est, repromissionem dei euacuauit, aut inanē fecit quod dixit Abrahæ, *Gene.25.* terram istam tibi dabo & semini tuo. Nihil eis nocuit, quia ipsi non sunt frustrati promissione dei. Aliter, Si quidā illorum non crediderunt, sed mortui sunt in deserto, nunquid mors illorum promissionem dei inanē fecit, quā promisit Abrahæ dicens de Christo, in semine tuo benedicē- *Gene.20.* tur omnes gentes: Nónne quia remāserunt ex ipsis de quorum progenie postmodū Christus natus est? Aliter. Quāuis multitudo Iudæorū in aduentu Christi non crediderit, tamen non est euacuatum quod promissum fuerat Dauid. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, quia super *Psal.131.* credentes ex Iudæis sedem principatus accipit Christus. Sed neque illud euacuatum est quod promisit per prophetas. Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, re- *Esa.10.* liquiæ saluæ fient: *Est autem deus verax, omnis autem homo mendax.* Deus autem verax est, quia quod promisit illis dare terram repromissionis, opere compleuit. Similiter quod promisit Abrahæ de Christo, quia in semine eius benedicē dæ forēt omnes gentes, & quod promisit Dauid, de fructu lūbi eius sessurum regē super sedem regni eius, & per aliū prophetā de salute reliquiarū, totum compleuit. Omnis autem homo contradicēs promissionibus dei mendax est: vel omnis homo in quantū à seipso est, mendax est, inquantū verax à Deo *Sicut scriptum est: vt iustificeris in sermonibus tuis: & vincas cum iudicaris.* Iustificeris, id est, iustus prædiceris & verax in tuis promissionibus, & vincas explendo illas, *1.Reg.11.* dum iudicaris à populis. Dauid postquam factus est adulter & homicida, vxorem Vriæ accipiendo, & illum gladio filiorum Amon interficiendo, dicebant multi: Vacua efficietur promissio omnipotentis dei, quæ facta est ad Dauid quod ex semine illius esset Christus nasciturus, quia non conuenit Christum nasci de homicida & adultero, sed falsum erit quod sibi pollicitum asserebat. Quod si & Christus de eius semine fuerit natus, iniustum atque indignum erit, vt de malefico & peccatore homine originem ducat. Qui contra confitetur peccatum suum, dicens humiliter: *Psal.50.* Tibi soli peccaui, quia rex sum, & malum coram te feci, & deprecatur vt deus quod promisit opere compleat, contradicentésque mendaces ostendat. Aliter: Iustificeris indulgentiam peccati dando ad te conuersis sicut promittis, & vincas remittendo peccata dum iudicaris nō posse dimittere. *Si autem iniquitas nostra iustitiam dei commendat, quid dicemus?* Etāt quidā minus perfecti, qui dicebant ideo velle deum vt nos peccemus: vt ipse solus comparatione nostri iustus appareret, dum peccatum nobis dimitteret: & quia

misericors sit, patefaceret, ideo etiam velle eum vt nos mé
tiamur vt ipse solus verax inueniatur. Quod si ita esset, iniu-
stè damnaremur ab illo, qui malo nostro crescret magnúsque fieret. Contra illos tales loquitur Apostolus, personam stulti hominis assumens, simúlque sapientis, & peruersam illorum sententiam destruit. Si, inquit, iniquitas nostra & mendacium Dei iustitiam & sanctitatem atque veritatem commendat, id est, laudabilem facit, quid dicemus? Commendatio aliquando pro laude ponitur, vt in hoc loco. Et alibi idem Apostolus ait: Ego debeo à vobis cómendari, id est, laudari. Subiungit ergo & dicit: *Nunquid iniquus est deus qui infert iram?* id est, vindictam. Et est sensus: Si nostra iniquitas & mendacium deum laudabilem facit, & si quanto amplius peccamus, tanto ei placet, & eo amplius ipse solus iustus & verax apparet, nunquid iniquus est deus inferendo vindictam pro malis quæ ille vult vt faciamus? secundum quod stultissimi dicunt: Omnino si ille vult vt peccemus (sicut quidam stultorum dicunt) quod nephas est insuper cogitare, quando damnat hominem peccatoré, iniquus est qui iniustè iudicat: potius enim deberet illum honorare, cuius iniquitas illum laudabilem facit, sed quia hoc verum non est, subdit Apostolus. *Secundum hominem dico*, id est, secundum intelligentiam carnalis hominis, qui nihil boni cogitare valet. Addit adhuc: *Absit.*

2. Cor. 12.

Hoc iungendum est ad superiora, vbi dixit, Nunquid iniquus est deus qui infert vindictam? Absit: subaudis hoc quod aliquis fidelium cogiter, quia deus iniquus sit, & quia nostra iniquitas faciat illum laudabilem. *Alioquin quomodo iudicabit deus hunc mundum?* id est, si deus hoc vult vt nos iniusti simus, quare iudicabit homines qui quando peccant, eius voluntatem adimplent, & quorum iniquitas illũ laudabilem facit? *Si veritas dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius, quid adhuc tanquam & ego peccator iudicor?* Et est sensus: Si deus in meo mendacio verax apparet, & dum ego mentior ipse solus verus esse prædicatur, quare damnat & iudicat me tanquam peccatorem? Hæc verba non dicuntur affirmando, sed potius denegando, nec debet hoc aliquis pro veritate accipere, quod deus qui naturaliter & essentialiter iustus est, misericors & verax, nostro peccato, nostro mendacio crescat in laudem & iustitiam

tiam, quia non placet ei quandoque cum peccamus & mentimur: *Et non prædicamus sicut blasphemamur*, subaudis ab infidelibus, *& sicut aiunt quidam*, infidelium, *nos dicere, Faciamus mala vt veniant bona, quorum damnatio iusta est.* Quidam simplicium minusque perfecti audientes prædicationem Pauli & aliorum apostolorum qua dicebant, vbi abundauit iniquitas, superabundauit gratia: quæ sententia in subsequentibus exponenda est, vbi debuerunt accipere salutem & vitam, ibi acceperunt damnationem, non recte intelligentes illud: dicebant enim faciamus mala (sicut apostoli nostri prædicant) quia quanto amplius maiora crimina commiserimus, tanto amplius maiora bona percipiemus, & maiorem gloriam: quia deus vult vt peccemus: vt per hoc habeat quod dimittat, ac per hoc iustus, & misericors appareat. Contra tales protulit Apostolus sententiam: Quidam dicunt quod nos ista dicamus, sed non sumus tales quales dicimur & blasphemamur, neque docemus illa quæ nos dicunt docere: quorum damnatio est iusta: si illi in talibus permanserint, vt per mala sperent accipere bona, & insuper quia mendacium de nobis sentiunt. Nos autem non debemus dicere, faciamus mala vt veniant bona: sed fecimus mala & venerunt nobis bona per gratiam dei, & nunc faciamus bona vt veniant meliora. *Quid igitur? præcellimus eos? Nequaquam.* Reuertitur iterum ad superiora, vbi dixit non quidem amplius Iudæo quàm græco. Quid igitur? Præcellimus eos? id est nunquid excellentiores sumus nos Iudæi gentilibus? Nequaquam, quia non est personarum acceptio apud deum, sed in omni genere qui timet deum acceptus est illi. *Causati enim sumus Iudæos & græcos*, id est, causam ostendimus eis & diximus *omnes* Iudæos & gentiles, *sub peccato esse*, quia Iudæi præuaricando legem naturalem & scriptam, & gentiles naturalem transgrediendo, inuenti sunt peccatores, *sicut scriptum est. Quia non est iustus quisquam*, subaudis à se, vel in omnibus malis hominibus. Iudæis & gentibus, non est iustus quisquam. Tale est & illud: Testimonium eius nemo accepit, cũ multi electorũ acceperint, reproborũ vero nemo, *non est intelligens deũ, non est qui requirat illum.* Ille intelligit & requirit deum

Ioan. 3.

qui voluntatem illius sciens, studet placere deo. *Omnes*, Iudæi & gentiles, *declinauerunt*, id est, recesserunt à deo, voluntatem eius non faciendo, *simul inutiles facti sunt*, id est nihil facti sunt creaturam adorantes pro creatore, *non est qui faciat bonum*, aliquod & non peccet, *non est vsque ad vnum*, id est præter Christum, vel vsque ad Christum. Sic enim soliti sumus dicere. Ager ille pertingit vsque ad mare. Quo dicto non comprehendimus mare, quia non intrat in mare, sed locum pertingentem vsque ad mare. Non est ergo qui faciat bonum vsque ad Christum, id est, quousque ad illum veniat credendo, per quem datur fides & facultas operandi bonum. Nisi enim ad Christum veniat credendo in illũ, aliter bonum opus implere non valet, vt est agendum. *Sepulchrum patens est guttur eorum*, hoc de Iudæis proprie intelligitur, quamuis & de philosophis possit accipi, sepulchrum ad hoc patet, vt mortuorum corpora suscipiat. Tales sunt qui suis erroribus & suasionibus alios decipiunt, & alios ad malum deglutiunt interficientes eos in anima, sicut Scribę & Pharisęi & philosophi gẽtium, quorum ora & fauces ad hoc patebant, vt simpliciores quosque sua praua doctrina interficerent. Aliter. Sepulchrum quilibet patens existit, qui malum apertis iudiciis cogitando meditatur, ac deinde in præsentia sine aliquo metu aut verecundia operatur, *linguis suis dolose agebant*. Dolose agebant Iudæi, quando volebant dominum
Matt.22. callide suis sermonibus decipere dicentes: Magister, scimus quia verax es, &c. *Venenum aspidum sub labiis eorum*. Aspis mordendo infundit venenum, quod pene omnibus venenis acerbius est, ita Iudæi mordendo infundebant venenum quodammodo erroris & suasionis, dum loquendo & blandiendo interficiebant suos auditores in anima: & non solum in alios, sed etiam aduersus Christum crudelissima extitit eorum malitia. Sub labiis autem dicit, id est, corde, vbi concipiuntur semina malitiæ & blasphemiarum, ac postmodum proferuntur ore, iuxta quod
Matt.7. veritas dicit: De corde inquiens exeunt cogitationes malæ, &c. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est*, os Iudæorum plenum maledictionis, infidelitatis, peruer-
Ioã 7. 10. sæque doctrinæ erat, quando dicebant de Christo, Dæmo-
Idem. 11. nium habet, & quando maledicebant cæco, dicentes: Tu discipulus

discipulus illius sis, qui & fabri filius est & Samaritanus, & cætera talia, quibus verbis prouocabant deum ad amaritudinem. Vel certe vt amaritudinem referamus ad domini passionem, os Iudæorum repletum fuit amaritudine, quando clamauerunt dicentes: Crucifige, crucifige eũ, reus est mortis. *Veloces pedes*, fuerunt, *eorum* ad effundendum sanguinem, quia semper fuerunt prompti ad effundendum sanguinem prophetarum & iustorum. Et non solum occiderunt seruos: sicut Isaiam, Ezechielem, Ieremiam atque Zachariam, sed etiam prophetarum dominũ. Ergo quia hoc fecerunt, venit super eos *Contritio*, id est, afflictio à Romanis, quam pertulerunt in corporibus, *& infelicitas in viis eorum*, id est, miseria quam sustinuerunt, *in corpore & anima, pro viis*, id est, actionibus suis malis. *Et viã pacis non cognouerunt*, id est, mediatorem dei & hominum, qui pacem attulit mundo: & dixit: Ego sum via. Non co- *Ioan. 14.*
gnouerunt ad hoc vt in eum crederent, ignorantes eum ad hoc venisse, vt per suam passionem reconciliaret illos deo patri. Vel pacis viam dicit, id est, actionem iustam nõ elegerunt, vt agerent condignam pœnitentiam, per quam *Matt.3.*
pacificamur deo patri, iuxta quod dominus dicit: Pœnitentiam agite, appropinquabit vobis regnum cœlorum. *Non est timor dei ante oculos eorum*. Timorem dei præ oculis mentis semper habet, qui deum & dominum suum præsentem considerat esse, & vbique: & dum præsentiam illius recolit, peccare metuit, ideoque nequaquam illum offendit. Sed quia Iudæi istum timorem ante oculos non habuerunt, ideo offenderunt. *Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt, loquitur*. Lex genetaliter appellatur vetus testamentum, aliquãdo tamen in tria diuiditur, vt in euangelio, vbi dominus dicit: Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, *Mat.24.*
& psalmis de me: Aliquãdo vero in duo, vt ibi: Lex & pro- *Idem. 11.*
phetæ vsq; ad Ioannem, id est, vsq; ad Christũ, cui Ioannes *Ioan.10.*
testimoniũ præbet. Nonnunquã psalmi lex vocantur, sicut dominus dixit, In lege vestra scriptũ est: Ego dixi dij estis. Et alibi. Sed vt impleatur sermo qui in lege eorũ scriptus est. Quia odio habuerũt me gratis: ita & hic legem appellat Apostolus psalmos, in quibus prædictum fuerat de Iu- *Ioan.15.*
dæis: dixit insipiens, id est populus Iudæorũ videns Chri- *Psal. 25.*

stum præsentem in carne, non est deus. Ergo Apostolus, vt ostenderet ea quæ superius dixit de psalmo, proprie ad Iudæos pertinere, qui gloriabantur de nobilitate generis & vitæ meritis, quasi Christum ipsi non occiderint, vel dãnauerint, sed obseruatores essent legis mandatorum: propter quæ omnia se volebant gentibus præponere, dixit: Scimus autem quoniã quæcunque lex, id est, psalmi isto in loco, loquitur, his qui in lege sunt, loquitur, id est, Iudæis legem habentibus, Ideoq; non debent gloriari Iudæi in sua iustitia, nec præferre se gentibus, sed potius se reos intelligentes, subdere se debent deo: cuius gratia sunt vocati, sicut & gentes. quia reuera præuaricatores existunt scriptæ & naturalis legis, ac si diceret Apostolus: O Iudæi nolite gloriari nolite vos extollere aduersus gentiles: quia ista quæ dixi de psalmo, ad vos specialiter pertinent, vobis enim loquitur lex, quibus specialiter data est: *Vt omne os obseruetur & subditus fiat omnis mundus deo*, ac si diceret aliis verbis Idcirco dixit lex psalmorum, quia non est iustus quisquam, non est qui faciat bonum. Vt omne os Iudæorũ & gentilium claudatur: ne quis possit gloriari se suis esse saluatum meritis non gratia dei: quoniam omnes inuenti sunt peccatores, quod gratia dei sunt saluati, non suis meritis. Subditus debet esse omnis mundus deo, reatum suum agnoscendo, & medicinam salutis quærendo. Lex itaque Iudæorum est proprie, sed extenditur quoque ad gentiles quasi ad alienos, quia ipsi dixerunt idola colentes. Non est deus, scilicet præter illos quos colimus & veneramus. *Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Lex Moysi bifariam diuiditur, quoniam in mysteriis & præceptis continetur. Secundum mysteria & sacramenta cessauit adueniente Christo, quia finis siue completio legis est Christus. Secundum præceptum autem adhuc manet, quia
Exo. 20. seruandum est. Non adorabis deos alienos. Honora patrẽ tuum & matrem, & cætera præceptorũ dicta. Ergo ex operibus legis, id est, ex circuncisione carnali & sabbati custodia, & victimis legalibus non iustificabitur post domini aduentum omnis caro, id est, omnis homo vel omnis carnaliter viuẽs, & carnaliter ea obseruans: quia omnia Christo adueniente velut vmbra cessauerunt. Lex enim & prophetæ vsque ad Ioannem. Aliter legis opus est. Honora patrem

trem & matrem. & alibi dicitur. Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Si quis hæc præcepta propter pœnam quam minatur & vindictam, vel parentes honorauerit, vel non occiderit, & non propter amorem dei & iustitiam hæc potius obseruauerit, hominibus quidem iustus videtur, dum non committit, vnde occidi mereatur: tamen apud deum satis iustus non est, dum bonum præceptũ eius ex necessitate, & non ex amore probatur implere. Dũ ergo non iustificatur coram deo, licet videatur coram humano oculo, tamen in cõspectu diuinæ maiestatis eius minus iustus habetur. Hic autem quæritur. Nunquid Moyses Iosue, Dauid, aliique quamplures ex lege non fuerunt iustificati? Fuerunt quidem iusti, sed non ex operibus legis. Vnde Petrus apostolus: Quid (inquit) tentatis deum impo-
Actu. 15. nere iugum legis super ceruices fratrum credentium, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? sed per gratiam domini Iesu credimus saluari, quemadmodum & illi. Sicut ergo nos saluamur modo per gratiam dei in fide domini nostri Iesu Christi, sic & illi saluabantur per eãdem gratiam: per eandem, quia credebant in filium dei, quem expectabant saluatorem, quem nos iam accipimus propiciatorem. Et quare non iustificabantur ex operibus legis? Quoniã impossibiie erat sanguine hircorum auferri peccata, & quisquis operatur iustitiam, & in ea cõfidit, cõtra deum tumendo superbit. Lex enim non venit peccata tollere, sed ostendere & punire. *Per legem enim cognitio peccati.* Nunquid ante legem non cognoscebatur peccatum? Et si peccatum non cognoscebatur, quare Ioseph (licet in-
Gene. 39. iuste) missus est in carcerem? Nunquid non est accusatus de crimine? & fratres eius nunquid nõ cognoscebant pec-
Gene, 42. catum, quando dixerunt: Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum? Cognoscebatur ergo peccatũ, sed quantum malum esset, & quam vindictã iuste expeteret, ignorabatur. Igitur per legem & maior cognitio peccati est quàm ante legem, quia lex dicit, Non occides, Non adulterium facies, & cognitio pœnæ ipsius peccati per legem ostenditur, quæ monstrat quomodo peccatum puniri debeat, dicendo: Si quis hoc vel hoc fecerit occidatur. Potest & ita intelligi: Quia erant quædam mala quæ non cognoscebãtur peccatũ esse, sicut cõcupiscẽtia erat, de

qua idem Apostolus ait Nam concupiscentiam nesciebam peccatum esse, nisi lex diceret, Non concupisces. *Nunc autem.* id est, in domini aduentu, & in præsenti tempore iustitia dei manifestata est *sine lege* iustitia dei in præsenti tempore sine lege manifestata est, non ea solummodo qua ipse iustus est, aut qua iustificetur qui essentialiter ipsa iustitia est, sed qua induit impium. quando misericorditer de infideli facit fidelem: de adultero & fornicatore facit castum & continentem, de iniusto & peccatore facit iustum & amatorem virtutum. Quæ iusticia in Christo est reuelata, & data sine lege, id est sine obseruatione legali, quia nulli lex secundum mysteria & sacrificia traditur iam
Mar.16. obseruanda, sed dicitur Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, hoc est iustus erit. Possumus etiam ipsam iusticiam dei patris, id est, filium intelligere, à quo & per quē iustificamur, quia sine obseruatione legis per opera dei manifestatus est filius dei esse. *testificata à lege & prophetis.* Iusticia baptismatis qua iustificamur per legem testificatur dum dicitur: In nouissimis diebus circuncidet dominus
Deut.30. cor tuum, id est, auferet peccata tua, & iustificabit te per
Isa.5. baptismum. Testificatur & per prophetas dum dicitur: ipse
Exe.36. iniquitates nostras portabit, & peccata nostra ipse tollet. Et alibi: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Ipse quoque Christus iusticia nostra, testimoniū habet à lege & pphetis. *Iustitia autē dei* id est, iustificatio, qua iustificamur à deo super omnes Iudæos & gentiles credentes, venit *per fidem Iesu Christi*, qua credimus illum filium dei esse patris, redditque causam quare dixerit *super omnes qui credunt* iustitiam dei venturam, cum protinus subdit. *Non est enim distinctio.* id est, nulla differentia est inter Iudæos & gentiles, quemadmodum. Iudæi peccatores sunt inuenti, ita & gentiles. Vnde sequitur. *Omnes enim peccauerūt & egent gratia dei.* id est, indulgentia & venia peccatorum indigent omnes, tam Iudæi quàm gentiles pro qua glorificandus est deus. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* Gratia dicitur, sine vllis præcedentibus meritis. Verbi gratia. Qui ad baptismū venit: nihil vnquā boni fecit, baptizatur, statimque iustificatur. Ecce gratis iustificatur per gratiam, id est, per donum Dei, & hoc per redemptionem

deptionē quæ est in Christo Iesu, non operibus legis. Redenptio nostra qua sumus redenpti, & per quam iustificamur, passio Christi est, quæ iuncta baptismo, iustificat hominem per fidem, & postmodum per pœnitentiam. Ita enim illa duo mutuo sunt coniuncta, vt vnum sine altero hominem non possit iustificare. Nam neque fides dominicæ passionis sine aqua baptismatis hominem mundat, nisi forte in martyrio, quod pro baptismate accipitur, neque aqua baptismi sine fide dominicæ passionis purificare hominem valet. Iungantur ergo simul, sicque præstabunt perfectam redemptionem, perfectámque mundationem. Itaque neque Iudæus, neque gentilis suis iustificatur operib⁹, cum vterque sit præuaricator suæ legis. Iudæus videlicet naturalis & scriptæ, gentilis autem naturalis: sed redemptione qua Christus nos redemit suo sanguine & fide, & aqua baptismatis, qua quisque renatus, si statim obierit saluabitur in vita: si autem vixerit, debet ornare fidem operibus: quia fides sine operibus mortua est. Notandum vero *Iac.2.* quod dicit per redemptionē, quæ est in Christo Iesu. Nam per redemptionem captiui redimuntur, quia hostibus captiuantur. Quomodo ergo homo captiuari potuit, cū deus vbique sit: Sed captiuatus est animo à diabolo, quando diabolo se subdidit præuaricando legem dei, & quando vitiis & idolis cæpit seruire. Hæc autem captiuitas soluta est, dum animus ad deum redijt, & se infirmum, illum vero medicum intellexit: perfectaque redenptio in effusione sanguinis Christi patuit. *quem proposuit deus pater propiciatorem per fidem in sanguine ipsius.* Filium suum posuit deus pater, id est decreuit & præfiniuit propiciatorem & reconciliatorem, vt ipse nobis propitium faceret deum patrem & placabilem per fidem passionis suæ, vel in promptu ante oculos omnium posuit, vt omnes saluaret in se credentes, quia dum in eum credimus, & eius sanguinem pro nobis fusum confitemur, sine quo iustificari non possumus, ex integro iustificamur. *ad ostensionem iustitiæ suæ* subaudis ab inferioribus. *in hoc tempore* id est, in nouissima ætate. Iustitia in hoc loco duplici modo potest intelligi, videlicet vel ipse Christus qui iustificat nos, vel iustitia qua iustificat deus pater credentes in filium suum. Ostendit ergo manifeste deus pater iustitiam suam, id est filium suum. vel

quia nos iustificat in effusione sanguinis filij sui in hoc tempore, id est ab aduentu illius vsque in finem seculi, quia nisi nos iustificare voluisset, *ad* mortem filium suum pro nobis non tradidisset, quia non fecerat vllum peccatum. Proposuit etiam illum venire & pati *propter remissionem præcedentium delictorum* id est, originalium, quę ex parentibus trahimus antequàm nascamur: vel omnium peccatorum, quæ committimus ante baptismum, vel etiam sequentium post baptismum, *in sustentatione dei* id est, ad patientiam dei manifestandam, quia cum peccamus non statim punimur: sed eius patientia atque sufferentia ad pœnitentiam expectamur. Quæ substentatio nisi à deo esset, in primo homine finis hominum per iudicium fuisset, *ad ostensionem iustitiæ suæ in hoc tempore* subaudis nouissimo, id est ad hoc præfiniuit propiciatorē fieri nobis filium suum, vt suam iustitiam ostenderet per illum & misericordiam qua nos expectat ad pœnitentiam. *vt ipse sit iustus.* Iustus est, qui quæ promittit, tribuit: ita & deus pater promisit nobis filium suum, & in eo iustificationē, quod vtique adimpleuit, mittens illum in mundum per incarnationis mysterium: cuius passionis fide iustificamur, abluti aqua baptismatis. Vnde sequitur, *& iustificans eum qui ex fide est Iesu Christi*, hoc est, quemlibet hominem fidem Iesu Christi habentem, non tamen per opera legis iustificat illum, sed per fidem Iesu Christi, quoniam absque eius fide non valemus iustificari. *Vbi ergo est gloriatio tua. Exclusa est.* Iudæum alloquitur & confirmat, quia non valet quisquam per opera legis iustificari, ac si dicat. O Iudæe, qui in tuis operibus gloriaris, vide iustificationem sine fide dei esse non posse, Quare? quia exclusa & procul abiecta est lex iustificationis sacrificiorum, in qua gloriabaris *Per quam legem?* exclusa est. Interrogat iterum Iudæum, vt consideret per quam legem exclusa est lex in qua gloriabatur. Interrogat etiam adhuc *Factorum?* id est nunquid per legem factorum exclusa est, vt alia lex pro ipsa data sit, quæ similiter in operibus carnalibus: consistat? *Non, sed per legem fidei*, id est non per legem factorum exclusa est, sed per legem fidei & nouum testamentum: Simulque notandum quoniam non iubet deus vt carnaliter circuncidamur, sed vt in fide recta baptizemur, vbi gratis cuncta dimittuntur peccata. Dum enim dixit,

Mat.3.

xit, Pœnitētiam agite appropinquabit enim regnum cælorum, non ait. Seruate legem carnaliter *Arbitramur* id iudicamus, definimus, siue testificamur *iustificari hominem per fidem Christi* in baptismate *sine operibus legis* id est, sine carnalibus obseruationibus. Arbitrari est proprie iudicare, vel testificari. vnde arbitrari dicuntur iudices & testes. Duobus modis iustificatur homo per fidē Christi, Verbi gratia: Si fuerit sine operibus bonis ante baptismum, in ipso baptismate iustificatur, aut etiam post baptismum sine legis operibus: quę iam nō sunt obseruanda, iustus habetur, si tamen præcepta diuina custodierit, Iudæis gloriantibus & dicentibus, Deus verus & vnus. Iudæorum tantum deus est, quibus dedit legem, & quibus dicitur. Notus in Iudæa deus. ait Apost. *An Iudæorum deus tantum? nonne & gentium?* deus est, id est, nūquid Iudæos solos creauit, vt de illis tantūmodo curam gerat? *immo & gentium* id est, multo magis gentium deus est, videlicet quia multi crediderunt deo, & placuerunt ex gētilibus, antequā Iudæi in Abraham fuissēt electi, & in sorte dei assumpti, sicut Abel. Noë, Sem, Iob, & amici eius, aliique quamplures quos scriptura commemorat, vel quos etiam reticet. Siue in hoc multo magis deus gentium est, quoniam multo plures credunt in eum ex gētilibus, quàm ex Iudæis. Nam quod ipse sit deus gentium Ieremias manifestat dicens. Quis non timebit te ô rex gētium? *Quoniā quidem vnus deus est, qui iustificat circuncisionem ex fide*, & non ex operibus vocatos, videlicet ex Iudæis, qui circumcisi appellantur propter Abraham qui primus accepit eam, de cuius stirpe illi descenderunt *& præputium per fidem.* id est. credentes ex gentilibus, qui à Iudæis præputium vocabantur. Quod dicit ex fide, idem est & per fidem: quia Apostolus sæpe mutat præpositionem in vno sensu. *Legem ergo* præceptorum subaudis, quæ dicit, Diliges dominum deum tuum, & Audi Israel, deus vnus est. *destruimus?* per fidem & per nouum testamentum. *Absit.* Præcauet in hoc loco Apostolus æstimationem Iudeorum. *sed legem*, subaudis præceptorum. *statuimus.* id est, confirmamus, & laudamus, & à deo datam dicimus, vel etiam omnem legem generaliter statuimus nos sanctam esse, quia à deo data est: quæ obseruanda fuit suis temporibus, sed iam cessauit in mysterijs: manet tamen in

Psal.75.

Iere.10.

Deut.6.

præceptis,vel statuimus eam per fidem:quia quicquid illa promisit de Christo,nos confirmamus verum & completum esse,& credimus in illum quem illa promisit, sicut est illud,Prophetam suscitabit vobis deus de fratribus vestris. Gen.49. Et iterum:Non deficiet princeps ex Iuda,donec veniat qui mittendus est,& ipse erit expectatio gentium,in quem modo gentes credunt.

CAPVT. IIII.

Vid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? id est quid boni promeruit Abraham propter circuncisionē carnalem?Nihil,quia necdum erat circuncisus quando placuit deo & audire meruit. Gene.12. Exi de terra tua:& faciam te in gentem magnam,& quod magis fuit de Christo.In semine tuo benedicentur omnes. Gene.22. *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est,habet gloriam, sed non apud deum.* Quidam codices habent ex operibus legis, sed falsè scriptum est.Non enim lex adhuc data erat:nisi forte ita sit intelligendū, vt dicatur,ex operibus legis postea datæ:& est sensus:Si Abraham ex operibus suis iustificatus est sine fide, & sine gratia dei se præueniēte, habet quidem gloriam & laudem apud se in præsenti & apud homines:eo quod iustus fuerit ipse,apud deum vero non est Mat.18. laudabilis, neque erit in futurum. Quare? Quia sine fide impossibile est placere deo.In se ergo & apud homines habuisset Abraham gloriam & laudem pro suis operibus, sicut ille si iustificatus fuisset sine fide suis operibus Pharisæus gloriabatur:qui cum publicano in templum ascenderat.Fuit opus Abrahæ circuncisio.Fuit vtique ob signum magnæ fidei suæ,sed tamen antequam circūcideretur,ante à deo electus est,ideoque non ex operibus iustificatus est,sed per fidem.Vnde scriptura non commemorat opera eius,sed fidem.Sequitur, *quid scriptura dicit? credidit Abraham deo* obediens præceptis illius,quia exiuit de terra sua & de promissione Isaac & Christi, credidit quod ei dixit Deus,In semine tuo benedicentur omnes gentes: *&* quia credidit deo *reputatum est ei ad iustitiam* id est,ad remissionem peccatorum, quia per ipsam fidem qua credidit,iustus effectus est,& postmodum circuncisionem accepit in signum suæ iustitiæ qua iustificatus fuerat per fidē.

Ei

Ei autem qui operatur,merces non imputatur secundum gratiam,sed secundum debitum. Ex humana consuetudine sumit exemplum,quando operantibus secundum meritum damus mercedem,& nullam nobis agunt gratiam:non operantibus si verò damus aliquod beneficium, non merces, sed gratia:ideóq; gratiamur ab illis.& est sensus. Si Abraham propter opera sua posset iustificari sine gratia dei se præueniente,& sine fide quæ etiam gratis illi data est,non esset ei præmium iustificationis gratis illi datum,sed debitum esset, vel si alij Iudæi suis operibus fuissent iustificati, non essent vnde referrentur deo gratiæ,atq; ideo superflua id est,sine causa esset Christi passio. *Ei autem*,subaudis gētili, *qui non operatur* opera legis, *credenti autem in eum*,id est, in deum: *qui iustificat impium*.non per opera, sed per fidem, & sine præcedentibus meritis, ex impio & peccatore facit pium & iustum. *reputatur fides eius ad iustitiam*,id est, ad remissionem *secundum propositum gratiæ dei*, hoc est,decretū iustitiæ & misericordiæ dei,non secūdum meritum qui decreuit gratis peccata dimittere. Hoc intelligendum est de gentilibus qui ante fidem nulla habuere opera legis, & tamen sicut Iudæi conuersi iustificantur per fidem Christi sine operibus legis,ita & isti.Et bene dicit, secundum propositum siue decretum gratiæ dei,quia ante mundi constitutionem cum homo adhuc non esset, decreuit deus pater cum filio suo saluare genus humanum, nullis præcedentibus meritis, vnde idem Apostolus alias dicit: Sicut elegit Ephe.1. nos in ipso ante mundi constitutionem,volens ergo Apostolus ostendere iustitiam, id est, iustificationem qua iustificantur homines,sine operibus legis & meritis suis, testimonio psalmi proponit,in quo prædicabatur quod in aduentu Christi & gentiles fide essent saluandi. Ait enim.

Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, subaudis describens, *cui* homini *Deus accepto fert iustitiam sine iustificatione*, sine operibus legis. Quod autem dicit accepto fert, aduerbialiter dicit accepto fert,id est, libenter tribuit:vel iungendum ita cū subauditione, cui accepto à se,id est, electo & dilecto tribuit illi ad iustitiam. Dicimus & tertio modo, Inusitatus enim modo est locutionis, cui deus accepto fert iustitiam,id est,cui deus acceptam dat iustitiam, vel acceptabilem habet sine operibus legis. *Beati quorum remissæ*

sunt iniquitates, id est, omnia peccata in baptismate, *& quorum tecta sunt peccata*, per pœnitentiam post baptismũ. Res tecta & cooperta non videtur, & nos tunc tegimus peccata, quando malis bona opera iustitiæ superponimus, pœnitentiam videlicet de præteritis agendo dignam, & alia non perpetrando. Hoc autem distat inter iniquitatem & peccatum, vt quidam dicunt authores, quod iniquitas sit ante legem, peccatum post legem. vel iniquitas sit cogitationum, peccatum sit operum. Quidam etiam dicunt iniquitatem esse quod contra legem committitur, peccatum quod contra naturam & conscientiam, sed indifferenter vnum pro altero sæpe ponitur. *Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum.* Misericors deus neque in baptismate deleta imputabit, neque pœnitentia tecta, si permanserit in fide. vel potest hoc intelligi de martyribus, qui in suo sanguine baptizati, in ipso martyrio cuncta eis dimittuntur peccata: vel certè de his potest accipi, qui post baptismum multa commiserunt peccata, sed veniente occasione dum pro Christi nomine martyrium sustinuerunt, in ipso martyrio dimissa sunt illis, quoniam pœnitentiam corporalem susceperunt. *Beatitudo ergo hæc*, de qua Psalmista dicit. *In circumcisione tantum manet, an etiam in præputio?* i. an pertinet solummodo ad Iudæos qui circumcisio appellantur, an etiam ad Gentiles qui præputium dicũtur? Illa beatitudo qua peccata sine operibus legis dimittuntur gratis in baptismate, & per pœnitentiam atque martyrium, tam ad Iudæos ad fidem venientes, quàm ad Gentiles pertinet. qua gratia Abraham licet non esset baptizatus per fidem, tamen cùm esset in præputio iustificatus est. Vnde subdit Apostolus. *Dicimus autem quia reputata est fides Abrahæ ad iustitiam*, non circumcisio, id est, hoc affirmamus nos Apostoli, quia non propter circumcisionem carnalem, sed propter fidem quam habuit, qua credidit deo, meruit iustificari. *quomodo ergo* Abrahæ *reputata est?* fides ad iustitiam, *in circumcisione an in præputio?* hoc est, an reputata est ei fides ad iustitiã, postquam est circumcisus? an cum esset in gentilitate incircumcisus. Ipse sibi Apostolus respondet. *Non in circumcisione, sed in præputio*, id est, non postquam circumcisionem accepit, reputata est ei fides ad iustitiam, sed cùm adhuc esset in præputio.

Psal. 31.

tio, id est, in gentilitate, quia necdũ erat circumcisus, ideóque antea est iustificatus per fidem, quã esset circumcisus. *Et signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei quæ est in præputio.* Ne dicerent Iudæi superfluè circumcisum esse Abraham, si per illam non est iustificatus, ostendit illam circumcisionem signum esse iustitiæ, non augmentum, vt signi ficaret iustitiã Christi, quæ est ex fide. Signum est quando quod in hoc quod videtur aliud intelligitur, sicut dominus manifestat dicés: Generatio hæc signum quærit, & signum non dabitur ei nisi signũ Ionæ prophetæ. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ. Ecce quod signabat Ionas voratus, ita quoque circumcisio Abrahæ fidem illius significabat quam habebat in corde. & qua meruit iustificari. Hæc circumcisio est expoliatio infidelitatis & vitiorum abolitio. Distat verò inter signum & signaculum, quod signum aliud est, & aliud significat, signaculum autem quod alicui rei adhuc imprimitur, vt lateat quousque ab illo reseratur à quo imprimitur, ita & illa circumcisio significabat iustitiam fidei quæ erat in Abraham, & latebat in signaculo vera circumcisio: qua Christus, qui ex eius genere erat nasciturus, per baptismi gratiam suos fideles erat à cunctis sordibus peccatorum circumcisurus, in die quoque iudicij ab omni mortalitatis fragilitate & corruptionis fece est emũdaturus. In hoc etiam quia octaua die fiebat: significabat dominicam resurrectionem, quæ octaua die celebrata est. Nam & ipse Christus significabatur in cultello Petrino, quo circumcisio patrabatur. Fuit præterea signum Iudæis circumcisio data, quo cognosceretur eorum genus, vt permixtione non confunderentur, dum inter gentes multas habitarent, vel cum inter gentes multas captiui ducerentur, & ignoraretur quod de genere Abrahæ descenderet Christus, ac tandiu mansit in typo & figura, quousque veraciter compleretur adueniente Christo, remoto signaculo sub quo latebat, id est, eadem circumcisione carnali pœnitus ablata. Erat etiam in signũ eisdem Iudæis, vt quã do in præliis cum aliis sternebantur, & nudi relinquebantur, ex circumcisionis signo notati, sepulturæ mandarentur. Signum ergo accepit circumcisionis, ob huiusmodi causas, vt prædiximus: quæ circumcisio signaculum fuit iu-

stitiq fidei quę in pręputio est, quia ante est iustificatus per fidem quàm circumcideretur. Iustitia etiã fidei dicitur, quia primùm fidem habuit, & per eam iustitiam promeruit, quia iustificatus & mundatus est ab omnibus peccatis: Nam in gentilitate siue in præputio positus, fide est iustificatus. Et reddit causam quare hoc, scilicet, *vt sit pater omnium credẽtium per præputium*, id est, Per fidem quam habuit in præputio, pater est omnium credẽtium tam Iudæorum, quã gentium: Nam carne pater est Iudæorum non credentium, fide autem omnium credentium Iudæorum & gentium, quoniã fidem qua credidit Abraham deum omnipotentem esse & trinitatem habere in personis, & vnitatem in substantia, ipsam quasi ex hæreditate paterna retinent credentes. Et quare sunt omnes credentes filij Abrahæ per fidem? *vt reputetur* eadem fides, *& illis ad iustitiam*, siue ad iustificationem, sicut reputata est Abrahæ dum esset adhuc in gentilitate. Sicut reputata est. Abraham antequam circumcideretur fidem habuit qua pater est credentium, & postea genuit Isaac, ex quo pater est Iudæorum, sic potius pater est spiritualium quàm carnalium, & ita factum est vt sit pater gentium per fidem, *& sit pater circumcisionis*, id est, Iudæorum credentium & non credentium per carnem. *non his tantum qui sunt ex circumcisione: sed & his qui sectantur vestigia fidei quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.* Ac si diceret aliis verbis: Non illis tantum Iudæis Abraham est pater, vel reputatur fides Abrahæ ad iustificationem, qui descenderũt de progenie illius, postquam circumcisionem accepit, sed & his gentilibus qui imitantur exempla fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. Nam illis est Abraham pater, & illis reputatur fides eius ad iustificationem, qui imitantur exempla fidei illius quæ data est ei, cum adhuc esset in gentilitate quæ præputium appellatur. *Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini eius.* id est Christo data est. *vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei*, quam habuit antequam circumcideretur, & antequam illam promissionem acciperet. Ideo autem per legem non est facta vel data promissio Abrahæ, qua dictum est illi: Patrem multarum gentium posui te, & in semine tuo benedicentur omnes gentes, quia non erat adhuc lex quæ post quadringentos & triginta annos data est. Abraham ergo in Christo

Gene. 22.

Christo hæres est mundi, quia omnes credentes per fidem filij sunt Abrahæ, & ipse in Christo omnia possidet, cui dictum est à patre. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. *Si enim qui ex lege sunt, hi sunt hæredes, exinanita est fides, & abolita*, id est, deleta *est promissio*, id est, Si Iudæi qui ex circumcisione, & qui legem habent, hæredes sunt tantummodo promissionis Abrahæ de Christo, & non etiam gentiles, euacuata siue annihilata est fides qua ipse credebat Deo, & abolita, id est, deleta est promissio de Christo. Et est sensus: Si solummodo vos Iudæi circumcisi hæredes promissionis Dei estis, vt vos vultis, non impleuit Deus promissionem suam quam dedit Abrahæ, vt pater esset multarum gentium. Et si ita est, iam videbitur deo frustra credidisse. Non est ergo data promissio Abrahæ per legem, sed per fidem. Quare? *Lex enim iram operatur*, id est, vindictam Dei. Lex non dedit illam promissionem Abrahæ, sed vindictam operatur, dum dicit: Dentem pro dente, Et qui occiderit, occidatur. *Vbi non est lex, non est præuaricatio*, subaudis tanta, vel nõ ita imputatur. Hoc dupliciter intelligi potest: Vbi non est lex naturalis, non est tanta præuaricatio eiusdem legis. Verbi gratia: Quandiu infantibus non viget intelligentia aut intellectus naturalis legis discernendi inter bonum & malum, licet percutiãt patrem, verberent matrem, maledicant parentibus, non est tanta præuaricatio, nec ita imputatur eis sicut postmodũ, vbi venerint ad legitimos annos, & vbi cœperit vigere in illis naturalis intellectus. Aliter: Vbi non est lex Moysi licet peccet aliquis, non est tanta præuaricatio, nec ita imputatur ei qui non habet ipsam legem si peccauerit, quia non existit præuaricator eius, sicut ille cui data est ad obseruandum, ideóque vbi præcepta legis, vbi præuaricationis occasio & vbi præuaricatio, ibi maior ira dei & vindicta in præuaricatorem. Potest & tertio intelligi: vbi non est lex Euangelij, sicut in paganis, nó est præuaricatio tanta, tamen non ideo immunes à vindicta dei erant: quia per creaturam poterant cognoscere creatorem. *Ideo ex fide vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini Abrahæ.* Sensus igitur iste est: Quia non est tanta præuaricatio in gentibus, vbi nõ est lex Moysi, quãta in Iudæos, ideo ex fide, & per fidem iustificantur omnes Iu

Psal. 2.

Deut. 19.
Exod. 21.

dæi, siue Gentiles credentes, & per fidem sunt hæredes, nõ per legem: vt secundum gratiam quã gratis promisit: non secundũ meritum, neque secundũ legẽ firma sit promissio, quam promisit deus omni semini Abrahæ, non solũ ex Iudæis, sed etiã ex gentibus. Quę est ista promissio? Benedicẽ
Gene.22. tur, inquit, in te omnes gentes, patrémq; multarũ gentium posui te. Vnde sequitur: *Non enim ei qui ex lege est solum, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui est pater omnium nostrum.* Sensus iste est, Promissio quæ facta est ad Abraham de Christo, quia in semine eius benedicentur omnes gentes, non enim Iudæo firmata est solummodo ista promissio, qui ex lege circuncisionis descendit, sed etiam gentili firmata est, qui ex fide filius est Abrahæ qui est pater omniũ
Ibidem. credentium. *sicut scriptum est* in lege Moysi. *Quia patrem multarum gentium posui te ante deum cui credidisti.* Hic percutitur Iudęorũ superbia, qui se gloriantur de progenie Abrahæ descendisse. Non enim ait patrem vnius gentis Israeliticæ constitui te, sed patrem omnium gentium per fidem constitui te. Per carnem enim pater Iudæorum est, per fidem autem omnium gentium. Et recte addit Apostolus ex sua interpretatione, ante deum cui credidisti, id est, coram deo cui credidisti in corde. Multi enim sunt qui videntur credere in Deum, sed non credunt ante deum. Illi autem non credunt ante deum, qui confitentur se credere deum verbis, sed aliud corde retinent. Illi verò ante deum credunt, qui tota anima, toto corde, tota virtute illũ diligunt, vt Abraham, & qui potius in interiori homine in conspectu dei fidem seruant, quàm in ostentatione hominum: sicut est carnis circuncisio: *qui viuificat mortuos,* per fidem & gratiam suam, id est, gentiles & omnes qui mortui sunt per infidelitatem in peccatis. Si enim viuit iustus per fidem, ita moritur peccator per incredulitatem, vel certè dixit viuificat sub præsenti tempore, pro futuro viuificabit. Ipse enim suscitabit siue viuificabit mortuos in
Ioan.11. die iudicij, sicut in euangelio dicit: Veniet hora quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ. *& vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Deus omnipotens solus habet essentialiter esse, & qui adhærent ei per fidem & dilectionẽm, illi vtique habent esse ab illo, & illi sunt

sunt sicut ipse dixit, Ego sum deus Abrahã, & deus Isaac, *Exod. 3.* & deus Iacob. Econtra illi qui non adherent, comparatione eius quasi nõ sunt. Vnde Isaias propheta dixit: Omnes *Esa.40.* gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei, igitur secundum hunc sensum dicit Apostol' modo. Ergo sicut vocauit Abrahã qui erat, *Gene.12.* quia deo adhærebat per fidem, dicens: Exi de terra tua & de cognatione tua, sic vocat ea quæ non sunt, id est sic vocat gentiles infideles ad fidem, vt habeant esse illi adhærendo: qui antea non erant, illi non adhærendo. *Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium*, per fidem. Contra spem desperatæ sobolis, credidit in spem sperandæ sobolis, vel certe contra spem naturæ in spem gratiæ & potentiæ dei credidit. Contra spem enim naturæ erat, vt vetula pareret quæ adolescens & iuuencula sterilis permanserat. Nam natura est, vt iuuenis iunctus iu- *Gene.15.* uenculæ, generet, similiter senex iunctus iuuenculæ, naturale est vt generet, sicut Abraham senex & Agar iuuencula, ex quibus natus est Ismaël. Contra spẽ verò naturæ est, vt senex cum vetula mixtus generet. Sed Abraham non attendit ad consuetudinem naturalem, quod non posset ex se & Sara iã vetulis fili' procreari, sed in spẽ omnipotẽtis dei credidit, quia omnipotẽtem nouerat eum qui promisit. Considerandum est autem, quatuor existere causas (vt beatus dicit Ambrosius) quæ reddunt fœminas steriles, videlicet aut quod semen virile non peruenit vsque ad locum conceptionis, aut quia mulier non valet illud retinere, aut quia non habet vigorem coquendi illud, aut quia ambo senes simul conueniunt & senectute grauantur. *Secundum quod dictum est ei. Sic erit semen tuum, sicut stellæ cæli & harena maris.* Semẽ Abrahæ in hoc loco intelligitur tam multitudo Iudæorum, quorum pater per carnem est & per fidem, quàm etiam omnium gentium multitudo, quorum pater solummodo est per fidem. Et dictũ est hoc hiperbolice, per tropum, scilicet fidem excedentem. Licet enim præ multitudine nõ possit numerari ab hominibus semen Abrahæ, deo tamẽ numerabile est. Notãdúmque per stellas & harenam secundum quendã doctorẽ intelligendũ esse generaliter omne semen Abrahæ, credentes videlicet ex gentibus & ex Iudæis, omnémq; Israelem.

& secundum alium per stellas, electos solummodo intelligendos ex vtroque populo, per harenam vero omnes Iudæos infideles & incredulos, pondere peccatorum grauatos. Et non inconuenienter per stellas quæ cœlo adherēt, suaque claritate mundum illuminant, designantur electi, qui semper cœlestia appetunt, dicentes cum apostolo. Nostra conuersatio in cœlis est, mundumque verbis & exemplis irradiāt: per harenam vero quæ ponderosa est & sterilis, reprobi, qui pondere peccatorum grauati, steriles existunt à bono opere. *Et non infirmatus est*, ille infirmatur in fide, qui dubitat, nec credit promissionibus dei. Sed Abraham audiens à deo, Patrem multarum gētium posui te: &, Secundum hoc tempus veniam, eritque Saræ filius. Licet contra naturæ vsum videretur esse quod promittebatur, non tamen est infirmatus fide, quia non dubitauit in promissione. Nihil enim fides considerat naturæ, quia in his quæ promittit deus facile seruit natura suo autori. *Nec considerauit corpus suum emortuū*, ad procreandos filios. *Cum iam fere centum esset annorum*, quia centenarius erat. *Et emortuam vuluam Saræ*, non considerauit. Emortuos dicit Abraham & Saram in propagandis filiis propter annorum multitudinem iam desperatos. Abraham nanque centenarius erat, & Sara nonagenaria, quando promisit deus, inquiens per angelum. Secundum hoc tempus veniam & erit Saræ filius. Emortua enim erat vulua Saræ: quia iam præcesserat tempus pariendi, & iam desierant fieri Saræ muliebria, id est, iam desierat menstruum pati, vbi maxime consistit vigor cōceptionis, quod vbi cessauerit in fœminis, trāsit tempus generandi filios. Sed Abraham non attendit ad naturæ vsum: sed ad dei potentiā, credulus eius promissionibus. Vnde sequitur. *In repromissione etiam dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriā deo.* In repromissione dei (de qua supra diximus) siue de Isaac, seu de Christo non hæsitauit diffidentia, siue non dubitauit incredulitate, sed confortatus est fide promissionibus, dans gloriam deo, promissionibus illius gratias referendo quasi deacceptis beneficiis, intelligens solius dei esse munus & gratiam, vbi humanæ fœcunditatis naturæ vsus cessauerat, *plenissime*, siue certissime, *sciens quia quæcunque promisit deus, potens est facere: ideo*, subaudis quia credidit dei promissionibus,

reputatum

reputatū est illi ad iustitiam. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam: sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitauit Iesum Christum à mortuis. Non est (inquit) tantum propter hoc scripta fides Abrahæ vt ipse legeret, qui olim fuerat defunctus, quando Moyses ista scribebat, sed propter nos & profectum nostrum, vt imitaremur fidem illius, quibus reputatur fides eius ad iustitiam credentibus in eum, id est in deū patrem qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, id est, à sepulchro, qui proprius locus est mortuorum, vel certe ab inferno. Si ita perfecte crediderimus Christum à mortuis resurrexisse, quomodo ille credidit corpus Saræ emortuum posse ad concipiendum viuificari, & crediderimus deum patrem, qui Christum suscitauit à mortuis, reputabitur & nobis fides nostra ad iustificationē, quia repromissionem accipiemus omnium peccatorum. Deus pater suscitauit filium suum à mortuis, & ipse etiam filius suscitauit semetipsum, & vt etiam altius dicamus, tota trinitas suscitauit illum hominem assumptum à verbo dei, *qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Multis modis traditus legitur dominus Iesus Christus. Nam tradidit illum deus pater, sicut dicit Apostolus, Qui proprio, inquiens, filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Tradidit ipse filius seipsum, sicut egregius prædicator dicit in præsenti loco, & alias vbi loquitur: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Tradiderunt illum dæmones, qui persuaserunt Iudæ vt traderet illum. Vnde dicit euangelista, quia intrauit satanas in cor Iudæ vt traderet illum, & Apostolus manifestat, dicens de dæmonibus: Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Tradidit illum Iudas propter triginta argenteos. Tradiderunt eum Iudæi Pilato. Pilatus quoque illum tradidit militibus, qui crucifixerunt eum. Sed inter hæc omnia digna cōsideratione perpendendum est, quia quod deus pater & filius fecerūt causa dilectionis & misericordiæ, hoc Iudas causa cupiditatis, dæmones vero & Iudæi atq; Pilatus causa inuidiæ. Tradit⁹ est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, vt credētes eum passum propter salutem nostrā, & resurrexisse in veritate à mortuis,

Gala. 2.

Ioan. 1.

1. Cor. 3.

per hanc fidem mereamur iustificari. In traditione Christi ineffabilis misericordia extitit, in resurrectione quoque incomprehensibilis potentia deitatis demonstrata est, &c.

CAPVT V.

Iustificati igitur ex fide pacem habeamus ad deum per dominum nostrum Iesum Christum. Cum Iudæi & gentes inter se disceptarent, & illi de antiquæ legis operibus, hi verò de noua Christi vocatione præsumptiue gloriarétur, pertractata & elucidata causa, quia nemo eorum ex merito suo esset iustificatus, sed omnes per gratiam quæ fidem infundit, & veritatem ostédit, & quia nec genus nec circuncisio faciat filios Abrahæ, sed fides recta qua claruit Abraham à deo illuminatus & præuentus, statim subiunxit Apostolus. Iustificati igitur ex fide, & non ex operibus legis, neque per aliquod meritum nostrum quod præcesserat fidem, pacem habeamus ad deum patrem, per mediatorem dominum nostrum Iesum Christum, cuius passione reconciliati sumus deo patri, sicut angeli in eius natiuitate cantauerunt. Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tunc enim pacem habemus apud deum, si inter nos pacem & concordiam fraternam tenemus: Ac si diceret, Iam quia reconciliati sumus per sanguinem filij dei, & pacem habemus apud deum patrem, simus & nos inter nos pacem habentes, nõ præsumentes in aliquo de nobis, cum omnia ex fide dei habeamus: *per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus.* Per Christũ (inquit) nos pacificauit deo patri, per illũ vtiq; accessum & introitum habemus, per fidem illius in gratia ista in qua stamus, credendo in patrem & filium & spiritum sanctum. Gratiã appellat in hoc loco fidem, per quam plenitudinem iustificationis percepimus gratis à deo tempore baptismatis, & insuper quicquid donorũ habemus spiritualium, nomine gratiæ isto in loco comprehendit. In qua vel ad quam gratiam, introitum vel accessum habemus per ipsum qui ante eramus longe, quia ipse est ostium sicut dixit, Ego sum ostium, & nemo venit ad patrem nisi per me. In qua gratia, id est, fide iustificationis & indulgẽtia peccatorũ stare debemus,

Lucæ. 2.

Ioan. 10.

bemus, in bonis scilicet operibus viriliter laborando, qui antea iacebamus in luto & fœtore vitiorũ, *gloriamur in spe gloriæ filiorum dei.* In præsenti seculo filij dei sumus in spe, in altera autẽ vita erimus in re, si in bonis operibus articulus mortis nos inuenerit. Vnde dicit Ioannes, Charissimi, filij dei sumus in spe, & nondum apparuit quod erimus in re. *Nõ solum autem,* subaudis gloriamur in spe gloriæ filiorũ dei. *Sed & gloriamur in tribulationibus,* id est angustiis & aduersitatibus persecutionum pro Christo: *scientes quod tribulatio,* & afflictio, *patientiam operatur,* in electis qui patienter aduersa huius seculi perferunt. Patientia à patiẽdo, id est, à ferẽdo dicitur, & est patientia, quando corpus & animus timore & afflictione tormẽtorum feritur, sed vindicta nõ petitur. Per hanc sancti martyres vicerunt persecutionem & sæuitiam tyrannorũ: non reddẽtes vicem, sed patientiã siue tolerantiã seruantes. *Patientia autem probationem,* meritorũ & fidei, sicut probati sunt sancti martyres, & sicut probatus est Iob, nõ deficiẽs in tribulatione. Est etiã probatio, honestas morum & laudabilitas actionũ, vnde probus dicitur laude dignus, *probatio verò operatur spem,* vitæ æternæ. Spes est expectatio futurorum bonorum. Quia ergo inter tribulationes & aduersa per patientiam probabiles existunt in fide, illi securi de præmiis, futuram beatitudinem expectant. *Spes autem non confundit.* Spes siue expectatio futurorũ bonorum omnẽ confusionem & verecundiam huius seculi expellit. Spes ergo nõ confundit id est, qui probatus est in fide bonis q; operibus, & spẽ habet æternorũ præmiorũ, nõ erubescit quicquid aduersi in hoc seculo sustinuerit, securus de præmio. Et quare hoc? *quia charitas dei,* qua nos diligit deus, vel qua diligim⁹ deũ, *diffusa est in cordibus nostris* tẽpore baptismatis, & tẽpore manus impositionis, *per spiritũ sanctũ qui datus est nobis,* nõ per meritum nostrũ. verbũ effusionis siue diffusionis largitatẽ munerum significat, sicut in Iohël habetur: Effundã de spiritu meo super omnẽ carnẽ. Siue ergo charitas qua diligimus deum in nobis sit, pro cuius amore patiẽter omnia aduersa sustinemus: siue qua diligimus proximum, vel quicquid boni in nobis habetur, non per meritum nostrum, sed per gratiã dei spiritu sancto cooperãte nobis tribuitur: ideó q; præceptis & volũtati illius obtẽperare debemus, habẽtes

1. Ioan. 3.

Vide lib. Iob.

Ioël. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inter nos pacem quam ipse commendauit discipulis dicēs: Pacem relinquo vobis. Ipsa etiam spes per spiritum sanctū nobis datur, qui facit nos credere quod promittit. Nec enim confundit nos spes, quoniam amplius dabit quàm speramus nos, gaudia videlicet patriæ cælestis. *vt quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impijs mortuus est?* Vt quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, id est peccatores, secundum tempus pro impijs, id est, irreligiosis mortuus est, nisi vt abundantiam & plenitudinem suæ charitatis nobis commendaret: sicut sequētia nobis manifestant. Infirmus est omnis peccator & omnis infidelis: fortis vero iustus & fidelis atque cognoscens deum. Pietas est cultus & religio dei, à qua dicitur pius, id est, religiosus. Ecōtra impietas, est irreligiositas, à qua venit impius, id est irreligiosus. Tanta fuit charitas Christi, vt non solum pro illis qui comparatione reproborum religiosi erant, sed etiam pro impiis moreretur, quos postea per fidem suam iustos fecit. Istam charitatem nobis commendauit, vt illam imitaremur: sicut discipulis dixit, quando lauit pedes eorum. Exemplum (inquiens) dedi vobis vt qualia vobis facio, talia faciatis: id est sicut ego vobis laui pedes, ita & vos alterutrum: & sicut ego pro vobis animam meam non dubito ponere, ita & vos non dubitetis, neque prome, neque pro fratribus, si necessitas fuerit, causa amoris mei animas ponere. Quod vero dicit Apostolus Christum secundum tempus esse mortuum, tripliciter accipi potest. Beatus siquidem Ambrosius hoc modo dicit: Mortuus est secundum tempus, quia paruo & breui tempore potuit teneri à morte: tertia enim die resurrexit. Aliter, Secundum tempus mortuus est, id est tunc quando totus mundus sub peccato tenebatur. De quo tempore dicit Apostolus alibi. Postquam venit plenitudo temporis, misit deus filium suum, natum ex muliere factum sub lege. Et deus pater ad filium per prophetam. Tempore (inquit) accepto exaudiui te. Potest etiam tertio modo intelligi, quia mortuus est secundum tempus, id est, corporaliter, in corpore, non in anima: quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Temp⁹ enim dicitur esse, vbi aliqua varietas est. verbi gratia. Vbi sol oritur sol & occidit. vbi luna augmentum vel decrementum capit, tempus dicitur esse: vbi etiam vertransit

Iohan. 14.

Isaie. 49.

trāsit in æstatem, æstas quoque in autumnum mutatur, autumnus nihilominus in hyemen. Mortuus est Christus secundum tempus, id est, secundum carnē, quæ mutabilis est & variationi subiacet, mortuus est temporaliter. Nam vbi æternitas est, tempus esse non potest. *Vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori?* subaudis aut nullus, aut rarus: quis enim pro nullo, aut pro raro sæpissime ponitur. pro nullo accipitur, vt in Psal. Deus quis si similis tibi erit? id est, nullus. Pro raro, vt hic, & alibi vbi dicitur. Quis sapiens & intelliget ista? raro inuenitur. Et est sensus, vix potest aliquis inueniri, qui non solum pro impiis, sed nec pro iustis & bonis audeat mori. Et cum raro inueniatur qui pro iusto & bono audeat mori, Christus pro impiis mortuus est. Inter iustum & bonum hoc distat, quia iustus sit studio & exercitatione virtutum, sic sancti martyres: bonus vero in innocentia, sicut sunt paruuli qui inundantur in baptismate. Potest etiam & pro vno accipi, iustus & bonus. *Commendat autem deus suam charitatem in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus* id est, antequam essemus iustificati per fidem. *secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Ad quid commendat deus suam charitatem in nobis? vt illam imitemur eo modo quo superius diximus. *Multo magis igitur iustificati nunc per sanguinem ipsius, salui erimus ab ira per ipsum.* Si cum peccatores essemus, Christus pro nobis dignatus est mori, multo magis iam remissionem peccatorum habentes in sanguine passionis eius, & iustificati per fidem salui erimus per Christum ab ira, id est, vindicta diei iudicij quæ ventura est reprobis. Licet autem legamus plerisque in locis omnipotentem deum iram habere, non debemus putare quōd in illum cadat vllæ perturbatiō, quia ipse semper idem manet: iuxta quod Psal. dicit. Tu semper idem ipse es, sed ira illius appellatur vindicta & vltio ipsius, quā ille sine aliqua mutabilitate everret: secundum quod ei sapientissimus orator dicit. Tu autē domine sabbaoth cum tranquillitate iudicas: In hoc loco proponit sibi beatus August. quæstionem, dicens, Si (inquit) in sanguine passionis filij dei accepimus remissionē peccatorum, non necesse est vt baptizemur, & si in baptismate accepimus remissionem, & mundamur ab omnibus sordibus vitiorum, quid necesse fuit Christum pati? Quam

Psal. 73.

Psal. 106.

Psal. 101.

Sap. 12.

quæstionem ita dissoluit: Ista duo, passio videlicet Christi, & baptismus, ita sunt coniuncta, vt neque baptismus possit lauare à peccatis, & perfectum hominem reddere sine fide passionis Christi, quia sine fide impossibile est placere deo, neq; fides passionis Christi possit remissionem peccatorum dare sine gratia baptismatis, nisi in sanguine martyrij sui

Ioannis.3. fuerit baptizatus, quia dominus dixit Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei. *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filij eius: multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius.* Si, inquit, cum inimici essemus, id est, peccatores, reconciliati sumus deo patri per mortem filij eius, multo magis quàm meruimus reconciliati & in amicitiam conuersi, salui erimus in vita ipsius, id est, in vita ipsius Christi, qui est vita, & in quo vitã æternam habituri sumus. Illi reconciliãtur qui inimici sunt adinuicem. Quomodo ergo extitit nobis

Sap.11. omnipotens deus iratus & inimicus, cum de illo dicatur, quòd nihil odit eorum quæ fecit? Sciendum quòd non naturam nostram, quam ipse fecit sanctam & bonam, odio habebat, sed vitia & peccata quæ ipsi nobis attraximus. Quapropter quadam iustitia dei traditi sumus diabolo, quã diu sub peccato fuimus. Sicut legitur, postquàm meruit homo audire. Terra es, & in terram ibis, hoc est totus terrenus effectus es, & idcirco morieris. Dictum est & diabolo in serpente. Terram comedes, id est, peccatores deuorabis. Ablatis autem vitijs & peccatis, per passionem filij eius reconciliati sumus in id quod ante fuimus. Vnde dicit Apostolus: Si (inquiens) cum inimici dei essemus actibus, nõ natura, per mortem Christi saluati sumus, quanto magis in eius glorificabimur vita, si eã imitati fuerimus? *Non solum autẽ sed & gloriamur in deo per dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc accepimus reconciliationem.* Non solum, inquit, salui erimus, & dabitur nobis vita æterna, sed & gloriamur in deo patre siue in cognitione dei, quã habemus per dominũ nostrum Iesum Christũ, cuius passione nunc recõciliationẽ accepimus. Nunc (inquit) recõciliati sumus deo patri, id est, in tempore aduentus Christi, sicut enim verbo patris sumus creati, iuxta quod Ioam. dicit. Omnia per ip-

Ioan.1. sum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, ita quoque & ab illo sumus redempti, & deo patri reconciliati. *Propterea sicut*

sicut per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiuit, in quo omnes peccauerunt. Sensus dictionis isto in loco est huius modi: Sicut per Adam peccatum & mors intrauit, ita per Christum iustificatio & vita æterna venit. Propterea inquit Apost. Reconciliati sumus deo, quia sicut per vnum hominem Adam in hunc mundum, id est, in vniuersitatem generis humani (præter Christum qui de supernis est) peccatum intrauit, & per peccatum mors venit, ita & in omnes homines mors corporis & animæ pertransijt, sicut in illum primum, in quo omnes peccauerunt: ita per dominum nostrum Iesum Christum iustificatio intrauit, & per iustificationem vita futura. Sensus talis est. Sicut per Adã peccatũ intrauit in genus humanũ & mors, & per omnes trãsijt, sic per Christũ venit iustificatio & vita. In ipso quoq; omnes peccauerunt, qui in lumbis eius erant, sicut Leui in lunbis erat patris, quando decimatus est. Et congrue dicit primũ *Heb.9.* intrasse peccatum, ac deinde per peccatum subintrasse mortem, quia statim vt peccauit, mortalis factus, est, sicut ei deus ante prędixerat: inquacunque die, inquiens, comederis ex eo, morte morieris. Peccauit concupiscendo atque comedendo, & mortalis factus est in peccando. *vsque ad legem enim peccatum erat in mundo.* Non dicit vsque ad tempus, quo data est lex, sed vsque ad terminum finiendæ legis. Sic enim soliti sumus dicere. Regnauerunt vsque ad Attalum regem, id est, vsque ad mortem Attali regis. vsque ad tempus, i. vsq; ad finẽ legis & initium gratiæ, peccatum originale & actuale fuit in mundo. Per gratiam autem Iesu Christi non solùm originalia, sed etiã actualia deleta sunt. *Peccatum non imputabatur cum lex non esset.* Hoc tripliciter intelligi potest. Quamdiu lex naturalis non est in homine: sicut in paruulis, quicquid agat paruulus, non imputatur esse peccatum: quia nescit quid sit bonum aut malum. Aliter: Antequam lex daretur, non agnoscebatur peccatum tam graue malum esse, sicut per legẽ ostensum est. vel aliter. Cũ lex deesset, non imputabatur, id est, ignorabatur qua pœna dignum esset peccatum, quousque ipsa lex dixit, Qui hoc vel illud fecerit, morte moriatur. *Sed regnauit mors ab Adã vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ.* id est, mors idem est quod pecca-

tum, ideo dicit regnasse mortem, quia vniuersum tenuit orbem tam mors peccati, quàm mors corporis. Quod dicit vsque ad Moysen, ita est intelligendum vt iam diximus, id est, vsque ad finem legis, & initium gratiæ. Per Moysen enim intelligitur lex, sicut dicitur in euangelio ad diuitem. *Luc. 16.* Habent Moysen, id est, legem. Et alibi: Incipiens à Moyse, *Lucæ. 24.* hoc est à lege. Regnauit, (inquit) mors animæ in toto mundo, ex quo primus homo peccauit, vsque ad finem legis Moysi, & exordium euangelij, non solum in alios, sed & iam in illos, qui non sponte neque scienter peccauerunt, sicut paruuli erant, qui originalibus peccatis tenebantur obnoxij. Illi in similitudinem præuaricationis Adæ peccãt, qui scienter & voluntariè peccant. sicut ille cui dixit deus. Ex omni *Gene. 2.* ligno paradisi comede, de ligno autẽ scientiæ boni & mali ne comedas. Ille verò in similitudinẽ Adæ non peccat, qui neque legem naturalem habet, neque cum studio peccat. *Qui est forma futuri.* Hoc tripliciter potest intelligi. Adam qui peccatum attulit mundo, exemplar siue forma est futuri Adæ, id est Christi, quia sicut ex virgine terra ille factus est, ita Christus ex virgine Maria natus est. Vel à contrária parte, aliter accipitur caput peccati, aliter caput iustitiæ: quia sicut Adam peccatum attulit & mortem, ità Christus iustificationem & vitam. Aliter: Si sic dixerimus, qui est forma futuris, vt quidam codices habent, erit sensus: Exemplar est futuris, id est, posteris suis in peccato, quia sicut ille peccator & mortalis extitit, ita omnes posteri eius, peccatores & mortales nati sunt, & nascuntur quotidie, trans-ducto originali peccato in posteros, vt B. Aug. dicit per cõcupiscentiam coitus, sed per gratiam domini nostri Iesu Christi liberantur à peccatis & morte æterna. sicut enim nullus homo extra Adam, id est, extra progeniem illius, ita nullus extra peccatum illius præter Christum. *Sed non sicut delictum* Adæ *ita & donum* iustificationis, hoc est maius fuit donum Christi, quo nobis remissio peccatorum venit, quàm peccatum Adæ, per quod venit mors. Et plus præualuit iustitia Christi in iustificando, quàm peccatum adæ in occidendo, quoniam in his qui per Christum redimuntur, temporaliter valet forma mortis ex Adam: forma autem vitæ valebit in æternum per Christum. *Si enim vnius hominis* Adæ *delicto multi* id est, electi *mortui sunt* temporaliter

raliter: *multo magis gratia dei* qua nobis dimittũtur peccata, *& donum* spiritussancti, *in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Multi & plures, ad electos referuntur, nec est comparatio, quod dicit plures, quia plures sunt reprobi qui damnabuntur, quàm sint iusti qui saluabuntur, sed absolute positum est. Iungatur & hoc modo. Si propter vnius hominis delictum Adæ, non solùm reprobi & nimiũ peccatores, sed etiam electi mortui sunt temporaliter corpore, non anima, multo magis abundauit & creuit gratia dei, & donum per gratiam Iesu Christi in plures, id est, in electos, in hoc enim plus, siue multo magis abũdauit gratia, id est, remissio peccatorum in electos, quàm peccatum, quia non solùm illud peccatum originale, propter quod in mortẽ animæ & corporis ruimus, sed etiã omnia actualia abstulit in electis, & insuper donauit vitam sine fine mansuram. *Et non sicut per vnum peccatum*, subaudis originale venit mors, *ita & donum*, subaudis gratiæ venit, quod est dicere, aliter atq; ad aliud venit peccatum Adæ, & aliter atq; ad aliud venit donũ Christi. Peccatum enim Adæ venit per inobedientiam, vt mortem afferret: donum autẽ gratiæ Christi venit per obedientiam: qua obediens fuit deo patri, vt non solùm originale, sed etiã omnia actualia auferret. Quod delictũ fuerit per vnum peccantem, ita erit intelligendum. Et non sicut per vnũ peccantem, id est, per Adã, venit mors: ita & donũ gratiæ venit per Christũ. *Nã iudiciũ quidem ex vno in condẽnationem, gratia autẽ ex multis delictis in iustificationem*, iudiciũ, siue damnatio, ex vno homine Adam, vel vno peccato originali venit cõdemnatio omniũ hominum, gratia autem Christi, qua nobis gratis dimittũtur peccata, in iustificationem fideliũ venit ex multis delictis, quæ post originale peccatum addita sunt. Et est sensus: Damnatio venit ex vno homine, vel vno peccato originali, in condemnationẽ generis humani: gratia autẽ Christi venit in iustificationem electorum ex multis delictis, id est, ad hoc venit, vt nõ solùm ab illo vno originali, sed etiã ab omnibus actualibus nos iustificaret, ideóq; aliter venit peccatũ, aliter gratia. Considerandũ, quia cũ dicit iudiciũ venire ex vno homine in condemnationẽ, loquitur cõtra Pelagianos, qui negant originale peccatũ trahi ab infantibus quando nascuntur, dicentes: quia non per originẽ il- *Cõtra Pelagianos.*

lud peccatum trahitur,sed per imitationem,quod omnino falsum est. *Si enim ita esset,vt illi delirant, nequaquã dominus expresse in euangelio diceret:* Si quis non renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non intrabit in regnum cœlorum. In veteri quoque testamento nequaquam diceret: Masculus cuius caro circuncisa non fuerit,peribit de populo suo, quia pactum meum irritum fecit, non per se, sed in patre suo Adam in paradiso. *Si enim vnius hominis delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiã gratiæ donationis & iustitiæ accipientes in vitam regnabunt per vnum Iesum Christum.* Et est sensus: Si pro delicto vnius hominis Adæ,quod per vnum hominem Adam venit,mors corporis & animæ regnauit temporaliter, & ad tempus in electis:multo magis regnabunt illi in vita æterna, accipiẽtes per Iesum Christum abundantiam, id est plenitudinem gratiæ,qua dimittuntur peccata: & plenitudinem donationis,id est, dona spiritussancti,quæ electis donantur, quando illis datur per spiritum sermo sapientiæ, & cætera dona singulis diuiduntur,accipientes etiam plenitudinem iustitiæ,id est,omnes virtutes,vt post baptismi gratiã iuste sancteq; viuamus. Si enim moriuntur electi temporaliter propter originale peccatum,tamen per gratiam Christi accipiunt vitam sempiternam,vbi regnabunt cum ipso. *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem mortis,sic per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*, id est sicut per vnius hominis delictum in omnes homines generaliter in condemnationẽ venit mors & peccatum,sic & per vnius hominis iustitiã,id est,Christi,in omnes homines electos & prædestinatos ad vitam æternam, venit gratia in iustificationem vitæ. *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis*, Adæ, *peccatores constituti sunt multi*,id est, omne genus humanum, quod in lumbis Adæ erat,*ita per vnius hominis obedientiam*,id est, Christi,qua fuit obediens patri vsque ad mortem, *iusti constituentur multi*, non tamen omnes. *Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum.* Iudæi ignorabant ad quid acceperant legem, & putabant se per circuncisionem, & per carnales observationes saluari posse sine gratia domini nostri Iesu Christi. Vnde Apost. volens eis ostendere,quia lex non est data vt peccata auferret,sed demonstraret,ait,Lex autem subintra-

Ioan. 3.

Gene. 17.

Intrauit,id est,subito intrauit, vt abundaret delictũ. Quomodo abundat delictum per legem? Dupliciter, vel quia dum præcepit dicens, Ne adulterium facias,Non concupiscas rem proximi tui,exardescit animus ad libidinem & ad concupiscentiam,qui ante nesciebat quod concupiscentia huiusmodi peccatum esset, aut tale,vel dum transgressor fit legis,& crescit delictum in vindictam, quia maiori pœna & vindicta dignus est,qui scienter cõtra legis præcepta peccat,quàm qui non habens legem ignoranter delinquit. *Vbi autem abundauit peccatum,superabundauit & gratia.* Originali peccato quod ad omnes peruenit addita sunt actualia,& abundauit siue excreuit delictum. Sed vbi delictum abundauit & creuit per actualia peccata & contẽptum legis,superabundauit gratiã Christi,quæ non solùm peccatum originale,sed etiam actuale abstulit, largiẽs insuper pia benignitate vitam sine fine mansuram. *Vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiã in vitam æternam,per Iesum Christum dominum nostrum.* Acsi diceret: Sicut tegnauit ac tenuit principatum originale peccatum,& insuper actuale electis est vt in mortem eos traheret ad tempus,ita & gratia qua dimittuntur peccata,regnet in electis per iustitiam eorum,in vitam æternam illos intromittendo per adiutorium Iesu Christi. In hoc enim maior est gratia Christi quæ nobis data est, quàm peccatum Adæ: & magis nobis profuit,quàm illud nocuit, quia peccatum Adæ facit nos ad tẽpus mori: gratia autem Christi dimittit nobis nõ solùm originale,sed etiã actuale peccatum,faciens nos insuper viuere in vitã æternam,&c.

Exod. 20.

CAPVT VI.



Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit. Hæc ad superiora pertinent, vbi dicit Apostolus: Et non sicut aiunt nos quidã dicere,Faciamus mala,vt veniant bona,& illud: Vbi abũdauit peccatum,superabundauit & gratia. Quidam enim gẽtilium, vbi audierant prædicationem Pauli & aliorum apostolorum, vbi debuerant accipere vitam: ibi acceperunt mortem, non intelligentes sensus præuaricationis eorũ. Vnde dicebãt Apost. prædicare,

Sup. 3.

quod quãto homo amplius peccaret, tanto magis deo placeret, & vbi maior esset culpa, ibi maior esset gratia dei: vt dũ omnes essent nimium peccatores, ipse solus appareret iustus, & quo maiora peccata & plura dimitteret, eo plus misericors esse laudaretur. Quapropter dicebãt. Faciamus mala vt veniant bona: quia quo amplius peccamus: eo maiorem gratiam apud deum habemus. Nos autem aliter debemus dicere: Fecimus mala: & venerũt bona sine nostris meritis per gratiam Christi. Faciamus modo bona: vt veniant nobis bona: attendentes quod dicit Apo. ex persona fidelium loquens, qui se à peccatis seruant: Nunquid permanebimus in peccato? Hoc est, nunquid semper peccabimus: vt gratia dei in hoc abundet, vt plus habeat quod vobis dimittat: & crescat nobis dimittendo: sicut quidam carnalium dicunt: absit. Non fiat illud, vt semper in peccatis permaneamus. Hoc autem digna consideratione perpendendum est: quia idcirco ista cõtradicit Apostolus, ne aliquis infidelium dicere possit, quod asseret ipse peccãdum esse: vt gratia dei abundaret. *Qui enim mortui sumus peccato*, tempore baptismatis. *Quomodo adhuc viuemus in illo?* Id est si omnia peccata nobis dimissa sunt in baptismo, quare obedimus vitiis & suggestionibus carnis? Ille mortuus est peccato: qui non habet peccatum, cui deleta sunt omnia peccata in baptismo: econtra ille viuit peccato, qui obedit delectationibus peccati: & suggestionibus prauæ voluntatis. Docet autem Apostolus vt postquam in baptismate accepimus remissionem peccatorum: abstineamus à carnalibus peccatis, & inquantum humana fragilitas valet, nosmetipsos restringamus per dei gratiam à delectationibus carnis & prauis cogitationibus. *An ignoratis fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?* Beatus Apostolus mystice & subtilissime isto in loco loquitur, & vult ostendere quomodo mysterium mortis, sepulturæ, & resurrectionis Christi ad baptismum nostrum pertineat, & dicit: Nunquid ignoratis ô Romani mysterium mortis Christi sepulturæ ac resurrectionis, quomodo conueniat mysterio baptismatis? Certe, vt puto, ignoratis: & si ignoratis, ego vobis pandam. Sed quæstio oritur in hoc loco, cum præcipiat dominus apo-
Mar. 16. stolis in euangelio in nomine sanctæ trinitatis baptizare credentes, cur apostolus in hoc loco solummodo personam Christi assumit dicens: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? quæ hoc modo soluitur, quia Apostolus in hoc loco non tantum rationem & institutionem describere baptismi disposuit, quantum mysterium mortis Christi & vbi de morte erat aliquid locuturus, indignum duxit personam patris & spiritussancti ponere, quæ carnem non suscepit, neque mortem, sed personam tantummodo filij, quæ carnem assumpsit, & pro nobis mortua est. Non enim conueniebat vt diceret. Quicunque baptizati sumus in nomine patris, & filij, & spiritussancti, in morte ipsius baptizati sumus. Iterum quærendum est, quomodo baptizati sumus in morte Christi, Christo mortuo in cruce pro peccatis nostris, qui est caput omnium electorum, omnes electi qui sunt membra eius, commortui sunt peccato capiti suo Christo, verbi gratia: Sicut ablato & abscisso capite cuiuslibet animantis, commoriuntur omnia membra, ita mortuo Christo commortui sunt in illo omnes electi, & baptizati in ei⁹ passione. Passio etenim illius baptismus noster fuit. Ille quidem mortuus est corpore, & nos peccato, quia ipse peccatorib⁹ mortuus est, & nostrum peccatum in sua morte occidit. Aliter: In morte ipsius baptizati sumus, id est, in fide passionis & mortis eius: quia per fidem passionis Christi & baptismi gratiam abluimur à peccatis. Ista enim duo ita coniuncta sunt, vt neque passio Christi sine baptismo neque baptismus sine fide passionis Christi, nos possit saluare. Dicamus & aliter. In morte ipsius baptizati sumus, id est, ad exemplũ & figuram mortis eius, vt illi commoreremur peccato, sicut mortuus est ipse corpore, vel ad exẽplũ mortis eius, eo modo quo in sequentibus dicendum est. Inter hæc considerandum est quatuor esse genera baptismatum. Vnum tantum in aquis, sicut fuit baptisma Ioannis. quod remissionem peccatorũ non dedit: aliud in igne vel spiritu, quo baptizati sunt apostoli in die pẽtecostes: & de quo dominus dixit. Vos autẽ baptizabimini spiritussancto, quia eo die in igne apparuit super apostolos: tertiũ est in aqua & spiritu, in quo sancti apostoli baptizabant domino præcipiente: quod genus baptismatis sancta ecclesia modo retinet: quartũ est in sanguinis effusione, quo baptizat⁹ est

Actu. 2. Luc. 24.

ipse dominus omnésque sancti martyres: de quo etiam dominus ait filiis Zebedæi: Potestis baptizari baptismate quo ego baptizari habeo? id est potestis effusionē sanguinis vestri sustinere: quorū vnus scilicet Iacobus eo baptismate baptizatus est decollatus ab Herode. Sed & hoc quoque notandum est, quia in baptismate tria sunt corporalia atque visibilia, & tria incorporalia atque inuisibilia. Tria sunt visibilia, sacerdos videlicet, corpus baptizandum, & aqua. Tria inuisibilia, fides, & anima quæ abluitur à peccatis, & spiritus, quo cooperante remissio peccatorum datur. Fortassis etiam quæret aliquis, quare in aqua solum modo, & non aliquando in vino baptismus consecretur? Cui respondet beatus Ambrosius, idcirco vniformiter hoc fieri in aqua, vt intelligatur, quia sicut aqua sordes corporis aut vestimenti abluit, ita illud baptisma maculas animæ sordésque vitiorum emundando abstergit. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem*, subaudis peccati & vitiorum. Quomodo possumus viuentes in carne consepeliri Christo? Si morimur peccato, sicut ille mortuus est in cruce, & baptizamur in nomine sanctæ trinitatis, consepelimur ei: si autem viuimus peccato, nequaquam possumus consepeliri ei. Consideremus ergo quomodo moriamur peccato, & consepeliamur & conresuscitemur Christo, & quomodo concordet mysterium mortis, sepulturæ, & resurrectionis eius baptismati nostro. Christus postquam mortuus est in cruce, de cruce positus est in sepulchro, de sepulchro tertia die victor resurrexit. Similiter & nos venientes ad fontem baptismatis, dū abrenūciamus diabolo & omnibus pōpis eius, & omnibus operibus eius, morimur peccato, sicut Christus mortuus est in cruce. Christus de cruce positus est in sepulchro, & nos post cōfessionem sanctę trinitatis cōsepelimur ei in cōnato, id est, simul nato terræ elemento, hoc est in aqua. Resurrexit ipse tertia die viuus, & nos post ternam mersionem resurgemus de morte peccatorū ad vitam, vt deo viuamus in sanctitate & bonitate cæterísque virtutibus. Ascendit ad cælos, & nos post illum ascendemus, si in nouitate vitæ ambulauerimus: & quasi diceret aliquis Apostolo. Ad quid sumus cōsepulti Christo? subiunxit: *Vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*

Mat. 10.

Actu. 12.

Ephe. 4.

bulemus. à mortuis surrexit Christus. i. sepulchro quod propriè locus est mortuorum, siue ab inferno. Per gloriam autem dei patris dixit surrexisse Christū. i. per diuinitatis virtutē, vt glorificaretur eius pater in eius suscitatione, sicut ipse loquens ad patrē dixit: Pater, clarifica nomen tuum, id est, suscita filium tuum, vt mea suscitatione glorificeris. Potest etiam intelligi, quòd ipse filius potentia deitatis suscitauerit semetipsum, qui est gloria patris. sicut ei dicit in Psalmo, Exurge gloria mea, exurge psalterium, id est, chorus omnium virtutum. Cui filius. Exurgam diluculo, Ipse quoque filius dicit de sua suscitatione loquens ad Iudæos, Soluite templū hoc, & post triduum suscitabo illud. ita enim intelligendum est, vt sicut tota trinitas creauit illum hominē, tota ita trinitas suscitauit illum, quia opera totius trinitatis inseparabilia sunt. Præcipit ergo apostolus, vt sicut Christus surgēs à mortuis iam non moritur, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, hoc est sicut noui effecti sumus in baptismo, ita semper noui & immaculati viuamus, ambulantes de virtute in virtutem. Nouitas enim vitæ est, post baptismum criminalia peccata non committere, & à leuibus inquantum possibile est temperare, qua nouitate innouantur quotidie electi, dum proficiunt in virtutibus: & laudatur omnipotens deus in illorū operibus, sicut deus dicit, videantur opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. *Si enim cōplantati facti sumus similitudini mortis eius*, id est, Christi, *simul & resurrectionis erimus*. subaudis cōplantati, id est, coniuncti & conformes. Quidam codices habēt resurrectionis, genitiuum videlicet casum: sed melius est, vt doctores dicunt, dicere per datiuum resurrectioni, quia verbū complantati ei, superioribus iungitur. arbor complātatur arbori cum inseritur, & Christus arbor est per similitudinem, de qua dicit Salomon in persona sapientis quę est Christus, lignum vitæ est his qui apprehenderint eam. Ipse est etiā arbor vitæ quę est plantata in medio paradisi, hoc est in medio ecclesiæ. Idcirco autem arbori comparatur, quia sicut arbor pascit & vmbrā præstat, ita Christus pascit angelos spirituali cibo, sua videlicet contemplatione, homines verò cognitione sua, protegens vtrosque ab omni aduersitate, generaliter autem pascit & reficit totum mundum cibo corporali. Mors etiam

Ioan. 12.

Psal. 56.

Marc. 3.

Pron. 3.

eius arbor potest intelligi, quia sicut arbor ad hoc plantatur vt fructum afferat plantatori, ita mors Christi ad hoc celebrata est in cruce, vt fructum salutis & redemptionis afferret mundo. Quæritur quare dixerit Apostolus, complãtati sumus similitudini mortis eius, id est Christi: & nõ simpliciter cõplãtati sumus morti eius: Mors enim Christi in hoc loco dupliciter potest intelligi, tã spiritalis videlicet quã corporalis. Similitudini mortis eius corporalis cõplantamur, quando sicut ille mortuus est corpore pro peccatoribus nos morimur peccato. In hoc enim est similitudo, quia ille mortuus est corpore nos vitiis. aliter. Similitudini mortis eius spiritalis cõplantamur, quando morimur criminalibus peccatis: Ille enim in veritate mortuus est peccato, qui nunquã peccauit. Cui veritati non possumus cõplantari & coniungi, quia quandiu sumus in hoc mortali corpore, ex toto carere peccatis leuioribus non possumus, sicut
1. Ioan. 5. dixit Ioannes. Si dixerimus, inquiens, quia peccatũ non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Tũc enim similitudinem mortis eius assumimus spiritualis, quãdo eius auxilio freti criminalia peccata non cõmittimus: & sic cõplantamur in præsenti seculo similitudini mortis eius, tam corporalis quã spiritualis, vt sicut ille mortuus est corpore: & mortuus est omnibus peccatis, quia nunquã peccauit, moriamur & nos omnibus peccatis criminalib⁹: erimus vtiq; cõplantati & coniuncti resurrectioni eius in gloria, & cũ apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus
1. Ioan. 3 eum sicuti est, *hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra nõ seruiamus peccato.* Veterem hominem, vt dicit beatus Augustinus, voluerũt quidam intelligere corpus, nouum verò animam, sed non conuenit illud. quia corpus exterior homo à plerisque appellatur, interior verò anima. Hoc verò in loco veterem hominem vocat vitã & conuersationem veteris hominis Adæ, quæ crucifixa, id est, mortua occisa est semel in baptismate. Quicunque enim originali adhuc & actualibus peccatis tenetur obnoxius quæ Adam perpetrauit, vel etiam pluribus, vetus homo est & sequax Adæ, quia vitam & conuersationem eius imitatur. Ad quid ergo mortua est & deleta illa conuersatio, quę vetus homo dicitur? Vt destruatur corpus peccati. Corpus nostrum corpus peccati est, quia nos

trahit

trahit ad peccatum per suggestionem carnis, & concupiscentiam prauam. Quod corpus non ita præcipit Apostolus destrui vt annihiletur, sed vt quiescat ab opere peccati. Tunc enim quasi destruitur dum refrenatur, & retrahitur à peccato & mala voluntate, quam desiderat adimplere, nec permittitur seruire peccato. Aliter: Peccatum enim hic possumus intelligere diabolũ, qui est autor peccati, corpus verò eius vniuersitatem vitiorũ. Sicut Christus caput est omnium electorum, & omnium virtutum: omnésque electi, & omnes virtutes sunt corpus eius, ita diabolus caput est omnium reproborũ omniúmque vitiorum, omnésq; reprobi & omnia vitia corpus illius sunt, & ad hoc deleta est vita & conuersatio veteris hominis Adæ semel in baptismo: vt destruatur vniuersitas vitiorum, quæ est corpus diaboli: vt vltra non seruiamus diabolo, aliter secundum Origenem corpus peccati potest appellari vniuersitas vitiorum, quæ faciunt vnum corpus quodãmodo peccati: singula autem vitia membra sunt vniuersitatis: quam præcipit Apostolus destrui per abolitionẽ, id est, per deletionem cessationis. Bene autem dicit apostolus, semel mortuum esse verterem hominem, vt admoneat nos cauere criminalia peccata, quia sicut Christus semel mortuus est, & iam nõ moritur, ita & nos si semel mortui sumus peccato in baptisma te, non possumus iterum baptizari. *Qui enim mortuus est.* subaudis peccato in baptismo, *iustificatus est à peccato*, id est alienus effectus est ab omnibus peccatis, quapropter debet se custodire, ne iterum polluat se criminalibus peccatis, quia non poterit iterum iustificari per baptisinum. *Si autem mortui sumus cum Christo*, tempore baptismatis peccato, eo modo quo superior sermo texuit. *credimus quia simul etiam viuemus cum Christo* in cœlo post generalem resurrectionem, *scientes quod Christus resurgens à mortuis*, id est, à sepulchro, quod propriè locus est mortuorum, vel ab inferno. *iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Hoc laborat Apostolo in hoc loco, vt ostendat credentibus, quia si semel remissionem peccatorum acceperint, non posse eos iterum baptizari, sicut Christus non potuit mori nisi semel. Et sicut Christus surgens à mortuis, iam non moritur, ita & nos semper debemus viuere virtutibus, quia anima quæ peccauerit, criminali peccato, morietur. Quod au-

tem dicit, mors illi vltra non dominabitur: mortem intelligere possumus nos dupliciter, siue mortem corporalem atque temporalem quę ad tẽpus dominata est ei ipso permittente, siue diabolũ qui ei etiã quodãmodo dimissus est dominari per ministros suos ipso permittente. Intrauit autẽ diabolus in cor Iudæ vt traderet Christũ. Ipse etiã suasit Iudæis & Pilato, vt eũ crucifigerent. Quod diabolus mors appelletur qui mortẽ attulit mundo, ostendit Ioannes inquiẽs: Et nomẽ illi mors. *Quod enim mortuus, subaudis Christus, peccato mortuus est semel*, iste versiculus ita distinguẽdus est vt primũ dicatur quod enim mortuus est, ac deinde subsequatur, peccato mortuus est semel. i. semper mortuus fuit peccato, quia nunquã peccauit. Solus Christus semel mortuus est peccato, id est, semper quia nũquã peccauit. Aliter. Quod Christus mortuus est corporaliter, semel mortuus est peccato nostro, non amplius, ita & nos semel morimus in baptismate. possumus tamen post baptismũ, si peccauerimus, mori peccato, & per dignã pœnitentiam resurgere: *quod autem viuit, viuit deo.* Christus dũ mortuus esset in cruce, & sepultus in monumento, videbatur nobis viuere, sed quid fecit? Intrauit in domũ fortis, id est, descendit in infernum, abstulit diabolo illos quos tenebat electos, & potestatem etiam quam habebat in hoc mundo illi abstulit: sicque quadragesimo die resurrectionis suę ascendens in cœlum, viuit æternaliter deo, id est, in gloria paternæ maiestatis. *Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato*, tempore baptismatis, *viuentes autem deo*. Melius habetur in græco: vt in Origene legitur: Cogitate vos mortuos peccato: viuẽtes autẽ deo, & est sensus. Sicut ille qui crucifixus est: nihil aliud cogitat: nisi tantũmodo misericordiam dei exoret: quatenus eius spiritũ dignetur suscipere, sicut & dominus dixit ad patrẽ. In manus tuas cõmendo spiritũ meũ: ita & vos si quando venit mala concupiscentia: & delectatio praua inflammat vos ad libidinem, & ad cætera mala patranda, cogitate & ad memoriam reducite: quia in baptismate mortui estis omnibus peccatis: vbi recepistis remissionem peccatorũ, & talia cogitantes viuite deo, id est, sapientiæ, prudentiæ, castitati, cæterisque virtutibus. Quicunque enim viuit Deo: omnibus virtutibus viuit quæ in Deo sunt. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore:*

Lucæ 22.

Apo. 6.

Lucæ 23.

pore: vt obediatis concupiscentiis eius. iam quia mortui estis peccato in baptismate: & viuitis deo: cauete ne regnet peccatum in vestro mortali corpore. i. quãdiu in præsenti seculo estis. Non dicit Apost. non sit peccatũ in vestro mortali corpore, sed non regnet. Quandiu sumus in hoc mortali corpore, ad integrum carere peccatis non possumus. De quibus ergo peccatis dicit? De homicidio, de adulterio, & de cæteris criminalibus vitiis, quæ à regno dei nos separãt, non de leuioribus, sicut est peccatũ cogitationis & concupiscẽtiæ. Et quomodo nõ regnat peccatũ in nostro mortali corpore, si statim vt pulsauerit nos cõsentimus, & obedimus delectationi eius, quia subiacemus ei? *Sed neque exhibeatis*, id est, præparetis *membra vestra arma iniquitatis peccato.* Iniquitas est quicquid contra legem agitur, ideóque per iniquitatem debemus intelligere omnia vitia. Membra corporis nostri ad hoc facta sunt, & sensus nostri corporis ad hoc nobis dati sunt, vt nobis necessaria procurẽt & deo militent. Si autem inclinamus aures ad audiendam detractionem de proximo, & ad delectanda verba otiosa, & ad carmina meretricum, si aperimus oculos ad concupiscendam mulierem, si malum odorem, id est, malam famam ex nobis diffundimus: si delectamur in odoribus meretricum, si os aperimus ad loquendam blasphemiam in deum vel proximum: si extendimus manus ad rapinam, si dirigimus gressus pedum ad effundendum sanguinem, tunc membra nostra exhibemus ad hoc vt sint arma militantia peccato & diabolo, qui est autor mortis omniúmque vitiorũ, hoc est, præparamus illa vt militent peccato & diabolo. *Sed exhibete*, id est, præparate *vos deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra* exhibete *arma iustitiæ deo*, id est, vt sint deo arma omnium virtutum militando ei. Si omnia quæ superius diximus de membris nostris in dei seruitio occupauerimus, vt inclinemus aures ad audienda verba Dei, aperiamus oculos ad scrutanda eloquia diuina, & ad pauperem respiciendum: aperiamus os ad enarranda mirabilia Dei, extendamus manus ad eleemosynam, dirigamus pedes ad pacem, bonum odorem de his omnibus reddentes, tunc membra nostra arma omnium virtutum erunt, & militabunt Deo. Quod autem dicit, tanquam ex mortuis viuentes, sensus est: Sicut illi qui domino resur-

Mat.25. gente surrexerunt, de quibus dicit Euangelista. Multa corpora sanctorum surrexerunt, viuunt quidem, sed neque cõcupiscunt, neq; peccare appetunt, ita & vos cogitate mortuos quidem esse peccato, & viuite deo, declinantes à peccatis criminalibus. *Peccatum enim vobis non dominabitur,* subaudis si hæc feceritis, sed vtinam vobis peccatum non dominetur, vbi dominatur peccatum, ibi perficitur. Dominatur enim homini quando obedit desideriis eius. *Non enim estis sub lege, sed sub gratia.* Non estis, inquit, sub lege Moysi quæ punit & damnat peccatores, sed sub gratia Christi, id est sub remissione peccatorum, & quia remissionem peccatorum iam perceptam habetis, non debetis peccare. *Quid ergo? Peccabimus quia non sumus sub lege* Moysi, quæ peccatores punit, *sed sub gratia* quæ peccatum dimittit? Poterat aliquis dicere, iam quia sub lege non sumus, quæ pœnam infert peccantibus, satis possumus peccare, quia quicquid deliquerimus dimittetur nobis larga pietate per gratiam Christi: ad hæc apostolus, non affirmando dicit, sed denegando: Nunquid ergo semper peccabimus, eo quod lex deest cuius pœna constringamur? *absit* vt semper peccemus, quia gratia ita vult nos viuere, vt criminalia peccata non admittamus. *an nescitis* id est, nunquid ignoratis, *quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis* siue sitis serui, *peccati ad mortem* æternam *siue obeditionis* Christi *ad iustitiam?* Si seruimus virtutibus & deo, serui sumus virtutum & dei, Si verò seruimus vitiis & diabolo, serui sumus vitiorum & diaboli. *Gratias autem deo quod fuistis serui peccati.* Fuistis quidem: sed iam non estis. Referens Apostolus gratias deo de fide, bonisque operibus illorum laudat illos, sicut & illos de quibus
Ephe.4. dicebat. Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. *obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis.* Obedistis, inquiens, deo in ea forma doctrinæ, id est in doctrina christianitatis, in doctrina Ecclesiastica, in qua docti siue vocati & adsignati estis deo. *Liberati autem à peccato,* id est ab omnibus vitiis & ab omnibus peccatis in baptismo: *serui facti estis iustitiæ* id est, omnium virtutum. Sicut nomine peccati intelliguntur omnia vitia, ita nomine iustitiæ omnes virtutes: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ.* Quid est quod dicit

cit Apostolus Humanum dico? hoc est leue, & ad complendum facile, acsi diceret aliis verbis, Quia carnales adhuc estis, nec potestis propter fragilitatem carnis maiora præcepta ferre & implere, idcirco leuia præcepta vobis committam. Quid enim tam facile, vt Origenes dicit, quid tã leue quàm vt sit homo tam promptus ad iustitiam & voluntatem dei complendam, sicuti & ad mala opera solet esse promptus vbique? Multo magis siquidem leuius potest virtutibus deseruire, quàm vitiis: & dei voluntatem adimplere, quàm diaboli. Videamus quomodo & dicamus pauca ex pluribus. Est quilibet latro, & quilibet alius iustitia propria viuens, non de rapina. Dum latro cruciatur gelu & frigore: & superfluis meditationibus per dies & noctes torquetur, voluens animo & expectans in agro quomodo furtum perficiat, iustus securus epulatur in die de laboribus suis, & quiete noctis cum securitate delectatur, & dormiente isto somno gratissimo, plerunque ille qui gelu frigoris & inedia famis torquetur, occiditur ab his quib⁹ vim inferre moliebatur. Similiter qui adulterium perpetrat, timet superuenire maritum & interfici ab illo, timet etiam vicinos propter famam volantem, Econtra castus & amator proprij connubij cum securitate firma seruat castitatẽ suam: vel etiam secure cum optata quiete amplectitur proprium connubium: quapropter subiungit Apostolus. *Sicut enim exhibuistis* inquit, id est, præparastis *membra vestra seruire immunditiæ* id est, libidini, fornicationi, impudicitiæ, *& iniquitati ad iniquitatem* subaudis perpetrandam: *ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ* omnibúsque virtutibus *in sanctificationem,* videlicet vt sancti esse possitis. secũdum quod deus præcipit: Sancti estote, quia & ego *Leuit.16.* sanctus sum. Per iniquitatem debemus intelligere omnia peccata, quia quicquid contra legem dei agitur, iniquitas nũcupatur. Per iustitiam verò omnes virtutes: & est sensus: sicut vos præparastis antequàm ad fidem vocati essetis, vt seruiretis omnibus immunditiis omnibúsque vitiis, ita nũc in fide iam cõsistentes præparate membra vestra, & omnes sensus corporis vestri, quomodo seruiatis omnibus virtutibus. *Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ,* id est, alieni fuistis à iustitia. Sicut qui seruit peccato & diabolo, eius seruus est cuius voluntatem adimplet, sic qui ser-

uit iustitiæ, seruus est iustitiæ & dei. Qui enim seruit furto & adulterio, seruus est furti & adulterij. Sed & hoc sciendū quia sicut seruum esse iustitiæ laudabile est, liberum verò esse à iustitia, non est laudabile, ita seruum esse peccati, detestandum est, liberum autē à peccato, laudandum. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis?* subaudis immunditiis peccatorum, *in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.* Romani antequā ad fidem domini venirēt, omnibus vitiis omnibúsque turpitudinibus seruiebant, quod etiā turpe est dicere, quæ ab apostolo in hac epistola iā sun tsuperius cōmemorata. Veniētes autem ad fidem erubescebāt ac verecundabantur, non solum facto, sed etiam in recordatione eorum, vnde volens eos confirmare, ne ad illa reuerterētur, aiebat: Dicite mihi, quem fructū, id est, quid boni consecuti estis, vel quā remunerationem bonam habuistis in illis immūditiis, quas perpetrastis antequàm ad fidē veniretis, in quarū recordatione & memoria nunc erubescitis & verecundamini? Nā finis, id est, consummatio illorū peccatorū mors æterna est. Quando homo in peccatis criminalibus moritur, & terminum vitæ facit, finis peccatorum mors est illi: quia mortem æternā inde accipit. de talibus dicit propheta. Computruerunt iumenta in stercore suo. Iumenta appellantur homines qui irrationabiliter viuunt, sine honestate morū & cōuersationis. Iumenta quippe putrescere, est in stercore, in fœtore luxuriæ, & turpitudinibus vitiorum vitam simire. *Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti deo, habetis fructum vestrum sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Nūc, inquit, liberati à peccato per passionem Christi, per aquam baptismatis, serui autem facti deo, qui antea eratis serui diaboli, habetis fructum operum vestrorum in sanctificationem, quia opus vestrum sanctum, sanctificationem vobis procurat, finem verò vitam æternam, id est propter consummationem operum vestrorum habebitis vitam æternam: quæ vobis dabitur pro perseuerantia vestra. *Stipendia enim peccati,* id est remuneratio peccatorum *mors* æterna est. Non tamen de omnibus peccatis intelligendum est, sed de criminalibus peccatis, de quibus dicit Ioannes. Est peccatum ad mortem, non pro hoc dico, vt quis roget. Stipendium dicitur à stipite pendenda, id est, à substantia ponderanda. Antiquitus enim potius ponderabatur

1. Ioan. 5.

derabatur pecunia quā numerabatur. Vnde militibus pro vita regis & libertate patriæ militantibus stipendium, hoc est substantia & remuneratio ex publico ærario cōferebatur: & sicut illis remunerationis causa stipendium dabatur, ita militantibus diabolo dabitur mors, siue æterna damnatio pro remuneratione. *Gratia autem dei vita æterna in Christo Iesu.* Quid est quod loquens de remuneratione peccati, stipendium nominauit ipsam remunerationem, & de remuneratione electorum dixit gratiam dei? Ideo: quia illi qui militant, propriam mercedem accipiunt, quicquid autem electi habent, totum à gratia dei accipiunt, siue fidem, siue charitatem, seu aliquod bonum opus habeant, & insu per pro gratia ista fidei & bonorum operum gratis accipient à deo vitam æternam per adiutorium Iesu Christi, sine quo nihil boni habere possumus.

CAPVT. VII.

Ignoratis fratres, id est nunquid ignoratis quæ ego dicturus sum? *scientibus enim legem loquor, Quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit?* compa ratio est in hoc loco, & in sequentibus à lege humana, tendens ad diuinam legem, siue à lege Moysi ad legem Euā gelij. Gentibus Iudæisque loquebatur Apo. habitantibus Romæ, ex quibus Iudæi legem diuinam sciebant. Romani quoque ab Atheniēsibus leges sibi mutua uerunt: quorum rex Phoroneus leges humanas composuerat, ideo dixit, Legem scientibus. De lege loquor, quæ hanc habet consuetudinem, vt vnicuique homini dominetur quā to tempore ipse homo viuit. Verbi gratia, Romanus quanto tempore viuit, sub domino Romanæ legis consistit. Gallus & Hispanus, similiter Iudæus & Christian⁹, monachus & canonicus, quanto tempore viuunt, sub domino legis suæ viuunt, *Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi,* id est, potestati viri: *si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri.* Secundum legem Moysi & euangelij, necnon secundum leges humanas ista est consuetudo, vt viuente viro, sub eius potestate sit mulier: mortuo verò illo, soluitur à potestate illius, & potest cui vult nubere. Vel aliter, Si acceperit Gallicus homo vxorem Roma-

nam genere,quandiu vixerit vir eius,sub ea lege viuet qu
vir eius,& per eam respõdebit interrogata in publico,ma
tuo autem viro,reuertetur ad propriam legem,& deinceps
non viuet sub lege viri.Præterea digna consideratione pe
pendendum est,duos viros in hoc loco spiritualiter ab A
postolo introduci,& vnam mulierem.Vnus autem vir in
intelligitur Moysi,quæ sicut vir super vxorem, ita illa re
nebat dominiũ super Israëliticam plebem,alter verò Vir
accipitur peccatum, quod plerumque dominatur animæ
Mulieris autem nomine,vel specialiter vnamquanque ani
mam,vel generaliter totam plebem Israëliticam vult in
telligi,quod in sequentibus distincte singulis in locis ma
nifestabitur.Nam cum dicit Apostolus,Quæ sub viro e
mulier, per virum vult intelligi legem Moysi, per mul
rem autem specialiter quamlibet animam:vel generaliter
plebem Israëliticam,vt diximus,quæ sub lege Moysi con
sistebat.Quod verò subiungit,viuente viro alligata est le
gi,per virum hic vult intelligi passiones carnis,id est,vitia
quæ quandiu viuunt in homine, alligatus est legi Moy
quæ dicit:Si quis hoc vel illud fecerit:morte moriatur, &
est sensus.Anima vel plebs quæ sub viro est,id est,sub leg
Moysi consistit.viuente viro,id est regnãtibus in illa,sub
iacet legis Moysi vindictæ,quæ data est impiis & peccat
ribus.Si autem mortuus fuerit vir eius,id est,si mortua fu
rint peccata in anima & vitia carnis,soluta est à lege vir
id est,non est iam subiecta legi Mosaicæ,quia nihil habet
quod ei debeat.Lex enim non est posita iustis,sed peccat
ribus & impiis.Viuit & regnat peccatũ in anima quandi
statim vt pulsat hominem,perficitur:moritur verò,quando
mens nõ obedit eius suggestioni & delectationi. *Igitur vi
uente viro vocabitur vxor adultera,si fuerit cum alio viro.* Hoc
simpliciter intelligendum est, & eo modo quo & illud in
Mat.5. Euang.Omnis qui dimiserit vxorem,& alteram duxerit,
mœchatur,excepta causa fornicationis:& qui dimissam
viro duxerit mœchatur:& qui dimittit si alteram accipit,
& qui dimissæ copulauerit se, vterque adulterium per
petrat.Potest tamen nõ incõuenienter referri ad plebem
Israëliticam, sicut & superiora.Quandiu lex vixit, id est
quandiu obseruari debuit à Iudæis,si quis Iudæorum re
quit illam,& cultum dei veri,& se copulauit errori gen
lium

lium adorãdo idola,adulter fuit. Vnde etiam ipsa plebs
meretrix appellatur,dicente Ezechiele : Propterea mere- *Ezec.16.*
trix audi verbũ domini. *Si autem mortuus fuerit vir eius,libe-
rata est à lege viri,vt non sit adultera,si fuerit cum altero viro.* Ad
literam satis patent : Si autem mortuus fuerit vir eius.i.si
mortua fuerint peccata & vitia carnis:quæ solét plerunq;
dominari animæ, liberata est à lege viri.i. Moysi quæ tam
diu dominabatur homini,quãdiu peccabat,& nõ erit adul
tera si fuerit cũ alio viro,id est, cũ Christo,& sub euãgelio.
Anima enim quę liberata est à peccatis,Christo debet ad-
hærere. *Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per cor-
pus Christi.* Debuerat dicere, Mortua est lex vobis : sed ne
scandalizaret Iudæos,quibus ista scribebat, maluit dicere
mortificati estis legi,quia non habet quod puniat in vobis.
si enim dixisset. Mortua est lex, contristarentur & scanda-
lizarẽtur,eo quod diceret eam aboletã & mortuã. Illi enim
mortificati sunt legi,in quib⁹ nihil habet quod puniat. Cũ
dicit.Per corpus Christi mortificati estis legi,de quo corpo
re loquitur? Nã corpus Christi est quod assumpsit in vtero
virginali,corpus Christi est tota ecclesia fidelium, corpus
Christi est quod cõsecratur in ecclesia quotidie. Apparet
ergo de illo corpore dixisse Apostolum, quod assumpsit in
vtero virginali.Per corpus suũ ergo Christus nos liberauit
à lege,id est,per passionem corporis sui dedit nobis remis
sionem peccatorũ,vt iam non simus subiecti legi,si peccare
desistimus. *vt sitis vos alterius,* id est,Christi:*qui ex mortuis re-
surrexit:vt fructificetis deo:* ideo(inquit)redempti estis passio-
ne Christi:ideo accepistis remissionem peccatorum : vt iã
non sitis subiecti legi:sed Christo, vt fructificetis deo. Ille
fructificat deo : qui animas ei multiplicat , & qui acquirit
eas verbo & exemplo & quibuscunque modis. *Cum enim
essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem erant : ope-
rabantur in membris nostris vt fructificarent morti.* Cum enim
essemus(inquit)in carne,id est, in spe rerum carnalium po
siti, & in concupiscentiis carnalibus : passiones peccato-
rum:adulterium videlicet:rapina:homicidium:quæ per le-
gem erant cognita hominibus : & quæ per legem cogno-
scebantur esse peccata : operabantur in membris nostris
vitia & peccata:vt fructificarent morti:hoc est vt mortem
æternam nobis acquirerent . Sicut enim qui seruit virtuti-

bus: fructificat vitæ æternæ: quia vitam æternam acquirit; ita qui seruit vitiis, mortem æternam sibi acquirit: Stipendium enim & remuneratio peccati mors æterna est. *Nunc autem solati sumus* per passionem Christi, & per baptismum, *à lege mortis*, id est, à lege Moysi, quæ mortem inferebat peccatoribus *in qua detinebamur*, subaudis, antequam per Christum solueremur. *ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ.* In vetustate literæ seruit qui circuncisionem & sabbatum carnaliter seruat, & qui per carnalem obseruantiam legis putat se saluari posse. Ille verò seruit in nouitate spiritus, qui circumcisionem spiritualiter seruat, & circuncidit cor suum ab omnibus vitiis, & quiescit à prauo opere, & cætera quæ lex docet spiritualiter intelligit & adimplet. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit* vt lex quæ peccata prohibet causa peccati nobis data sit. Iudex quidem est peccatorum, & docet quid sit appetendum & quid vitandum. non est tamen operatrix peccati, neque causa mortis est illis qui peccant. Verbi gratia: Sicut medicus qui hominé prohibet abstinere à cibis mortiferis, & à succo venenatæ herbæ: si ille comederit aut biberit contra præceptum medici, & mortuus fuerit, non idcirco est medicus causa mortis illius qui prohibuit, sed ipse sibi est causa mortis qui comedit de prohibitis, ita lex quæ prohibebat peccata, dicens: Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur, peccantibus & ea facientibus quę ipsa prohibebat non erat causa mortis, sed ipsi qui transgressores existebant, erant sibi causa suæ damnationis. *Sed peccatum non cognoui nisi per legem.* id est, pœnam & vindictam peccati non cognoui, nisi per legem quæ punit peccata, vel etiam quædam mala opera non cognoscebam quia peccatum essent, vsquequo lex venit. Erant enim quædam peccata, quæ nõ putabantur ante legem esse peccata, sicut erat peccatum concupiscentiæ, de quo ipse subiungit: *Nam concupiscentiam* libidinis, aliarúmque malarum rerum *nescirebam*, subaudis peccatum esse. *nisi lex diceret: Non concupisces.* Per concupiscentiam enim intelliguntur & alia quàmplura peccata quæ ante legem ignorabantur esse peccata vel qua pœna digna essent. *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum legis operatum est in me omnem concupiscentiam.* Ex

persona Iudæorum loquitur Apostolus pœnitentiam agentium: vel ex persona vniuscuiusque hominis pœnitentiam agentis. Nam quando ista loquebatur, gratia baptismatis iustificatus erat. Peccati autem nomine in isto loco Beatus Ambrosius vult intelligi diabolum qui est autor peccati. Videns enim diabolus quia per obseruantiam legis rediturus esset homo ad veniam, inuidit iterum ei sicut & primo homini: cõsideránsque legem, inuenit quomodo per transgressionem eius posset illum damnare, quem antea damnauerat per originale peccatum: & accepta occasione, per transgressionem legis inflammauit ilium, non solum ad concupiscentiam libidinis, sed omnium vitiorum, vt per concupiscentiam fieret præuaricator legis. Nam hoc habet proprium per transgressionem humanæ mentis infirmitas, vt difficilius obseruari possint prohibita. *Sine enim lege* naturali, vel Moysi, *peccatum mortuum erat*, id est, latebat, ignorabatur, non apparebat. Antequam lex naturalis & intellectus incipiat vigere in paruulis, aliísque hominibus, licet percutiant patrem & matrem, & maledicant parentibus, non peccant. Postquam autem ad legitimos annos intelligentiæ peruenerint, si aliquid tale fecerint peccant, & vindictam recipiunt. Similiter antequam lex Moysi data esset, erant quædam peccata quæ ignorabãtur peccata esse, quæ commissa non tantæ grauitudinis erant: vel etiam si cognoscebantur esse peccata, latebat qua pœna digna essent. *Ego autem viuebam sine lege aliquando.* Se ponit pro omnibus, & est sensus: aliquando, id est, antequam legẽ cognoscerem viuere me arbitrabar rectè, cum penè omnibus vitiis deseruirem: *Sed cum venisset mandatum* legis Moysi dicens. Si quis hoc vel illud fecerit morte moriatur. *peccatum reuixit*, illud dicitur reuiuiscere, quod iam vixit. Et peccatum in primo quidem homine vixit, qui scienter peccauit: & in Cain qui dixit: Maior est iniquitas mea quàm vt veniam merear, sed in filiis eius mortuum est: qui ad tantum peruenerunt errorem: vt non putarent esse peccatũ, quod erat peccatum. Adueniente autem lege Moysi reuixit quod cœperat iam viuere, quando latebat. *ego autem mortuus sum*, id est, dignũ me morte intellexi: postquã accepi legem & transgressus sum eam: & inuentum est mihi

Universidad de Deusto
Biblioteca

mandatum quod erat ad vitam: hoc esse ad mortem. Sensit huiusmodi est. Illud mandatum quod mihi ad hoc datū est vt obseruatum & custoditum proficeret ad vitā æternā: neglectum perduxit ad mortem æternam. Et ita factum est vt quod mihi pro bono datum est: meo vitio mutaretur in malum. *Nam peccatum*, id est, diabolus autor peccati: *occasione accepta per mandatum* legis: eo modo quo superius diximus, *seduxit me*: & decepit me dulcedine peccati & concupiscentiæ: vt ea implerem à quibus lex prohibet: *& per illud* mandatū: hoc est per transgressionem mandati *occidit* me in anima. *Itaque quidem lex sancta & mandatum sanctum & iustum & bonum.* vnū mandatū accipe pro omnibus mandatis. Lex sancta: iusta: & bona est: quia sanctitatem iustitiam: bonitatem prædicat: & obseruatores suos sanctos iustos, & bonos facit. *Quod ergo bonum est: mihi factum est mors?* id est, mandatum legis: quod per se bonum est si obseruetur: mihi factum est mors. *Absit* vt illud sit mihi causa mortis. Non enim me occidit illud mandatum legis quod per se bonū est: sed ego me occidi, & causa meæ mortis fui transgrediēdo illud, *Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum* mandatum legis *operatum est mihi mortem*: Peccatum in hoc loco intelligitur diabolus secundum B Ambrosium sicut & in superioribus. Non ergo mihi lex mortem operata est, sed diabolus, vt appareret peccatum .i. inimicus humani generis esse: per transgressionē boni mādati operatus est mihi mortē, quia ad mortē me traxit. aliter secundum beatum Augustinū. Peccatum quod ante legem latebat: & ignorabatur esse peccatum, vt appareret quid esset: per transgressionem legis duxit me ad mortē: quia maiori pœna dignus fui: si peccaui postquam legem cognoui: quia sciens peccaui. *vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum legis.* Erat ante datam legem Moysi magnum peccatum originale & actuale, quo cognoscebatur transgressio naturalis legis, sed istud peccatum excreuit per præuaricationem scriptæ legis: quæ dicit, Non occides: Non concupisces, & *Exod. 20.* cætera. Et cum dicit. Vt fiat supra modum, ostendit quendam modum & mensuram esse peccati, Vnde dominus dicit ad Abraham. Necdum completa sunt peccata Amorrhęorum, & ad Iudæos: Implete mensuram patrum vestrorum. Omnem ergo mensuram peccati quæ erat ante legis transcen- *Gene. 15.* *Matt. 22.*

transcendit præuaricatio mandati legis. Et tale est ac si diceret: Ideo diabolus seduxit hominem per dulcedinē peccati, vt fiat per trāsgressionem mandati supra modum peccans peccatum, id est, deterius & maximum peccatum, velut beatus Hieronymus dicit: Peccatum peccatius. *Scimus enim, quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Ex persona generis humani loquitur hic apostolus, & in sequentibus: vel etiam ex persona cuiuscunque hominis pœnitentiam agentis, & ex toto corde se ad dominū conuertentis, Lex enim Moysi spiritalis est, quia spiritalia præcepta habet, ea docens quæ ad salutem animæ pertinent, vel etiam spiritalis dicitur, quia spiritaliter se vult intelligi à nobis. Ego autem carnalis sum, id est, mortalis sum adhuc, ideóque in carnalibus desideriis & concupiscētiis spem pono, venundatus sub peccato. Primus homo accepta dulcedine vetiti pomi vendidit semetipsum diabolo in seruum, cum liber esset, & omnis qui concupiscentia carnali delectatur: & dulcedine peccati fruitur: diabolo & peccato se vendidit cui se supponit. *Quod enim operor. non intelligo.* Personam duorum hominum assumit in his verbis apostolus, interioris videlicet, id est, mentis, & exterioris, id est, carnis. Quid operabatur Apostolus? Concupiscebat contra legis præceptum: quam concupiscentiam non intelligebat, id est non approbabat. non eligebat, neque perficere optabat. Notandum autem: multa hic loqui Apostolum ex persona generis humani de concupiscentia, per quam debemus intelligere vniuersitatem vitiorū, quæ omnia per concupiscentiam explentur. Nullum enim peccatum perficitur sine concupiscentia, verbi gratia: Qui facit homicidium. concupiscit illum occidere, cui vim infert, sic de cæteris vitiis intelligendum. *Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi malum illud facio.* Quid volebat Apostolus? Volebat non concupiscere, & tamen concupiscebat. *Si autem quod nolo illud facio,* id est, concupisco, *consentio legi quoniam bona est.* licet concupisceret per fragilitatē carnis, tamē quia mēte nolebat cōcupiscere, concordabat legi dicenti. Non concupisces. *nunc autem* subaudis gratia dei confortatus, *iam non ego operor illud* desiderium peccati: neque concupisco affectum mentis: *sed quod habitat in me peccatum,* id est, mala consuetudo peccan- *Gene. 2.*

di quam traxi ex Adam, operatur in me concupiscentiam.

Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. Cum dicit, non habitat in me, totum posuit pro parte, sicut Ioan.20 & Maria in euangelio, Tulerunt (inquiens) dominũ meũ, id est, corpus domini mei, sed subiungens. Hoc est in carne mea, exposuit ipse quid esset quod dicit, Non habitat in me aliquod bonum, & separauit affectum mentis à desideriis carnis in qua nihil est boni, quia semper delectatur carnalia opera perficere. *nam velle adiacet mihi*, id est, ineſt mihi velle, & voluntas est mentis, vt non concupiscam malũ quod non velim. *perficere autem non inuenio.* quia non possum non concupiscere. Perfectum bonum est non solum non perficere, sed nec concupiscere. *non enim quod volo bonum hoc facio*, quia nollem concupiscere, & concupisco. *Sed quod nolo malum hoc ago*, quia concupisco. *Si autẽ quod nolo illud facio*, id est, si concupisco: & delector in carnalibus desideriis, *iam non ego operor illud.* desiderium rationabilitate mentis & intentione, *sed quod habitat in me peccatum*, id est, mala consuetudo peccandi. *Inuenio igitur legem mihi volenti facere bonum* vt non concupiscam, *quoniam mihi malum adiacet*, consuetudo videlicet praua & concupiscentia peccati. Ordo verborum est: Mihi volenti facere bonum, inuenio legem bonam & vtilem. ac si diceret aliis verbis. Quia delectatio carnis & suggestio diaboli impellunt me ad malum, volenti mihi facere bonum, inuenio legem Moysi: quæ præcipit declinare mala: & facere bona. Psal.36.

Condelector enim legi dei secundum interiorem hominem id est, secundum rationabilitatem mentis. Lex dicit. Non concupisces, & ego condelector illi, quia nolo concupiscere, ideóque quod illam delectat, delectat & me. *Video autem aliam legẽ in membris meis, repugnantem legi mẽtis meæ* id est, rationabilitati & intentioni mentis, *& captiuantem me in lege peccati*, id est, captiuare volentem in lege malæ consuetudinis *quæ est in membris meis.* Legem membrorum appellat onus pondúsque mortalitatis, quia corpus nostrum adhuc mortale, trahit nos quotidie ad concupiscentiam malam & consuetudinẽ prauã. Lex enim mẽbrorum corporis est cõcupiscere: sicut lex mentis nõ cõcupiscere. Alio modo secundũ B. Greg. Alia lex quæ est in membris, repugnãs legi mẽtis: intelligitur titillatio carnis, id est pronitio

motio ad libidinem: vel certè omnis concupiscentia mala. *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum.* Ex persona generis humani loquitur: sicut & superius: vel ex persona illorum qui recedunt à peccatis: & ex toto corde desiderãt deo seruire, sed impugnantur à concupiscentiis carnis, & delectationibus corporis, ideóque desiderãt liberari à corpore mortali & corruptibili: per quod trahuntur ad concupiscentiam. Sed non omnes homines liberabuntur ab hoc corpore corruptionis. Reprobi enim licet recipiant corpora immortalia, tamen non ideo liberabuntur à corruptione, quia corruptibilia erunt & poterunt corrumpi à vermibus & igne: vt sicut propriis delectationibus seruierunt, & voluptatibus in corpore & anima, ita corpore & anima pœnas æternas luent, electi autem liberabuntur in die iudicij ab omni fœce peccati & mortalitatis atque corruptionis, quia recipient corpora immortalia & incorruptibilia, in anima quoque incommutabilitatem, nec poterunt vltra concupiscere aut aliquid mali cogitare, sed in dei omnipotentis contemplatione erunt intenti, & hoc per gratiam dei patris & adiutorium domini nostri Iesu Christi, per quem omnia bona habemus. Aliter: Corpus mortis possumus intelligere vniuersitatem vitiorum, sicut iam supra dictum est: vnumquodque peccatum per se membrum est, vniuersitas verò peccatorum corpus appellatur. Quod idcircò corpus mortis dicitur, quia mortem æternam infert. De quo corpore mortis, id est, vniuersitate omnium peccatorum exorabat apostolus liberari. *Igitur ego ipse mente seruio legi dei, carne autem legi peccati.* Rationabilitate mentis & intentione seruio legi dei, consentiendo ei, dum volo cõcupiscentię carnali subiacere, carne autem legi peccati, id est, cõsuetudini malę: quia concupisco. Inquantum malignus spiritus suggerit & caro delectat, homo legi peccati seruit. inquantum verò contradicit mens his, legi dei seruire contendit.

CAPVT VIII.

NIhil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulãt. Hinc datur nobis intelligi, quia se ponit pro omnibus fidelibus. Qui ergo mente seruiunt legi dei,

licet concupiscant carne, nihil damnationis est illis, quia non ambulant secundum carnem, id est, secundum carnalia desideria non viuunt, vel certe in illis, qui iã de corpore mortis sunt liberati, id est, qui ab vniuersitate omniũ peccatorum tempore baptismatis per dei gratiam sunt exuti, & in eadẽ sanctitate manent, nihil est dãnationis vt morti æternæ subiaceant. *Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis.* Legem appellat gratiam spiritussancti, qui spiritus vitæ ideo appellatur, quia quoscunque repleuerit, viuere facit in virtutibus: & dimittendo peccata, perducit ad vitam æternam. Lex enim spiritus vitæ, id est, gratia spiritussancti, quæ viuificat nos in anima, tempore baptismatis liberauit me à consuetudine peccati per quã peruenitur ad damnationem mortis æternæ. Aliter: Legem in hoc loco gratiam sancti euangelij possumus accipere, quam per spiritum sanctum didicimus, vbi nobis vita repromittitur æterna, vel lex spiritus fides intelligitur, quæ spiritussancti esse dicitur, quia ab illo: & per illum conceditur. Nemo enim dicit dominus Iesus, nisi in spiritusancto, & fides vita est: quia ad vitam æternam nos ducit. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati.* Impossibile erat legi vt hominem iustificaret, & mundaret à peccatis, & vt ianuam patriæ cœlestis aperiret, quod gratia euangelij per passionem domini saluatoris & aquam baptismatis credentibus præstat. Et in hoc erat ei impossibile istud facere, in quo infirmabatur per carnem, hoc est per carnales obseruantias: & per obseruationem carnalem illorum qui carnaliter ea intelligebant, atq; carnaliter viuebant. Impossibile enim erat sanguine hircorum mundari peccata: quia lex non venit tollere peccata sed ostendere. In hoc infirma erat quia neq; hominem se carnaliter obseruantem, neque ea destruentẽ quæ ipsa præcipiebat, iustificare poterat, ideóque infirmabatur per carnem, quia à nullo mortalium secũdum carnẽ impleri poterat. Vnde beatus Petrus dicit. Quid tentatis deum, imponere iugum legis super ceruices fratrum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Vel in hoc infirmabatur per carnem, quapropter concupiscentia carnis neminẽ iustificabat. Sicut enim medicus in ea parte est

1.Cor.12.

Actu.15.

te est infirmus, in qua nõ potest cęco lumen reddere, aliisque infirmis sanitatem præbere: ita Lex in ea parte erat infirma, in qua non poterat hominem mundare à criminalibus peccatis, sed deus pater mittẽs filium suum ad saluandum genus humanum, quæ missio nihil aliud est quàm illius incarnatio, quod lex non poterat conferre, contulit ipse. Quare autem dicit, in similitudinem carnis peccati illum missum, cum in veritate credendum sit, eum verum corpus assumpsisse ex carne & ossibus? Corpus nostrum & caro nostra caro peccati est, quia libidinoso vsu procreatur, ideóque cum peccato concipitur, cum peccato originali nascitur, & in hoc seculo sine peccato non potest cõuersari. Corpus verò Christi nõ libidinoso vsu maris & fœminæ est procreatum, sed opere spiritussancti de semine mulieris sine semine virili: ideoque sine peccato conceptus: sine peccato est natus: & sine peccato ab hoc mundo transiuit: & in hoc fuit caro illius in similitudinem carnis peccati: quia veram carnem habuit, sed sine peccato. quod nos non habemus, *& de peccato damnauit peccatum in carne.* Licet difficilis videatur iste versiculus, sensus tamen iste est: Peccatum appellat apostolus in hoc loco carnem Christi, nõ quia peccati maculam habuerit: sed quia pro peccatoribus oblata est, sicut idem Apostolus aliàs dicit eum. id est, Christum deus pater pro nobis peccatum fecit, id est, hostiam pro peccatis. Sic enim hostia appellabatur pro peccato in veteri testaméto, maximè in lxx. interpretibus. Vbi dicitur. Posuit manum suam super caput peccati, id est, super caput hostiæ quæ offerebatur pro peccato. De peccato dãnauit peccatũ in carne sua. i. de carne sua, quæ fuit hostia pro peccato, dãnauit peccatũ humani generis, nõ peccando per carnem. Dupliciter enim dãnauit, siue occidit & mortificauit peccatum generis humani, vel quia non peccauit in carne sua, vel etiam mortificando illud in cruce, Tale est hoc, quasi quis de barbaris, victoriã sumat de barbaris, & de Gothis vincat Gothos. *Vt iustificatio legis impleretur in nobis*, id est, vt per passionem eius redempti, & per baptismum ab omnibus peccatis liberati, per spiritum quoq; sanctum roborati, opera legis spiritualiter implere possimus, per cuius impletionem possumus iustificari. *Qui non secundum carnem ambulamus*, id est, secun-

1.Cor.3.

Leuit.1.

dum carnalia desideria viuimus, sed secundum spiritũ sanctum, hoc est secundum quod spiritussanctus docet & præcipit: vel certe idcirco dãnauit deus hostia factus pro peccato peccatum generis humani, seu diabolum qui est author peccati, vt iustitia quam lex præfigurabat, in sacrificiis suis, in agno scilicet, ariete, columba, & turture, cõpleretur in nobis per Christum in eius passione, quam illa significabant. *Qui enim secundum carnem sunt*, id est, qui carnaliter viuunt, & carnalibus delectationibus fruuntur. *Quæ carnis sunt sapunt*, hoc est, carnalia & temporalia solummodo requirunt, non curantes de spiritalibus. *Qui verò secundum spiritum viuunt*, id est, secundum quod ipse docet & eius voluntas est viuunt, *quæ sunt spiritus sentiunt*, id est, spiritalia sectantur, gaudia patriæ cœlestis quærentes. Aliter: Homo ex duabus substantiis consistit, ex carne videlicet & anima. Si actus carnis superauerint affectum mentis, carnalia & temporalia tunc homo requirit, si verò affectus spiritus siue mentis superauerit actus carnis: tunc spiritalia sectatur. *Nam prudentia carnis mors est.* Prudentia verò carnis siue carnalis est malum pro malo reddere, carnalia desideria sectari, quæ si quis impleuerit, morte æternam sibi acquirit. Philosophi definierunt prudentiam esse bona temporalia appetere, & mala temporalia cauere. Quæ prudentia quia carnalis est, idcirco generat mortem æternam, quoniam dum bona præsentis vitæ omni auiditate desiderantur, & aduersa pro Christi nomine desiderantur, bona æternæ vitæ pro nihilo habentur. *Prudentia autem spiritus, vita, & pax*, prudentia spiritus, id est, rationabilitas mentis, est malum pro malo non reddere, amicos in deo, & inimicos propter deum diligere: orare pro
1. *The.* 3. persequentibus, & calumniantibus, iuxta quod euangelium præcipit, cuncta temporalia ac transitoria spernere, gaudia patriæ cœlestis toto nisu mentis appetere. Prudẽtia enim mentis in præsenti pacem habet, non reddendo malum pro malo, & in futuro vitam æternam meretur. *Quoniam sapientia carnis inimica est deo.* Quod superius dixit, prudentiam carnis, modo appellat sapientiam carnis. Sapientia autem carnalis hominis & mundana est, in rebus caducis spem ponere, & ea operari quæ superius diximus. *Legi enim dei*, id est, legi euangelij, quæ dicit, Malum

lum pro malo non reddas, *non est subiecta*, sapientia carnalis. Quare? *Quia non potest.* Et quare non potest? Quia non vult, timens amittere bona temporalia. Dum enim malum pro malo reddunt, odientes inuicem, euangelio contrarij existunt quod inimicos præcipit diligi. *Qui autem in carne sunt*, id est, qui secundum carnalia desideria viuunt: & in spe carnalium bonorum sunt positi: *deo placere non possunt*, subaudis quandiu in talibus manent. *Vos autem*, ô Romani, *in carne non estis*, id est, in carnalibus desideriis: quia iam mortificastis membra vestra cum vitiis & concupiscentiis, *sed in spiritu* estis, id est, in spiritalibus rebus, & spiritualia quæritis. *Si tamen spiritus dei habitat in vobis*, hoc est, si spiritussanctus habitat in vobis, tunc vtique spiritaliter viuitis. *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Spiritussanctus communis spiritus est patris & filij. Quomodo potest cognosci si spiritussanctus habitat in nobis? per operationem bonam & veram, quia spiritussanctus disciplinę effugiet fictũ. Quicunque Christi opera imitatur, oret pro persequentibus & calumniantibus, vtique spiritum eius habet in se habitantem, id est spiritum sanctum, qui est titulus possessionis eius, quia quemcunque repleuerit ad corpus Christi facit pertinere: qui verò Christum non imitatur, nec spiritum eius habet, non pertinet ad patrem illius. *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est*, id est, Mortale & moriturum, *propter peccatum* Adæ: & propter actualia post modum commissa, *Spiritus verò*, id est, anima, *vivit* apud deum per fidem, *propter iustificationem* fidei & baptismatis, per anticipationem dicit corpus mortuum esse, pro eo quòd debuit dicere, mortale & corruptibile. Hoc autem sciendum est: quia non propter terrenam fragilitatem corpus nostrum mortale est, sed propter peccatum. *Quòd si spiritus eius*, id est, patris, *qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, habitat in vobis*, per fidem, per charitatem, per spem, sicut *Esaiæ.* 12. dicit per prophetam. Inhabitabo in illis, *qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra*, in die iudicij, vt vltra non sint mortalia, *propter inhabitantem spiritum eius in vobis*, in quo inuenerit deus pater in præsenti seculo habitantem spiritum sanctum: vtique potentia diuinitatis, qua Christum suscitauit, suscitabit & illum in

die iudicij ad gloriam, dans ei immortalitatẽ & incorruptibilitatem in corpore, & incommutabilitatem in anima. Passio etenim Christi à morte animæ liberauit nos in præsenti seculo, sed mors corporis vsque ad generalem resurrectionem omnibus æqualiter eueniet: *Ergo fratres debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus.* Debitor est qui alicui aliquid debet: Non idcireo creati sumus ab omnipotente deo vt secundum carnem, id est, secundum desideria carnis viuamus, quia non sumus carni debitores, sed deo, vt spiritualiter conuersemur, cuncta transitoria & caduca pro nihilo ducentes, & deo debitum nostrum reddẽtes. Quid ergo accepimus ab illo vt ei debitores essemus? Quicquid boni habemus. Cum enim non essemus, ab illo de nihilo conditi sumus, & cùm nostro vitio perditi essemus, ab ipso redempti sumus, donante nobis pariter bona temporalia, & promittente æterna. Et quomodo possumus ei debitum reddere? Seruiendo voluntati illius, obtemperãdo mandatis eius: & quicquid boni habemus, nõ nostris meritis, sed illius gratiæ imputando. *Si enim secundum carnem vixeritis*, id est si carnales concupiscentias & delectationes secundum appetitum carnalium desideriorum opere impleueritis, *moriemini* morte æterna. Quid est secundum carnem viuere? Carnalia opera exercere, adulterium videlicet, homicidium, furtum, & cætera talia. *Si autem spiritu* id est, gratia sancti spiritus *facta carnis mortificaueritis, viuetis* vita æterna. videamus primum quæ sint opera vel facta carnis, ex alijs verbis Apostoli. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, & cætera talia quæ sequuntur. Et quid dicit de fructu & operibus spiritussancti? Fructus, inquiẽs, spiritus est charitas, gaudiũ pax, & cætera talia. Quomodo ergo possumus mortificare per gratiam sancti spiritus opera carnis? hoc modo: verbi gratia: Viuit in nobis & regnat superbia, accipientes à sancto spiritu humilitatem, simus humiles, & sic mortificabimus superbiam. Viuit in nobis libido, accipientes à spiritu sancto castitatem, simus casti, & sic poterimus mortificare libidinem. Si, inquit, secundum deum viuendo voluptates carnis & desideria carnalia extinxeritis, beati eritis in vita æterna. *Quicunque enim spiritu dei aguntur.* id est, reguntur & ducuntur ad bonum, *hi filij dei sunt,* non per naturam, sed per

per adoptionem. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum dei, in quo clamamus, abba pater.* Iudæi quibus ista scribebat Apostolus, acceperant à patribus suis spiritum seruitutis in timore, id est legem à spiritussancto dictatam & scriptam: quæ eos cogebat per timorem ad obseruantiam sui, minãs & dicens: Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur. Ipse etiam spiritussanctus, quem illi acceperunt quando data est lex, cogebat eos vt legem obseruarent: Et quia tunc acceperant isti à patribus suis spiritumsanctum & legẽ, ideo dicit apostolus, Non accepistis iterum spiritum seruitutis qui vos cogat per timorem ad seruitium omnipotentis dei, sed accepistis gratiam euangelij, vbi non cogitur aliquis venire ad fidem Christi timore. Accepistis quoque spiritum adoptionis siue electionis filiorum dei, qui vos in partem dei vocauit ad libertatem, vt iam non sitis seruientes deo timore seruili, sed amore ac timore filiationis, quo seruit bonus filius patri, timens eum offendere. Quod verò subdit, in quo spiritusancto clamamus abba pater: tale est ac si diceret: per quem spiritum sanctum edocti & illuminati clamamus, abba pater: nisi enim spiritum sanctum tempore baptismatis accepissemus: nequaquam auderemus deum omnipotenrem factorem nostrum patrem clamare, dicentes in oratione dominica: Pater noster qui es in cœlis. Nemo enim paganorum hoc præsumit dicere. Abba, Syrum est & Hebræum: pater, Græcum & latinum. Præuidens ergo Apostolus vtrosque populos ad fidem colligendos, posuit duo nomina sub vna significatione, vt illi qui credunt ex Hebræis & Syriis, dicant abba miserere nostri: qui ex Græcis aliisque omnibus gentibus credunt: dicant pater. Tale quid in euangelio Marci habetur, dicente domino, Abba pater, si possibile est transeat calix iste à me. *Iste enim spiritus* sanctus *testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij dei,* Si quando opera bona agimus deo seruientes, spiritussanctus qui habitat in nobis, perhibet nobis testimonium in corde per occultam inspirationem sine strepitu vocis, quia filij dei sumus effecti in baptismate, nõ per naturam, sed per adoptionem: & quia talia faciendo, perseuerabimus in eius filiatione. *Si autem filij, & hæredes.* Seruus non meretur accipere hæreditatem, filius accipit:

& nos, si filij dei sumus hæreditatem merebimur accipere? Hoc quoque considerandũ quia hæreditas in morte patris confirmatur secundum humanas leges. Quam ergo hæreditatem poterit deus pater dare nobis, qui non potest mori? Seipsum vtique dabit, vt sicut est immortalis & incorruptibilis, ita & nos simus immortales & incorruptibiles atque incommutabiles, thesauri quoque sapientiæ & scientiæ diuinitatis suæ. *Hæredes quidem dei, cohæredes autẽ Christi.* Hæredes dei patris erimus, vt diximus, sed consideremus quomodo simus hæredes Christi. Hęredes igitur Christi iam ex parte sumus, quia pergens ad passionem reliquit nobis possessionem pacis ecclesiasticæ, inquiens, Pacẽ relinquo vobis, pacem meam do vobis. Quid plura dicã? Omnia quę ipse in præsenti seculo, siue in prędicatione siue in miraculis operatus est, omnia nobis reliquit ad credendum & tenendum, euangelij quoque testamentum, quæ omnia in morte sua confirmauit. Cohæredes etiam eius erimus post generalem resurrectionem, quando erimus immortales incorruptibilésque in corpore atque incommutabiles in anima, sicut & ipse. In gloria quoq; similes ei erimus, quo
1. Ioan. 3. niam videbimus eum sicuti est, velut Ioanes dicit, Charissimi filij dei sumus, & nõdum apparuit quid erimus. Scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus. Et ipse domi
Ioan. 12. nus ad patrem, Pater volo vt vbi sum ego, ibi sit & minister meus. Sicut enim Christus habitat in dextera patris, id est, in magnitudine paternę maiestatis, ita erimus & nos ei cohæredes, quia fulgebimus sicut ipse fulsit in monte, & non
Mat. 19. solũ in gloria erimus ei cohæredes, sed etiã in potestate, sicut ipse dixit Apostolis, Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël. Quid plura dicam? Quicunq; filius dei efficitur & hæres, quæcũque dei sunt, vtique & ipse merebitur accipere. Ista enim omnia cũ securitate expectare possumus, si fecerimus quod sequitur: *si tamẽ compatimur*, subaudis Christo *vt glorificemur cum illo.* Quod est dicere: tunc merebimur cohæredes Christi esse in gloria, si talia patimur pro amore nominis eius necessitate ingruẽte, qualia ipse pro nobis pertulit, imitantes eius passionem
1 Pet. 3. & dilectionem, iuxta quod Petrus dicit: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. *Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Si quilibet hominum omnia præcepta veteris & noui testamenti potuisset implere, & omnia genera tormentorum despicere, carceres videlicet, aculeos, vngulas, vstiones, lapidationes, crucifixiones, frixiones in sartagine per multa curricula temporum, nequaquam esset dignus gloria futura, quam percepturi sunt electi. Quæret aliquis quare? Ideo vtique, quia ista temporalia sunt: illa æterna. Quæ erit illa gloria? Quia fulgebunt electi vt sol in regno patris sui, & erunt sicut angeli dei cernentes præsentissimum dei vultum, iuxta quod Iohannes dicit, Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. *Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum dei expectat.* Creaturam in hoc loco appellat hominem: qui merito creatura appellatur, quia vicio suo imaginem amisit, & similitudinem omnipotentis dei quam habebat in anima. Ista ergo creatura, id est, omnis homo fidelis, manifestationem dei expectat, vt appareat quod promissum est, quando ipsa re manifestabitur qui sint filij dei, quod modo tenemus in spe. Ecclesia siquidem in præsenti permixta est bonis & malis, omnésque Christum clamant, & non apparet qui sint filij dei futuri in re. Cum autem Christus venerit ad iudicium, & separaueritagnos ab hœdis, dicens iustis, Venite
Mat. 25. benedicti patris mei, tunc reuelabitur qui sint filij dei in re. Quod autem dicit, expectatio creaturæ, siue expectatio nostra reuelationem filiorum dei expectat, sic videntur hęc verba sonare, quasi aliud sit creatura, atque aliud filius dei, cum vnum sit. Sic denique soliti sunt homines dicere: videntes in præsentia sui multos colores per diuersa vasa ordinatos, expectatio vel expressio istorum colorum manifestationem imaginis expectat, cum non sit aliud imago, & aliud colores. *Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui fecit eam in spe.* in hoc loco & etiam subsequentibus, vbi dicit Apostolus, quod omnis creatura ingemiscit, reprehendit beatus Augustinus accuratissime Origenem, quare in hoc nomine quod est creatura, comprehenderit non solum bestias, sed etiam solem cæteráque sydera & angelos pariter cum homine: dicens, omnia vanitati subiecta esse. & quod maius est ingemiscere in suo

cursu & operatione. sed licet omnis creatura, quæ potest mutari in melius aut deterius, sicut sancti angeli quondam potuerunt, licet modo non possint illi qui deo adhærent, aut quæ potest à lætitia in tristitiam conuerti, vt homo: respectu cæteræ omnium rerum creaturæ comparatione omnipotentis dei qui semper idem est, vanitas sint, sicut dicit Ecclesiastes, Vanitas vanitatum & omnia vanitas, tamen non ideo omnis ingemiscit, sicut angeli deo adhærentes, qui iam immutabiles sunt effecti, sicut Ezechieli monstratum est in crystalo quod erat super capita animalium, & sicut illa quę irrationabilis est, vel anima caret. Quapropter creaturæ nomine debemus intelligere hominem, qui cum omnibus creaturis quandam communionem habet, quia omnis creatura in tria diuiditur. Aut enim est corporalis: quę potest moueri & volui per loca: aut est animalis qua anima viuificatur, aut est spiritualis, vt angeli qui ratione vtuntur. Homo ergo in hoc quòd corpus habet, coniungitur corporalibus creaturis per animam, anima vegetantibus, per rationę qua discernit inter bonum & malum, spiritalibus. Quod b. Greg. aliis verbis, sed eodem sensu ita exponit dicens. Habet homo inquit, esse, cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire & viuere cum animalibus: intelligere, id est, rationabilitatem habere, cum angelis. Creatura enim, id est, omnis homo viuens in carne, vanitati, id est, mutabilitati, mortalitati, corruptioni subditus est, non volens, quia sponte quidem peccauit in paradiso, sed non sponte neque volens subiectus est mortalitati & pœnæ. Verbi gratia, Sicut latro qui sponte committit furtum, sed non sponte suspenditur, & licet ipse nollet, tamen subiectus est vanitati propter eum, id est, propter iustum omnipotentis dei iudicium, qui subiecit eum in spe liberationis & veniæ. Nam in hoc ostenditur deus omnipotens esse iustus, quia eius peccatum nō dimisit impunitum & in hoc prædicatur esse misericors: quia non statim illum penitus damnauit & occidit, sed reseruauit ad pœnitentiam, dans ei veniæ spem & liberationis regressionisque in gradum pristinum, vt expectet illud quod in sequentibus dicitur, *Quia & ipsa creatura*, id est quilibet homo electus, *liberabitur* in die iudicij, *à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum dei.* Homo in præsenti seculo sub seruitute corruptionis & mortalitate est positus, quia subiacet mutabilitati & vitiis, liberabitur autē in die iudicij ab omni fęce mortalitatis & peccati, quando mortale corpus acceperit immortalitatem: & corruptibile hoc incorruptionem, & transibit in libertatem gloriæ filiorum dei, quia erit similis Christo in gloria, & in libertatem filationis adoptiuæ, de qua ait dominus Iudæis. Si vos filius liberauerit, vere liberi estis. Potest etiam differentia esse in hoc loco inter creatorem & creaturam. Nam paulo superius vbi dixit, Expectatio creaturæ filiorum dei reuelationem expectat, fideles tantummodo possunt intelligi, qui iam credebant, hic verò vbi dicit, ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, infideles inrelligi possunt, qui necdum temporibus Apostolorum crediderant, prædestinati tamen erant ad vitam, vnde & postea crediderunt. *Scimus enim quod omnis creatura*, id est, omnis homo, *ingemiscit, & parturit vsque adhuc*, in hoc loco vt dicit b. August. non est Origenes sequendus, neque sequaces eius qui omnem creaturam rationabilem & irrationabilem, corporalem & incorporalem comprehendunt. Non enim omnis creatura ingemiscit, vt illi volunt. sed homo qui cum omni creatura quādam communionem habet, eo modo quo paulo superius dixit. Omnis, inquit, creatura, id est, omnis homo ingemiscit, affligitur, tristatur in dolore: in fame & siti, in frigore & nuditate, in carceribus. & parturit: siue (quod melius habetur in græco) dolet in multis angustiis vsq; adhuc, id est, vsque ad diem iudicij, & quamdiu dicitur adhuc, vel quamdiu dicitur hodie, semper subiacebit creatura humana angustiis & doloribus, illi autem qui iam regnant cum deo, & quotidie transeunt ad requiē sempiternam, postquam ab huius seculi ærumnis liberātur non ingemiscunt, *non solū autē illa* subaudis creatura, id est, non solum credentes, & non credentes ingemiscunt & dolent in præsenti vita, *sed & nosipsi*, subaudis apostoli: qui perfectioris fidei sumus, *primitias spiritus habentes*, dolemus, *& ipsi intra nos gemimus*, in corde & mente, sustinentes carceres, pœnurias, egestates, multāsq; angustias & afflictiones. Bene & conuenienter dicit. Nō solum illi ingemiscūt: sed & nosipsi apostoli primitias spiritussancti habentes, quia sicut illos primos elegit deus: ita primi accipere merue-

Eccl. 2.

Eze. 1.

Ioan. 8.

Ioan.20. runt spiritum sanctum in die resurrectionis, quando dixit eis, Accipite spiritum sanctum. Die quoque penthecostes, quando in linguis igneis venit super eos spiritus sanctus. Vel etiam primitias spiritus dixit, id est, maiora dona spiritus sancti acceperunt in prædicatione, vt omnium gentium linguis loquerentur: in miraculis quoque quibus præ omnibus mortalibus abundantes glorioſi extiterunt. Le-

Actu. 5. gitur enim in actibus apostolorum quòd ponebant infirmos, & mortuos in plateis, vt veniente Petro saltem vmbra illius veniret super illos & sanarentur. Beatum quoque Andreã legimus vno die triginta & eo amplius mortuos suscitasse. Primitiæ siquidem appellãtur optima quæque & chariora, sicut in lege habetur, offeres primitias auri & argenti tui domino, id est, optima & cariora. Re enim vera ita dignum erat, vt per quorum ministerium doctrina euangelica, & fides dominica per quadrifidum orbem diffamanda erat, maiora dona spiritus sancti acciperent. Aliter: Non solùm, inquit, alij ingemiscunt, sed etiam nos qui primitias spiritus nostri, id est, qui rationabilitatem & deuotionem mentis nostræ deo iam habemus oblatas in holocaustum: quod igne dilectionis dei & proximi ardet,

Lucæ 12. de quo igne dominus ait, Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Nunquid primitias mentis suæ idem Apostolus non habebat deo oblatas, qui dicebat

Sup. 7. Mente seruio legi dei, carne autem legi peccati? Apostolus etenim rationabilitate mentis & intentione seruiebat legi dei consentiendo ei in hoc, quia nolebat concupiscentiæ carnali subiacere, carne autem legi peccati, id est consuetudini malæ qua concupiscebat. *Expectantes adoptionem filiorum dei redemptionem corporis nostri.* Quæstio oritur in hoc loco, cum Apostolus in superioribus locis huius epistolæ dicat. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filij dei, & alibi. Christus nos redemit de maledicto legis, quare modo dixerit expectare nos adoptionem, siue electionem filiorum dei: & redemptionem corporis nostri, id est, totius ecclesiæ quæ est corpus Christi. Quæstio hæc in sequentibus soluitur tibi cum dicit Apostolus. *Spe enim salui facti sumus*, in spe quidem iam filij dei sumus omnes credentes, & redempti passione Christi, sed adhuc expectamus, vt quod modo

sumus

sumus & tenemus in spe: quandoque simus & possideamus in re. Omnes quidem credentes fidem habemus, quod simus filij dei, & simus redempti sanguine passionis eius, sed non proderit aliis passio eius, nisi electis qui & filij dei erunt sicut Ioannes dicit, Charissimi, filij dei su- 1. Ioan. 5.
mus modo in spe: & nondum apparuit, quid erimus in re. Scimus autem, quia cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. Spe enim salui facti sumus, sicuti fides est credere ea quæ non videmus: ita spes est expectatio futurorum bonorum. Per passionem enim Christi redempti sumus in spe: Per baptismum autem accipimus remissionem peccatorum, & filij dei sumus in spe, non in re, quia necdum apparet quales futuri sumus. *Spes autem quæ videtur, non est spes*, quasi diceret, illa res quæ videtur non est spes. *Nam quod videt quis quid sperat?* Illud quod videmus non speramus. verbi gratia, video te in præsentia mea stare, non te spero venturum. *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus*, id est, non deficimus. Inter spem & rem media est patientia: quia per patientiam qua sancti sustinent aduersa huius seculi non quærentes in præsenti mercedem, sperant se peruenire ad gloriam æternam. *Similiter & spiritus adiuuat infirmitatem nostram*, id est, sicut spes & patientia adiuuant & sustinent infirmitatem mentis nostræ, ita & spiritus sanctus, infirmitatem animæ est plerunque illa petere quæ nobis non conueniunt: sicut sequentia manifestant. *Nam quid oremus sicut oportet nescimus.* Plerunque dum volumus bona nobis petere, contraria & aduersa petimus, si nobis illa concederentur, sicut beatus Paulus contraria sibi petebat, quando petebat auferri à se spiritum tentationis & infirmitatem. Si enim exaudiretur, forsitan reuelationum magnitudine se extolleret, & caderet in lapsum. Sic etiam plerunque positi in prosperitate, petimus illam nobis conseruari, quæ si semper nobis maneret forsitan amore sui implicaret animum nostrum. Similiter quando sumus positi in infirmitate causa probationis aut emendationis imploramus liberari: quæ si à nobis tolleretur: fortasse ad pecata pristina reuerteremur aut remissius in bono opere laboraremus. Ideóque nescimus orare sicut oportet, nisi

spiritu sancto docente, *sed ipse spiritus* sanctus, *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Dicit beatus Ambrosius, quia si quando fideles aliquid petunt contra salutem suam per ignorantiam, non per iactantiam, spiritus sanctus qui vnius substantiæ est cum patre & filio, interponit se in medio inter nos & deum patrem, & postulat pro nobis quæ vtilia sunt, non cum impulsu aëris, neque cum sonitu vel strepitu vocis, sed inenarrabiliter, sicut conuenit eius diuinitati, qua æqualis, & consubstantialis est deo patri, & plerunque ea quæ nos petimus nobis contraria ipse mutat in melius, non dando quod petimus. Postulare etiam dicitur pro nobis: secundum alios doctores: ad gemere, quia quoscunque gratia sua replet, postulantes facit & gementes pro suis reatibus & aliorū: vel quia differūtur à regno, qui gemitus bene inenarrabiles dicūtur, quia nemo potest enarrare quantæ cōpunctiones in cordibus fidelium sint, vel quanta remuneratione digni sunt coram deo. *Qui autē scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum deum postulat pro sanctis.* Deus pater cum filio sancto qui omnia arcana cordium & secretorum non solùm hominū: sed & angelorum penetrat: scit quid desideret spiritus sanctus, habitans in cordibus fidelium suorū, quia vnius scientiæ sunt, vel quod nos desiderare faciat. Postulat quoque secundum deum pro sanctis, quoniam ea facit nos postulare quæ & deo placeant, & nobis vtilia sint, ita vt dicamus positi in oratione. Deus æterne qui absconditorum & futurorum es cognitor, sicut scis nobis necessarium esse, & sicut tibi placet miserere nostri. Deo ergo loquitur sine strepitu vocis, cum nobis tacere videtur: quia & videt cum non videatur, & hæc petit quæ scit deo patri placere & nobis prodesse, vnius enim voluntatis est ipse & pater. *Scimus autem quoniam diligentibus deum, omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Illiqui diligunt deum, qui mandata eius custodiunt & seruant, sicut dominus dicit. Si quis diligit me sermonem meum seruabit, hoc dicit, quia diligentes deum, & mandata eius seruantes, & qui secundum propositum siue prædestinationem omnipotentis dei ad hoc vocati sunt, vt sanctè viuendo sancti sint, si quando aliquid inepte atque imperite contra suam vtilitatē petunt, sicut & Paulus & filij Zebedæi deus

Ioan.14.

deus omnipotens cooperatur illis in bonum, aut non dando quod petunt, aut etiam mutando aliud pro ipso quod petunt, neque imputat illis in peccatum, sed ea tribuit quæ danda sunt deum amantibus. Bene autem dicit cooperantur, quia operantur illi qui petunt, cooperatur deus omnipotens: implendo quæ ad salutem illorum pertinent. *Nam quos præscíuit*, subaudis esse credituros, & in sua fide permansuros, illos *& prædestinauit*, siue præfiniuit & ordinauit, *conformes fieri imaginis filij sui*, id est, similes fieri in gloria humanitatis filij sui, qui reformabit corpus humilitatis nostræ (vt idem Apostolus alibi dicit) configuratum corpori claritatis suæ: Licet enim in potentia diuinitatis non simus æquales illi, tamen in gloria & in immortalitate, & in incorruptione erimus similes ei: quoniam videbimus eum sicuti est: vel certe ad hoc prædestinauit eos conformes fieri imaginis filij sui, vt sicut Christus peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius, ita & illi qui fratres volunt existere domini Iesu Christi, non habeant voluntatē peccandi. *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Omnis vnigenitus potest dici primogenitus, non tamen omnis primogenitus dici potest vnigenitus, Quicunque enim primus aperit vuluam matris nascendo, nec habet alios fratres sequaces, & primogenitus est, & vnigenitus: qui verò primus egreditur ab vtero materno & habet postmodum fratres sequentes, solummodo primogenitus est. Filius autem dei redemptor videlicet humani generis, si digna consideratione perpendimus, tam secundum diuinitatem, quàm secundum humanitatem, & vnigenitus prædicandus est & primogenitus. Vnigenitus quidem est secundum diuinitatem, quia in natura diuinitatis non habet alios fratres: primogenitus verò est, quia ante omnem creaturam non factus sed genitus est, sicut per Salomonem dicit. Ego sapientia ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam. Secundum humanitatem autem vnigenitus quidem potest dici beatæ Mariæ, & primogenitus in multis fratribus adoptiuis, quia ipse primus surrexit à mortuis, primus ascendit ad cælos. Isti sunt fratres, de quibus ipse dixit ad Mariam, Vade ad fratres meos, & dic eis. Fratres enim illius dicuntur omnes fideles in hoc, quia homo fieri dignatus est. Sed is qui fra-

Mat.20.

Esaiæ. 33.

Eccle.24.

Ioan.20.

ter noster est secundum carnem, ipse dominus deus noster est secundum diuinitatem. *Quos autem prædestinauit*, siue præfiniuit secum regnaturos in æterna beatitudine, *hos & vocauit* per se & per apostolos suos. Vocat quoque modo vsque ad finem iudicij. *Et quos vocauit* per gratiam suam vt permanerent in gloria secum, *hos & iustificauit* per passionem suam, per baptismum & fidem exornatam bonis operibus, & iustificabit vsque ad finem seculi. *Quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Præterito tempore vtitur Apostolus in hoc loco pro futuro, in hoc quod dicit, glorificauit, morem sacræ scripturæ tenens, quæ sic solet narrare futura quasi præterita. Illos enim quos vocauit, & iustificauit in præsenti seculo, hos glorificauit in die iudicij: sicut idem Apostolus aliâs dicit. Cum Christus apparuerit, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria, *quid ergo dicemus ad hæc?* subaudis quæ mox diximus de vocatione, iustificatione, & glorificatione, id est, quam gratiarum actionem reddemus illi qui gratis nullisque meritis præcedentibus antequam eſemus, nos prædestinauit regnaturos secum, ac postea vocauit & iustificauit, ad vltimum etiam & glorificabit? Tale est & illud Psalmistæ. Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Potest & intelligi, Quid prædestinationi dei contradicere possumus, si omnes nō prædestinamur ad hoc vt regnemus cum illo? *Si deus pro nobis* subaudis est, vel pugnat qui prædestinat, iustificat, & glorificat, *quis contra nos?* Valet pugnare, Nullus: Neque diabolus, neque Nero siue quilibet persecutor, *qui etiam proprio filio suo non pepercit*, id est, à morte non seruauit, *sed pro nobis omnibus*, prædestinatis ad vitam æternam, *tradidit illum.* Et ipse pater tradidit filium, quia tradi permisit, multisque modis est ipse filius traditus. Hoc verbum quod est parcere aliquando significat dimittere. Vt illud in Vergilio. Parce metu Cytheræa, id est, dimitte metum. Aliquando significat seruare, sicut hic, qui proprio filio suo non pepercit. Vnde apes parcæ vocantur, id est, seruatrices, quia seruant sua mella, *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit.* Hoc maxime ad Apostolos refertur quibus ait veritas. Cū sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes: potest referri

Collo. 3.

Psal. 119.

Matt. 9.

ferri & ad omnes prædestinatos, qui in capite suo Christo omnia possident, quæ ipse possidet. Cum enim omnis creatura longè incomparabiliter distet à filio dei, per quem facta sunt omnia, si deus pater in tantum nos dilexit, vt pro nobis traderet illum, vtique poterit in nobis ista implere.

Quis accusabit aduersus electos dei? id est, quis sumet accusationem aduersus electos dei? diabolus accusat electos dei, sicut accusauit beatum Iob, sed meritum auxit, non minuit, quia vir iustus eius aduersa patienter sustinuit. Notandum autem quia hæc sententia secundum beatum Augustinum per interrogationem & percontationē legi debet, & sicut ipse dicit, percontationi multa possunt responderi, interrogationi autem aut affirmatiue debet responderi etiam aut negatiue, non pronunciabitur ergo ita vt post percontationem qua dicimus, quis accusabit aduersus electos dei? illud quod sequitur *deus qui iustificat* enuntiatur sono interrogantis, vt tacitè respondeatur non. Similiter illud quod sequitur *quis est qui condemnet?* percōtando legendum est: vt subinferatur interrogando. *Christus Iesus qui mortuus est imò qui & resurrexit*, & subintelligatur tacite, non. Et est sensus: Nunquid Christus, qui mortuus est pro nobis & resurrexit, vt nobis vitam donaret condemnabit nos? Non vtique, sed saluabit. Hoc verò quod sequitur, qui est ad dexteram patris, qui etiam interpellat pro nobis, non iam interrogando, sed potiùs affirmando pronunciandum est. *qui est ad dexteram dei*, id est, in plenitudine & magnitudine paternæ maiestatis. *qui etiam interpellat pro nobis* deum patrem non voce, sed miseratione, dum quotidie hominem quem assumpsit, & grauissimum genus mortis quod pro nobis sustinuit, vultui patet ostendit, vt nostri misereatur. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi?* Ad superiora pertinet vbi ait: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, qui omne quod in præsenti est, comparatione futuræ gloriæ momentaneum est, ideoq; alloquitur Romanos, ne deficerent in tribulationibus. Videte Petrū, considerate Paulum, nte potuit Nero illos occidere, quā à charitate Christi separare. Stephanus lapidibus obrutus. Laurentius vstus, non potuerunt à Christo separari: quoniam ita erant mente deo copulati, vt insensibiles essent ad omnia tolerā-

Iob 32

da tormenta. Nunquid nos separabit *tribulatio, an angustia?* Angustia dicitur omnis necessitas, omnisq; indigétia. *persecutio* autem est vis mali. Nam persequi est apertè vim inferre. *periculum.* Periculum in multis rebus & in insidiis accipitur. *gladius.* Gladius verò potest significare quælibet genera suppliciorum, *fames & nuditas?* non poterant eos separare: quia habebant panem verum Christum, qui eos spiritaliter pascebat & vestiebat, sicut alibi Apostolus ait. *Sup.6.* Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. *quia propter te mortificamur tota die.* Vox martyrum ad Christum, Tota die dicit. i. omni tempore quandiu viuimus, quia qui perseuerauerit vsque in finem, coronabitur. Non enim sufficit vno die pro Christo tribulationem pati, sed omni tempore si necesse fuerit. *æstimati sumus sicut oues occisionis,* quæ occiduntur sine reluctatione. Sicut oues non reluctantes cum ad mortem ducuntur, ita & nos non reluctemur, dum occisioni paramur. *Sed in his omnibus* tribulationibus constituti *superamus* & vincimus *propter eum qui dilexit nos,* id est, propter Christū qui nos dilexit vsque ad mortem, quia pro nobis est mortuus, & qui nobis dixit: Nolite *Matt.24.* timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. *Certus enim sum, quia neque mors,* quæ infligitur corpori, poterit nos separare à charitate Christi. Non dixit opinor, sed certus sum, *neque vita,* subaudis præsens quæ in longinquum abnegationibus Christi promittitur & est sensus. Si minatus fuerit mihi Nero mortem omnibus crudeliorem, aut vitam in præsenti seculo omnibus feliciorem, non poterit me separare à fide Christi, sed neque alios coapostolos meos, *neque angeli,* subaudis maligni, qui *Gala.3.* transfigurant se in angelos lucis. Vel secundum illud: Si angelus de cœlo euangelizet vobis præter quod nos euangelizamus, anathema sit. Et est sensus: Et si angelus de cœlo vellet me separare à charitate Christi, quod fieri non potest, non posset me separare, *neque principatus,* id est contrariæ potestates dæmonum, quæ aliis principātur, de quibus ipse dicit in epist. ad Ephe. Non est nobis colluctatio *Ephe.6.* aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & *Luc.11.* potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum. *neque virtutes,* contrariæ dæmonum, quæ sub ipsis principibus cōsistunt. *neque instantia,* i. præsentia bona quæ promittuntur credentibus, vel mala quæ minantur. *neque futura,* subaudis bona vel mala istius seculi, *neque fortitudo.* i. diabolus princeps dæmonum de quo dicitur, Cum fortis armatus custodit atrium suum, *neque altitudo,* id est, astrologia, *neque profundum,* id est, necromantia, quæ inferiora inferni scrutatur, per quæ duo multi auertebantur à fide. Et est sensus: Etiā si omnes astrologi & mathematici, hoc est astrorum cōspectores, qui se fatentur rationem syderū penetrare & cursus, venerint contra nos. Vel etiam illi, qui per necromantiam, id est, mortuorū resuscitationē animas ab inferis reuocant, sicut mulier illa phytonissa reuocauit animā Samuelis, nequaquam poterunt nos separare à charitate Christi. *neque creatura alia,* id est, si aliqua creatura est sursum, aut deorsum, præter istas quas dixi, nec ipsa *poterit nos separare* in aliam partem. Vel secundum Gregorium alia creatura, intelligitur hic homo, qui se potest à veritate dei separare male viuendo. Et est sensus: Neque alia creatura quàm nosipsi, *poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu,* Nos non possumus separare ab ea male viuendo. Mentes enim sanctorum ita sunt Deo, qui summus spiritus est, per charitatē coniunctæ, vt inter illas & deum nulla creatura sit media: quia qui adhæret Deo, vnus spiritus est.

CAPVT IX.



Veritatem dico in Christo Iesu, id est, per Christum, *non mentior.* Necessitate cogente sæpe iurabat Apostolus, non agens contra domini præceptū, & quia dicturus erat rem pene incredibilem, ideo iurauit necessitate cogente. Nam inter Romanos qui crediderant erant Iudæi credentes, quibus ista scribebat: & quia erant qui dicerent Paulū non diligere gentē suam eo q; euangelizaret gentibus, iuramento obligat asserens se diligere & amare gentem suam, vnde & subiungit. *testimonium perhibente mihi conscientia mea in spiritu sancto, quoniā tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo.* Non dicit modica & parua tristitia mihi est, aut temporaneus dolor subito accidens, subitóque recedens, sed testatur magnam tristitiam & assiduum dolorē sibi inesse pro fratribus suis,

qui filium dei ad se missum non solùm noluerunt susci-
re, sed insuper declamauerunt eum dignum morte, dice-
Luc.29. tes ad Pilatum : Crucifige crucifige eum , reus est morti
Quod dicit in spiritusancto, vel in spiritumsanctum , iux
sicut per Christum, id est, spiritumsanctum, qui erat in m
te illius, testem adhibet conscientiæ suæ , ipsa conscien
testimoniũ sibi perhibente, quod nimium doleret de per
tione fratrum suorum: *Optabam enim* pro eo quod op
*ego anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cogn
mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ,* id est, de proge
Israël. Vnde venit tam subita mutatio in animo Apost
vt optaret anathema esse à Christo: quæ in plerisque loc
pro separatiõe ponitur, cũ paulo superius dixerit nullo m
do se posse à charitate Christi separari? Considerandũ e
quia anathema varias habet significationes. Ponitur e
pro separatione, sicut in edicto Iustiniani imperatoris d
Gala.1. citur, & vbi ait idem Apostolus: Si angelus de cœlo euang
lizet vobis præterquàm quod nos euangelizauimus vob
anathema sit. i. à deo separatus. Ponitur & pro maledicti
ne, vt in canonibus habetur sępissime: Si quis hoc vel illu
fecerit, anathema sit. i. maledictus . Ponitur pro occisio
corporali, vt hic, quod tale est ac si diceret: Optabã ego in
terfici à Christo corpore , & hoc est quod dicit secundu
carnẽ. Poterat aliquis dicere: O beate Apostole, quare
ptabas interfici secundũ carnẽ? Ad hoc subintulit ipse:
fratres mei qui sunt cognati mei secũdũ carnẽ, salui fier
& viuerent mẽte deo . Dicendo verò, qui sunt cognati m
secundũ carnẽ, ostendit non esse illos sibi cognatos in
gritate fidei, & deuotione mẽtis. Imitatus est autẽ Apost
lus in hoc loco charitatẽ & factum Moysi legislatoris :
cum dixisset dominus. Descende, peccauit populus tuus,
Exod.31. dimitte me vt deleam eos , & faciã te in gentem magnam
ait , nimia charitate ductus: Aut dimitte eis hanc no
aut dele me de libro tuo . Videnśque dominus eius char
Exod.4. tatem erga populum, ait: Non delebo te de libro meo ,
dimisi iuxta verbum tuum: ita & Apost. volens magis Ch
sto placere, hoc loquebatur charitate cogente de occisio
corporis sui, cum nullo modo optaret mentis affectu sep
rari à Christo. *quorum adoptio est filiorum*, id est, electio illo
rum, electio filiorum est, quia ex ipsis adoptati sunt filij , &
ipse

ipse populus vocabatur filius dei. Vnde dicitur ad Pharao-
nem: Filius meus primogenitus Israël, & per Esaiam: Filios
genui & exaltaui *gloria* erat illis, & de omnibus gentibus *Esaiæ.1.*
in peculiarem dei plebem sunt electi. Illis etiam est testa-
mentum vetus datum : vel (sicut quidam codices habent)
testamenta , vetus scilicet & nouum , si voluerint credere.
Testamentum enim nouum datum est illis , vt à seruitute
legis transirent ad libertatem gratiæ Christi. *& legislatio*,
id est , datio ad eos pertinet, quia lex per Moysen eis data
est, *& obsequium* cultus videlicet diuinæ religionis, qui est
traditus *promissa* quoq; de Christo & de redẽptione ipso-
rum : & vita æterna illis data sunt , vt quicquid promissum
est patribus , compleretur illis. *quorum patres* subaudis fue
runt Abraham, Isaac, & Iacob, *ex quibus* patribus , vel
Iudæis, *est Christus* natus *secundum carnem*, non secun-
dum diuinitatem, *qui est super omnia deus benedictus in se-*
cula. Christus, deus & homo est: & secundum quod ho-
mo est, ex ipsis carnem assumpsit: & inter omnia fuit: secũ-
dum quod deus est, à deo patre ante secula genitus est su-
pra omnia potentia diuinitatis. Notandum autem, quia cũ
esset locutus de abiectione parentum suorum , non mur-
murando, neque reprehendendo iudicium dei talia prose-
cutus est: sed potius benedixit illum pro certo scieus , iusto
iudicio cũcta ab illo moderari ac disponi , vnde & subdit:
Non autem quòd exciderit verbum dei, & est sensus, Quã-
uis multitudo Iudæorum parentum meorũ in infidelitatis
errore remansisset: nolens in Christum credere , non tamẽ
ideo dico quòd euanuerit, aut annullata sit promissio dei,
quæ facta est ad Abrahã, quod in semine eius benedicẽtur *Gene.12.*
omnes gentes, quoniam in illis est adimpleta qui credide-
runt, tam ex Iudæis quàm ex Gentibus, & qui adhuc cre-
diturí sunt. *Non enim omnes qui ex Israel sunt hi sunt Israelitæ*,
Iacob & Israel nomina vnius hominis fuerũt. Non autem
omnes qui ex stirpe illius descenderũt. omnes viri Israeli-
tæ sunt, id est videntes deũ mente & fide deũ non cernũt.
Itaque Israel in spiritalem & carnalẽ diuiditur. Iudæi cre-
dentes, filij sunt Israel & Abrahæ secundũ carnem, & secũ-
dum fidem, non credentes verò , etsi sunt carne filij Israel,
sed non tamen spiritu . Gentiles autem licet carne nõ sint
filij Israel, tamen fide & mente sunt filij Israel & Abrahæ,

quia deum mente contemplantur: *neque quia semen sunt* Abrahæ, omnes filij, sed de solo Isaac dictum est, *in Isaac vocabitur tibi semen.* Ismaël quidem ex semine Abrahæ fuit, & tamen non computatur eius filius esse. Et sicut non omnes filij Abrahæ secundum carnem, eius dicũtur filij, sed semen eius in Isaac stabilitur: ita modo non omnes qui ex eius stirpe per Isaac descenderunt, eius filij reputantur, sed qui habent fidem eius, & credunt in Christum, de quo prædictum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes. *Eodem.* *id est, non qui filij carnis, hi filij dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* Licet Iudæi in infidelitate permanentes, filij sunt Abrahæ per naturam carnis, quia de prosapia illius descenderunt, tamen non sunt ideo filij dei, quoniam degeneres sunt à fide & operibus Abrahæ, neque pertinet ad eos aliquid ex dono benedictionis spiritalis, quæ facta est ad Abraham de Christo & multitudine credentium, Grentiles verò qui sunt filij promissionis, reputantur in semine Abrahæ, id est, in Christo, quoniam fidem & opera Abrahæ imitantur. Promissionis autem filij appellantur gẽtiles, propter promissionem, scilicet quæ facta est de eis ad Abraham, cui dicitur: In semine tuo benedicentur omnes gẽtes. In figura igitur gẽtilis populi præcessit Isaac. Quapropter licet non credant omnes Iudæi, tamen verum est quod promissum est Abrahæ: in Isaac vocabitur tibi semen, id est in his qui tibi promittuntur filij futuri: sicut promissum est Isaac. Ponitque exemplum. *Promissionem* inquit, *verbum hoc est. Secundum tempus hoc veniam*, per angelum scilicet veniam, id est, apparebo. *& erit Saræ filius.* Igitur sicut Isaac per promissionem: qua dicitur, in Isaac vocabitur tibi semen, sic gentilis populus sectando fidem & vestigia Abrahæ, per promissionem quæ facta est ad illum, benedictionis gratiam consequi meretur. *Non solum autem illi, sed & Rebecca ex vno concubitu habens, Isaac patris nostri.* Ordo verborum est paritérque sensuum: Non solum illi duo filij Abrahæ Isaac & Ismaël figuram tenuerunt duorum populorum, fidelium & infidelium, verumetiam Rebecca typum credentium & reproborum gessit in duobus filijs suis Iacob & Esau, habens illos ex vno concubitu patris nostri Isaac. Nec vacat quod ait, Ex vno concubitur: Ne forte enim dicere posset Iacob, Quando me genuit pater meus, boni animi & bonæ voluntatis erat, quãdo verò fratrem meum Esau genuit malæ voluntatis erat, ideóque bonitas eius per semen illius diffusa est in me, malitia autem in fratrem meum. Aut etiam, ne aliquis hominum ita dicere posset, ait Apost. ex vno concubitu genitos esse illos duos: ostendens ex vocatis dono vnum dilectum, alterum ex iusto iudicio odio habitum, Nam omnes ab Adæ descendentes prosapia filij nascuntur peccati, ideóque damnatione digni. Si qui verò liberantur, bonitas & gratia dei est, & non eorum retributio meritorum. quia cũ nati nondum fuissent illi duo Iacob & Esau, *aut aliquid egissent boni aut mali, vt secundum electionem* operum illorum *propositum* seu præordinatio *dei maneret: non ex operibus* illorum quæ nulla erant, *sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori.* Ex vocanten dicit, id est, ex dono omnipotentis dei qui illos vocauit: dictum est Rebeccæ, quod Esau maior natu seruitutis obsequium minori esset redditurus: hoc est Iacob. Et ita euenit. Nam sicut in libris Regum legitur, Edom temporibus Dauid & Salomonis aliorúmque regum seruiuit Israëli, vsque ad illud tempus, quando (sicut in eodem volumine legitur) præparauit se Edom ne esset sub Iuda, quod vtique prædictum ei fuerat ab Isaac patre suo, Veniet, inquit, tempus cum excuties iugum illius de ceruice tua. Quis hominum potest enarrare, quare deus omnipotens elegerit Iacob antequam nascereturr: & reprobauerit Esau, cum nec ille nec iste bonum aliquod vel malum poterat implere, nisi quia in isto, id est, in Iacob, gratiam suam & misericordiam exhibuit, & in Esau iustum iudicium suum impleuit? Nam cum Rebecca iam haberet conceptum in vtero, & iret vt dominum consuleret, aut per Melchisedech sacerdotem dei summi, aut per alium quemlibet, per quem deus tũc tẽporis responsa dabat, dictum est ei ex vocante deo: duo filij in vtero tuo sunt, & duo populi, maiórque seruiet minori, ergo sicut non fuit propositum deo, & prædestinatio secundum electionem boni meriti Iacob, ita & electio gentium non fuit secundum electionem meritorum, sed secundum gratiam & prædestinationem dei. Quapropter quare Iacob sine operibus bonis electus sit, Esau verò absque malis operibus odio habitus, soli deo notum est qui omnia nouit antequàm fiant:

Gene. 21.

Gene. 25.

4. Reg. 8.

Gene. 27.

Gene.25. cuius iudicia semper iusta sunt, *sicut scriptum est* in Malachia propheta *Iacob dilexi, Esau odio habui.* Cũ dicit scriptura: Nihil odisti eorum quæ fecisti, & quia vidit deus cũcta quæ fecit: & erat valde bona, quæstio oritur quare dicitur odio habere Esau. Quæ ita soluitur, quia non odit naturam quæ fecit: sed peccatum & vitium quod non fecit, Iacob autem dilexit sua misericordia gratuita. Esau odio habuit iusto iudicio: & cum ambo originali peccato maculati essent, quòd vnum dilexit eius misericordia fuit, quòd verò reprobauit alterum, iustum iudicium eius extitit. *Quid ergo dicemus?* Nunquid iniquitas apud deum? subaudis quia Iacob per misericordiam suam dilexit, & Esau iusto suo iudicio reprobauit, & qui vnum diligit, alterum odit. *Absit* vt ipse iniquus dicatur, *Moysi enim dicit, miserebor cui misereor, & misericordiam præstabo, cui miserebor.* Ordo iste est, Cuius misereor, vocando eum ad fidem meam miserebor, fidem meam illi dando vt credat in me, & cuius fuero misertus vt credat in me, misericordiã præstalo illi vt iuste viuat, & misericors sit, perseuerétque in bonis operib⁹ pro quibus præmium accipiat. *Igitur non volentis* subaudis est voluntas *neque currentis* cursus, *sed miserentis est dei* misericordia vt det homini bonum velle, facere, perseuerare. Non sufficit sola bona volũtas hominis, nisi etiam prꝛeueniat eum misericordia dei ad hoc vt det illi bonũ velle, & bonũ idipsum perficere, iuxta quod Psalmista dicit. Misericordia eius præueniet me, & misericordia eius subsequet̃ me. Sed hic fortasse quæret aliquis. Vt quid remunerãtur electi, vel quid præmij merentur, si & voluntas bona & perfectio operis à deo eis datur? Cui respondendum est, ideirco electos dignos esse remuneratione quia statim vt sentiunt se à dei gratia prꝛeueniri, totis nisibus laborant voluntati illius obsequendo obedire. *Dicit enim scriptura Pharaoni* Exod.8. Nõ scriptura per se loquitur, sed alius per eam, sicut hic loquitur deus. *quia in hoc ipsum excitaui te* id est duritiã cordis tui propter hoc aliis manifestaui, *vt ostendam in te virtutem meam* siue potentiam, *vt annuntietur nomen meum* id est, diuinitas mea *in vniuersa terra.* Ita modo fit. In vniuersa enim terra, & per quadrisidum orbem annuntiatur nomen diuinitatis eius, quia pene vbique liberè Exod.5. Exodus recitatur. Antequam excitaretur Pharao decem plagis

Psal.5.

plagis à deo quasi dormiebat, & excitatus cuius malitiæ esset cor eius hominibus ignorantibus manifestatum est. vnde dicit dominus. Excitaui te pulsando decem plagis id est, manifestaui malitiam cordis tui, quæ me non latebat vnde excitatus ait, deum ignoro, & Israel non dimittã. Et quia pro sua malitia ignorabat deum, indurauit deus cor illius, id est nõ emolliuit meritis eius hoc exigentibus. Sed quæret aliquis quare perdiderit deus aut Pharaonem cum exercitu suo, aut Sodomitas, aut eos qui in diluuio perierunt? Cui respondendũ est, quia eorũ malitia iam erat cõsummata excedens modũ peccãdi, & ideo iusto dei iudicio erat punienda. Sic vnusquisq; peccator diuimitus punitur modo fine peccatorũ copleto, de quo ait dominus ad Abrahã. Non sunt cõpleta peccata Amorrhæorũ: & ad Iudæos. Implete mẽsuram patrũ vestrorum, verũ quia Deus manifestauit malitiã Pharaonis, cor illius nõ emolliẽdo. non in deũ reflectitur, qui malum non operatur, sed ipsi Pharaoni malũ suum quod fecit, proprie deputat̃. Verbi gratia, sicut si fuerint duo vasa, vnum balsamo plenũ, aliud stercore, si quis ea agitauerit vel ventilauerit, non est autor odoris vel fœtoris, sic deus qui tetigit suis plagis Pharaonem, non est author malitiæ ei⁹. Ob duas causas autẽ percussus est Pharao cum suo exercitu, & in mari submersus, videlicet vt eorũ malitia puniretur quæ erat multiplicata, & Israeliticis terror incuteretur quo timerent peccare, ne similia paterẽtur, sciẽtes iniquitatẽ à deo dãnari: Dicit enim, vt ostendã in te virtutem meam, scilicet per signa & supplicia, & vt annuntiet̃ nomen meum in vniuersa terra. Vbiq; enim deus magnus prædicatur. qui Pharaonẽ cum curribus, & equitibus suis submersit in mare. *Ergo* subaudis, si volentis non est voluntas: neque currentis cursus, sed miserentis dei est misericordia, *cuius vult miseretur* sicut Israëlitis. quos eripuit non eorum meritis, sed respectu suæ pietatis. Neque enim Israëlitæ in Aegypto aliquod bonum fecerant: pro quo liberari meruerint. *& quem vult indurat* id est indurari permittit, & in duritia sua deserit, sicut Pharaonem & exercitum eius. Hoc quod deus misecordia sua plagas suspendebat in Pharaone indurabat cor eius. *Dicis itaque mihi. Quid adhuc queritur?* id est, Quid adhuc causatur humana fragilitas, ꝙ deus cuius vult miseretur, & quem vult indu-

Gene.15. Mat.23.

Universidad de Deusto Biblioteca

rat. *Voluntati enim eius quid resistit?* Quod quorundam miseretur, bonitas & gratia eius est, quod quosdam dãnat iustum suum iudicium ostendit, quia omnes sumus filij iræ antequam renascamur ex aqua & spiritusancto. *O homo tu quis es qui respondeas deo?* Hominem vocat humana tantummodo sapientem & dei iudicium reprehẽdere nitentem. *Nunquid dicit figmentum.* id est, vas ex luto fictum *qui se finxit, Quid me fecisti sic?* id est vt quid me fecisti sic in hanc paruitatem, vel ad hoc vile ministerium? *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem,* quo ministretur cibus vel potus qui transeat in vsus regis. *Aliud verò in contumeliam?* id est in vile officium: videlicet ad opus coquinæ, vbi coquuntur carnes. sic omnipotens deus figulus humani generis, ex massa peccati & perditionis, id est ex massa humani generis, habet potestatem aliud vas in honorem facere, id est vnum ad hoc creare, vt ipse honoretur in illo, & honoret eum vocando ad fidem suam, & saluando ad vitam: aliud verò in contumeliam, id est, reprobos propter nequitiam suam iusto iudicio perdere. Ex corrupta enim massa, omnia corrupta sunt vasa. Si autem ingenio artis suæ figulus quædã ex illis excoquendo per ignẽ à vitio massæ purificauerit, nunquid in his magnificari non potest? Quod autem quædam impurificata dimittit, non redarguendus est, quia in sua potestate subsistit, Sua enim est massa, *quod si deus volens ostendere iram & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum.* subaudis, tu quis es qui respondeas deo? volens deus ostendere iram, id est vindictam suam in Pharaonem & Aegyptios, in Sodomitas & diluuio perditos, & notam facere potentaim suam liberando Hebræos, sustinuit in multa patientia vasa iræ, id est, Aegyptios per plagas expectando ad pœnitentiam: quos non pariter effudit. Apta enim in interitũ, appellat Aegyptios qui se præparauerant atque aptauerant æternæ perditioni male viuendo, Ad hæc poterat aliquis Apostolo obijcere vt quid perdidit illos, & saluauit Iudæos? Cui ille obuiat respondendo, dicens: *vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, quibus glorificetur in vasa misericordiæ,* id est Hebræos, *quos præparauit in gloriam suam:* vt in eis glorificetur & laudetur quod eripiens illos de Aegypto, inimicis eorum interfectis,

Ioanno. 3.

ctis, mare rubrum traduxit, & repromissionis terram tradidit. *Quos & vocauit,* id est, quos vocauit ad fidem suam, sicut & nos Apostolos aliósque credentes ex eadem plebe. Vocauit quoque illos de Aegypto gratia misericordię suę, vocauit & nos de seculo maligno, in vasa misericordiæ suæ. Omnes homines post præuaricationem Adæ peccatores nascuntur, & damnatione digni, atque secundũ meritum suum debuerant omnes perire. Quod verò pauci saluari merentur, qui de vasis iræ in vasa misericordiæ transferũtur, ideo fit vt misericordia appareat authoris ĩ his qui à morte æterna liberãtur, & ꝙ plures sunt qui pereunt remanendo in vasis iræ peccatis præpedientibus, iudicium est meritò omnes debuisse perire, ac per hoc iustũ iudiciũ secundum meritũ manet in eis. Verùm quia Iudæi excludebant gentiles à fide Christi, dicentes eos non posse saluari, subdit Apo. *non solum ex Iudæis* vocauit ad fidem suã, *sed etiam ex Gentibus, sicut in Osea dicit: vocabo non plebem meã,* id est. gẽtes *plebem meam,* vt sint plebs mea, hoc secundum B Hieronymum, secundum B. August. verò, potest & de Iudæis intelligi, qui facti sunt non plebs dei, quando recesserunt à deo, & respuerunt Christum dicentes, Nescimus vnde sit, sicut habemus in Psalmo: Filij alieni mentiti sunt mihi. Qui postmodum facti sunt plebs Christi, quando vna die crediderunt tria milia, altera die quinq; milia: & deinceps multa milia, & *non misericordiam consecutam* in infidelitate manendo, *misericordiam consecutam* effectam fidelem. *Et erit in loco vbi dictum est eis. Non plebs mea vos, vbi vocabuntur filij dei viui.* Gentibus infidelitate depressis, dicebatur eis à deo per prophetas, ꝙ non essent plebs eius, quoniam licet per conditionem creaturæ dei essent, non erant tamen plebs eius per gratiam. Postquam autem ad fidem venerunt in loco, id est, in toto mundo, vbi dicebatur eis antequam in deum crederent, Non plebs mea vos, ibi modo vocantur filij dei viui, non per naturam, sed per adoptionẽ. Quotquot autem, ait Euangelista, crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. Et bene dicit, dei viui, ad distinctionem mortuorum deorum, quos ipsi antea colebant. Potest intelligi similiter & de Iudæis. quod apertum est. *Isaias autem clamat pro Israel,* id est, causa Israelis. *Si fuerit numerus filiorũ Israel, tanquã arena maris, reliquiæ saluæ fiẽt.*

Ioan. 19. Psal. 17. Actu. 2.

Ioan. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sicut hominibus incognitus est arenæ maris numerus, ita & præ multitudine sui, innumerabilis factus est populus Israeliticus. Quibus sic multiplicatis, & oneribus peccatorum prægrauatis, reliquiæ saluæ tantum factæ sunt. i. apostoli & cæteri qui crediderũt ex eis. *Verbum enim consummans*, id est, perficiens, & perfectionem continens, *Et abbreuians in æquitate: quia verbum abbreuiatum faciet dominus super terram.* Tribus modis intelligitur verbum perficiens omnia & abbreuiatum in veritate, verbum breuiatum est, de quo dicit dominus, diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & ex tota mente tua, & *Deut.6.* proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis, tota lex pendet & prophetæ. Vel verbum breuiatum, potest intelligi symbolum Apostolorum. vbi fides continetur, quæ per diuersa volumina prædicatur: seu quatuor libri euangelij comparatione legis & prophetarum. Verbum breuiatum potest dici & perfectionẽ continens. *Et sicut prædixit Isaias, Nisi dominus sabaoth reliquisset nobis semen.* Apostoli scilicet qui seminati sunt per vniuersum orbem, missi à Christo, & fructum multiplicauerunt credentium animarum, *quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes facti essemus.* Nisi Apostoli qui extiterũt semẽ totius messis credentium, seminati à domino per vniuersum orbem, credidissent in illum, sicut Sodomitæ & Gomorrithæ vno perierunt interitu & *Gene.19.* momento, ita omnes Iudæi vno tẽpore infidelitatis peccato perditi fuissent. Apostolorũ enim doctrina multi postmodum crediderunt ex Iudęis, qui periissent, nisi apostolorum semen mansisset. Aliter, Ambrosius hoc semen intelligit Christum, qui nisi à patre seruatus fuisset periisset. Iudæi, periissent Apostoli, qui relicto eo fugerunt, periissemus & nos. *Quid ergo dicemus?* Hoc dicemus, *quòd gentes quæ non sectabantur iustitiam legis,* circuncisionem videlicet, otium sabbati, victimas legales, *apprehenderunt iustitiam* fidei euangelicæ, vnde subdit: *iustitiam autem* ex eo apprehendisse gentes *quæ ex fide est:* qua fide Christus iustificat credentes: dum in ea baptizantur, & fructus iustitiæ ac fidei operantur, vel certè iustitiam possumus *Eph.1.* hic alio modo intelligere Christum, qui factus est nobis iustitia & redemptio à deo patre, sicut Apostolus aliàs ait, quia per illum iustificat Deus pater omnipotens omnes

se credentes. Hanc iustitiam apprehenderunt gentes, non loco ei appropinquando, sed fide credendo, quoniam fide acceditur ad eam, vnde & appellatur iustitia ex fide. *Israel verò sectando legem iustitiæ,* id est, obseruantiam legalem per quam se iustificari posse putabat sine fide Christi. *In legem iustitiæ,* id est, in legem euangelij vbi iustificatur homo per fidem Christi, *non peruenit,* legem autem iustitiæ non immerito dicimus obseruãtiam designare legis Moysi, quia qui suo tempore eam custodiebant iusti putabãtur: sicut & econtra non custodientes velut iniusti damnabãtur. *Quare?* subaudis nõ peruenit Israël in legem iustitiæ. *quia non ex fide* Christi voluit saluari: *sed quasi ex operibus* legis. *Offenderunt enim in lapidem offensionis,* id est, in Christum nolentes in eum credere, sed dixerunt. Non habemus regem nisi Cæsarem, crucifige istum. Qui lapis bene *Ioan.19.* appellatur, propter firmitatem fidei. Et sicut est lapis salutis & firmamenti illis qui crediderunt in eum, ita est lapis offensionis his qui eum respuunt. *sicut scriptum est* in Isaia, *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali.* Quod ita est, ac si diceret: Ecce mittam in populum Iudæorum Christum, qui ideirco lapis offensionis vocatur, quia mox vt natus est, offenderunt in eum Herodes & Iudæi, necantes pro eo paruulos: deinde (sicut euangelium *Matt.14.* narrat) scandalizabantur in eo, & multi discipulorum eius audientes verbum, scandalizati sunt, & iã non ambulabãt cum illo, & insuper in passione eius discipuli relicto eo fugerunt, *omnis qui credit in eum,* id est, in Christũ: qui vnius essentiæ est cum patre & spiritusancto, & præcepta illius custodierit; *non confundetur,* id est, non erubescet in sentẽtia qua damnabuntur reprobi & infideles, audientes ab illo, Ite maledicti in ignem æternum, sed potius lætabitur, audiens ab illo cum electis cæteris, venite benedicti patris *Matt.15.* mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Et quia poterat aliquis obiicere Apostolo, quare nõ oras pro incredulis tuæ gentis? vel etiam ne superbiret gẽtiles, & despicerent Iudæos, subdit Apostolus.

CAPVT X.



Fratres qui mecum in Christũ creditis, *voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad deũ fit pro illis in salutem* pro Iudæis, id est, incredulis, vt saluentur. Vbi demonstrat, quoniã si ex operibus legis quis potuisset iustificari & pro illis mereretur ad fidẽ Christi peruenire, omnes illi vocati essent & saluati, gentiles autem qui legem ignorabant, à salute fuissent alieni. Salus ergo gratis à deo datur, & nõ ab homine meretur, id est, fides Christi qua saluamur. *Testimoniũ enim perhibeo illis quòd æmulationem quidem dei*, id est, zelum amoris dei *habent* sicut & ego conuersationem habebam, *sed non secundum scientiã* dei. Stultum est enim legem per seruum datam venerari. & euangelium, quod datum est per dominum, persequi. Stultum est etiam patrem confiteri, & filium negare. In hoc siquidem Iudæi scientiam dei non habebant, quia ita volebant adhærere legi per seruum datæ, vt gratiam respuerẽt euangelij à domino datam, & persequendo filium deo patri se placere putarent. Hoc autem dicitur de illis qui ignorantia tenebantur, de quibus veritas ait, venit hora vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare deo. Sic & Petrus ait: Scio (inquit) fratres, quia per ignorantiam feciſtis malum hoc. Dum enim multi Iudæorum apostolos Christi persequerẽtur, arbitrabantur se per hoc placere deo. At contra multi scientes Christum, sicut scribæ & pharisæi. *Ignorantes enim dei iustitiam*, non qua ipse iustus est essentialiter, sed Christum cuius fide iustificamur cum bonis operibus. *& iustitiam suam volentes statuere*, legem scilicet, per quã se putabãt posse iustificari sine gratia Christi, *iustitiæ dei non sunt subiecti.* Nolentes se subdere fidei Christi & euangelio eius. Etenim quia legis operibus nemo perfecte iustificabatur, misit deus filium suũ qui præcepta iustitiæ, quæ euangelia vocantur, nobis tradidit, & in ipso perfectionem iustitiæ nobis exhibuit, cuius fidei gratia perfectionem consequi mereremur. Et quia Iudæi iustitiam suam quæsierunt statuere, id est, legis iustitiam sibi putauerunt sufficere, iustitiæ dei, id est, Christo & fidei illius atque euangelicæ doctrinæ noluerũt colla submittere

Ioan. 16.

Actu. 3.

mittere. *Finis enim legis Christus est ad iustitiam omni credenti.* Est finis qui pro consumptione accipitur, sicut tunc, quando dicimus. Finita est cœna, id est, consumpta est: etiã quandoque pro consummatione & perfectione, sicut tunc quando dicimus finita est tela, hoc est perfecta & consummata. Secundum hunc sensum dicitur Christus finis esse legis, non consumptio, sed completio & consummatio legis & prophetarum, ad iustitiam omni credenti. Completio legis & prophetarum ipse est, quia omnia quæ lex & prophetæ verbis & mysteriis de ipso prædixerãt, per semetipsum complenit, vnde pendens in cruce, ait. Consummatum est. Quod qui credit & confitetur iustificatur, si tamen opera digna fide fecerit, Hoc autem distat inter officium & finẽ. Quod officiũ, est ipsa res quæ agitur: Finis verò, ipsum propter quod agitur. Officium, lex & prophetæ, finis Christus propter quem omnia illa præcesserunt. *Moyses enim ille scripsit, quoniam iustitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea*, subaudis iustitia. Vel, sicut quidam codices habent, *viuet in eis* subaudis mandatis & præceptis. Legem posuit pro operibus legis, id est, circuncisione, otio sabbati, cæterisque legalibus operibus. Iustitia quæ ex lege est, viuere hominem in se faciebat, quia non interficiebatur. Præmium ergo illius iustitiæ nihil aliud erat, quàm vita præsens quæ non tollebãtur. Viuet in ea dicit, id est, mortem præsentẽ euadet: Si quis verò spiritualiter ea quæ lex præcipit impleuerit, licet in præsenti tempore non remuneretur, in futuro tamẽ remunerationis causa vitam æternã habebit. i. præsentissimum omnipotentis dei vultum. *Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit:* Iustitiam hic appellat Christum, qui per passionem suam & fidem, iustificat in se credentes. Ista iustitia Christus, qui est verbum patris, sic dicit in Deuteronomio per Moysen, quia ipse loquebatur per ora prophetarum, *Ne dixeris in corde tuo quis ascendet in cœlum? id est Christum deducere, aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reuocare.* Hæc verba sunt partim Moysi, partim Apostoli. Quando Moyses dedit Iudæis legem, dixit eis: Ne dixeris in corde tuo, id est, ne fingas in mente tua, quis ibit in cœlum, vt inde mihi afferat dei mandatum? Aut quis descendet in abyssum, vt inde mihi afferat illud mandatum? Non est necesse vt hoc taliter quæras, quia *prope*

Universidad de Deusto
Biblioteca

est verbum, id est, mandatum legis *in ore tuo & in corde tuo*, & in præsentia tua scriptum, vel etiam ipse deus in corde tuo, & in ore docebit te. Verùm quia Moyses prophetæ extitit, & multa de futuro prædixit, Paulus Apostolus verba eius ad Christum retulit, asserens illum hoc dixisse per Moysen, qui est iustitia vera. Quibus verbis instruit nos, ne dicamus in corde nostro, & putemus Christum localem esse, vt in aliquo loco contineatur, sed potius credamus illum secundum diuinitatis plenitudinem vbique esse, ac per omnia diffusum cum patre & spiritusancto, iuxta
Iere.23. quod deus pater per Ieremiã prophetam dicit: Cælum & terram ego impleo. Ideóq; enim non cõcluditur loco, quia in eo cõsistit omnis locus. Præsidendo siquidé sustinet omnia, sustinendo præsidet, implendo circundat, circundando implet. In verbis ergo Apostoli sensus huiusmodi est: Ne dixeris in corde tuo: ò quicunque es, quis ascendet in cœlum id est, non credas Christum localem esse, vt credas illum post ascensionem ita esse in cœlo, vt non sit in terra: aut ita esse deorsum in abysso apud inferos, vt te sursum positum ignoret, sed crede illum vbique esse præsentem secundum diuinitatem, sicut de eo dicitur: Sapientia
Sap.8. attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Ne dixeris ergo ô homo, Quis ascéndet in cœlum vt inde Christum deducat mihi, qui me doceat, saltem in corde noli dicere hoc, quia hic est Christus, & vbique. Nam
Ioan.3. in terra erat & dicebat: Nemo ascendit in cœlum, nisi filius hominis qui est in cœlo, quomodo nõ magis cum sit in cœlo, est & in terra? Aut quis descendet in abyssum? subdit Apostolus ex suo, Hoc est Christum ex mortuis reuocare. Similiter & supra, Hoc est Christum deducere. Non necesse habes ab inferis Christum vocare, quem vbique præsentem debes agnoscere. vnde dicit ipsa scriptura Deute-
Deut.30. ronomij 30. Prope est verbum in ore & in corde tuo. Verbum hic simpliciter possumus intelligere, si volumus, verbum legis, quod illi in ore habebant assidue illud legendo, in corde quoque iugiter meditando, ac memoriæ commendando. Altiori autem sensu verbum istud est, de quo Ioan-
Ioan.1. nes ait, In principio erat verbũ, & verbum erat apud deũ, & deus erat verbum. Ergo quia deus erat verbum, prope erat in ore & in corde illorum, vtpote quod omnia replet.

Nam

Nam beatus Hieronymus dicit. Sicut vestis totum corpus hinc inde circũdat, ita Christus electos suos vndiq; circundando amplectitur, immo amplius, quoniam vestis tantũmodo extrinsecus corpus circundat, adhærẽdo illi: Christus verò est exterius in ore per confessionem, interius in corde per credulitatem, sicut hic dicitur & aliàs, vbi dicit idem Apostolus. In interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris. *Hoc est verbum fidei quod prædicamus.* Nos apostoli. Hoc est verbum, inquit, filius, videlicet dei patris, in quem secundum prædicationem nostram credere oportet, *quia si confitearis in ore tuo dominum Iesum, & credideris in corde tuo quòd deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris*, id est, salutem consequeris æternam: ita tamen, vt iustitiæ sectaris opera: quia non oportet seruum dei manere otiosum. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Prosequitur diligentius quod superius de fide tetigerat. Fides in corde locanda est, quæ deum Trinitatem habere in personis, & vnitatem in omnipotentia maiestatis credat, filiúmque humanatum: & secundum euangelium firmiter teneat genus humanum sanguine illius redemptum, & ea quæ circa humanitatem eius sunt facta, deifice exhibita non hæsitet. In ore etiam confessio debet esse: quia fides cordis promenda est officio oris. Illa enim confessio fit ad salutem, si tamen exornata fuerit bonis operibus per spatium vitæ. Nam aliter fides sine operibus mortua est. Non dicit de salu- *Iac.2.*
te corporis qua potiuntur etiam qui non confitentur deum, sed de salute interioris hominis, id est, animæ quæ saluatur confessione veræ fidei non temporaliter, sed æternaliter, quoniam salus huius confessionis sempiternalis est. *Dicit enim scriptura* Isaiæ prophetæ. *Omnis qui crediderit in illum*, id est, in Christum, ea fide quæ per dilectionem operatur, *non confundetur.* Quicunque crediderit in Christum sicuti credendum est, non erubescet cum incredulis in die iudicij, quibus ipse iudex dicet: Ite *Matt.26.*
in ignem æternum, sed potius gaudebit, cum ab eo in quẽ crediderit remunerabitur, aggregatus numero & collegio electorum & deum cõfitentium. Hoc exemplum valet contra Iudæos, qui gentiles à fide Christi putabant seterneudos, vnde & subdit. *Non enim est distinctio*, subau-

dis in isto exemplo quod posui. Quorum non est distinctio siue separatio *Iudæi & græci*, quia de vtrisque dicitur: Omnis homo qui crediderit in illum, siue Iudæus, siue gentilis, non confundetur. *Nam idem dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum*, id est, dominus qui est creator & dominus Iudæorum, ipse est creator & dominus gentium, id est, omnium hominum. Diues autem idcirco dicitur in omnes qui inuocant illum, quia potest omnes in se credentes à præsentibus tribulationibus eruere: & ad vitam æternam perducere, reddēs eis præmium à se promissum. Vel ideo dicitur diues, quia potens est gentiles exaudire & saluare, sicut & Iudæos, quia personarum acceptio non est apud illum: nec sic intendit vni, vt se deneget alteri. Ergo si vox nostra ad omnes qui audiunt æqualiter venit, & tamen vna est: multo magis omnipotens deus exaudire omnes misericorditer potest, necdum vnum audit alterius precū obliuiscitur, quapropter subinfert *Omnis enim quicunque inuocauerit nomen domini saluus erit*. Quicunq; inuocauerit nomē domini sicut inuocari debet, scilicet fide, ore, opere, hic saluus erit. *Quomodo ergo inuocabunt*, subaudis Iudæi Christum *in quem non crediderunt*? Et idcireo non saluātur, qui non inuocant. *Aut quomodo credent ei quem nō audierunt*? Ergo audierūt Iudæi Christum, & non audierunt
Luc. 9. audierūt aure corporis, sed nō aure mentis, quas dominus requirebat, inquiens: Qui habet aures audiēdi, audiat. Insuper & auerterunt aures suas ne audirēt verba eius, quando
Ioan. 7. illo clamāte in templo & dicēte. Si quis sitit, veniat ad me & bibat, noluerunt ad eū venire credēdo. Ideoq; nō audierunt, quia non fuerunt obedientes. *Quomodo autē audient sine prædicante*? Hic ostendit, se suiq; similes coapostolos & prædicatores ad prædicandum Iudæis esse missos à Christo, quorū ministerio docerentur: sed illi persecuti sunt eos, expellentes eos à se, sicut in Actibus apostolorum legitur,
Actu. 13. vbi & narratur quemadmodum eis Paulus dixerit. Vobis quidem oportebat primum loqui verbum dei: sed quia repellitis illud, ecce conuertimur ad gentes. Hinc est quod subdit, *Quomodo autem prædicabunt*? eis prædicatores verbū vitæ, *nisi mittantur*? & est sensus. Ipsi occiderunt prædicatores quosdam ad se missos, sicut Iacobum fratrem Ioannis, & Stephanum, reliquos verò flagellautes, à se expulerunt.

Quod

Quod autem dicit, Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? ita potest vno modo intelligi: Nequaquam nos apostoli ad officium prædicationis accedere potuissemus, nisi gratia dei (qua protegimur) admoniti, directi fuissemus, primum Iudæis verbum vitę annuntiare, deinde gentibus. Ideóq; Iudæi excusabiles non erunt de aduentu filij dei, quia apostolos ad salutē sui directos à suis finibus repulerunt. Potest & ita nō inconuenienter accipi. Quomodo, inquit, prædicabūt ipsi prædicatores eis verbū vitæ qui expulsi sunt ab eis, nisi iterū mittantur? Affirmat quoq; exēplo prophetico, qualiter prædicatores euangelizare voluerūt eis bona, sed noluerunt eis credere, nisi pauci, *sicut scriptum est*, in Isaia propheta: *Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona*. Apostolorū pedes speciosi fuerunt, quia à domino sunt abluti. Pedes quoq; in sacra scriptura aliquādo bonas actiones significant, sicut Zacharias
Luc. 2. pater Ioannis Baptistæ ostendit, dicens: visitauit nos oriēs ex alto, illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros, id est, actiones nostras in viam pacis. Aliquando significant pedes verbum prædi-
Psal. 26. cationis, vt illud: Subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris. Apostoli pacem prædicauerūt secundū monita domini dicentis: In quamcunq; domum intraueritis,
Luc. 9. primum offerte pacem, dicentes: Pax huic domui. Euangelizaueruut bona, futuri scilicet regni præmia, quæ oculus non vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Et de quibus dicit Psalmista, Credo videre bona domini
Psal. 26. in terra viuentium. Bona quoq; annuntiauerunt, fidē sanctæ Trinitatis, mysterium incarnationis Christi, passionē, resurrectionem, ascēsionem eius, aduentum quoq; ad iudicium, gloriam electorum, damnationē reproborū. *Sed nō omnes obediunt euangelio*. Licet apostoli bona euangelizassent patriæ cœlestis, tamen non omnes Iudæi, neq; omnes gentiles obedientes extiterunt tunc temporis euāgelicæ prædicationi, sed neq; adhuc obediunt omnes. *Isaias enim dicit. Domine quis credidit auditui nostro*? Hoc loco Isaias in persona loquitur apostolorū, eodem enim spiritu fuit repletus, quo & apostoli. animaduertendum autē, quia in sacra scriptura aliquando quis pro nullo, aliquando pro raro ponitur. Pro nullo, vt est illud. Quoniā quis in nubibus æqua-
Psal. 84

bitur domino? id est, nullus. Pro raro, vt hic: Pauci enim sunt qui crediderũt ex Iudæis auditui Apostolorum. Qui idcirco auditus illorũ dicitur, quia intrinsecus in mente, domino inspirante, auditu spiritali audiebant, quid extrinsecus voce corporali ad salutẽ auditorum proferre debuissent. Vnde & Paulus aliàs ait: An experimẽtum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Et Dauid quidem dicit: Audiam quid loquatur in me dominus deus. Ab hoc auditu apostolorum, id est, à prædicatione illorũ subtraxerunt se Iudæi, renuentes in Christum credere. *Ergo fides ex auditu.* Primum audit quis prædicatorem loqui quomodo debeat credere, deinde accipit fidem. *Auditus autem per verbum Christi*, quod prædicatur ab apostolis & doctoribus. verbum Christi est: quia non alia prædicant, quàm quæ in euangelio continentur, quod ab ore Christi est prolatum. Vel quæ ipse Christus reuelat eis in corde, & loquitur per ora illorum. Ad hæc poterant Iudæi dicere, licet fides. Non audiuimus verbum Christi per ora apostolorum, contra quos Apostolus subiungit: *Sed dico, Nunquid non audierunt?* subaudis Iudæi verbum prædicationis apostolorum. Respondet ipse apostolus sibi, & affirmat, quia audierunt. *Et quidem.* Ecce affirmatio, & hic est distinguendum. Sensus enim huiusce modi est: Nunquid non audierunt Iudæi verbum Christi? Et quidem, id est, certissime, in veritate dico, quia audierunt, sed credere contempserunt. Poterat aliquis ad hæc dicere: Apostoli recesserunt ab eis, & quomodo potuerunt audire? Asserit quoque Apostolus exemplo prophetico, & dicit. Quomodo potuit eis non audirent? *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Dixerat supra idem Psalmus. Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiuntur voces eorum. Si secundum linguas omnium gentium & sermones auditæ sunt voces apostolorũ in ipsis gentibus, quanto magis apud Iudæos, ipsa lingua eorum & braea audita? Si enim ab Hierusalem in quatuor climata mundi euangelium diuulgatum est, quomodo ipsis Iudæis à quibus prædicatio eiusdem euangelij exordium sumpsit non est prædicatum? maxime cum & ipsi mediterranei sint. Quod enim Hierusalem in medio terrarum sit posita, sicut vmbilicus ventris, testatur Psalmista, dicens.

1 Cor. 13.

Psal. 84.

Psal. 18.

Psal. 17.

autem rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ, id est, in Hierusalem. Et per Ezechielem dominus loquitur: Ista est, inquiens, Hierusalem, in medio gentium posui eam. Sed fortasse quæret aliquis, quare deus omnipotens illam plebem in medio omnium decreuerit collocare? Cui respondendum est, ideo hoc factũ esse, vt quia ipsa ex omnibus gentibus solã cognitionem veri dei habebat, & legem scriptam suo cultu & religione prouocaret alias ad cultum dei omnipotentis, sicut plurimos gentilium legimus ad Iudaismum transiisse: vel idcirco, vt si ipsa plebs legem dei seruaret, ab omnibus in circuitu suo honoraretur ac timeretur, sicut factum est tẽporibus Dauid & Salomonis, quando omnes reges in circuitu suo positi, ei munera mittebant: vel si à lege & cultura dei recederet, ab hostibus affligeretur ac depopularetur, quod sæpissime actum est. Quarta quoque extitit causa, vt quia Christus ex eadem plebe erat nasciturus, & genus humanum redempturus, & multa miracula in mundo positus patraturus, ibi hæc agerentur, vnde fama eius ad omnes gentes citius posset transuolare. Reuertamur iterum ad superiora. Igitur in omnem terram exiuit sonus prædicationis apostolorũ, & in fines orbis terræ verba eorũ, quia pene ante defecit eis terra quã lingua. In hoc autẽ exẽplo per terrã intelligere possumus terrenos homines, qui tantũ sonum, id est, famã prædicationis & simplicia monita perceperunt: Per fines terræ, philosophos & artib⁹ liberalib⁹ eruditos, qui verba scruta ti sunt prædicationis euãgelicæ, vt Augustinus fuit & Cyprianus. *Sed dico: Nunquid Israel non cognouit?* id est, si prædicatio apostolorum ad omnes gentes peruenit, quanto magis ad Iudæos, apud quos seminari cœpit, præsertim cũ ipsi sint omniũ gentium mediterranei? Vel aliter, Nũquid Israel nõ cognouit primum? Cognouit vtique in apostolis & apostolicis viris. *Primum Moyses dicit. Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem.* Æmulatio quæ græco vocabulo zelus appellatur, non vniformiter, neque sub vno sensu semper accipitur. Nam ponitur pro imitatione, pro studio, pro amore, pro inuidentia, sicut hic. Hoc autẽ Moyses ex persona omnipotentis dei contra Iudæos loquitur, qui ad æmulationem & inuidiam ducti sunt contra non

Ezech. 5.

1. Re. 14.

gentem,id est contra populum ex gentibus credentem,c
semper inuident,dum vident eum in ipsum credere quę
ipsi occiderunt,sicut in Actibus apostolorum refertur.
Act.13. Quòd videntes Iudæi turbas gentium credentium,rep
sunt zelo , & contradicebant his quæ à Paulo dicebantu
Ante domini aduentum genus humanum in Iudæos diu
debatur & gẽtes,sed gentes per enormitatem malorum i
transcenderãt conditionis suæ modum,vt etiam gentis
mine non meruissent appellari,sed canes,dicente domi
in euangelio.Non est bonum sumere panem filiorum
Mat.15. mittere canibus.Vnde non gens dicebãtur,quia ratione
missa irrationabilitatem sectabantur.Verùm cum posti
dum credidissent tam Apost.prædicantibus quàm cor
successoribus,Iudæi contra eos excitati sunt,&inflamma
inuidiæ facibus. Exponens ergo Apostolus quod dixer
nõ gentem,infert, *in gentem insipientem*, id est,idola pro
vero colentem,*in iram vos mittam* subaudis contra hanc
tem insipientem.Quæ cũ fuisset vsque ad aduentum Ch
sti insipiens,eius fide potita,facta est sapiens.Cõtra qu
iam credentem in iram mittuntur Iudæi, non quòd e
æmulationem & iram in illis operetur, sed quòd bene
sua quæ iudæis displicuerunt,ad se conuersis gentibus
giatur.Potest & quod dicit in non gentem,aliter intel
Gentiles increduli ante perceptam fidem , gens voca
tur : percepta autem gratia fidei,non iam gens voca
sed dei populus & plebs appellantur,dicente domino
Psalmistam,Populus quem non cognoui seruiuit mihi.
Psal.17. de alibi Apostolus:Scitis(inquit)quia cum gẽtes essetis,
1.Cor.12. simulachra muta prout ducebamini , eratis euntes. Q
tale est ac si diceret.Fuistis quondam gentes , sed iam
estis gentes.In hanc ergo non gentem irascuntur Iu
inuidia ducti. *Isaias autem audet & dicit*, Non
ratione hoc verbum quod est audet , posuit Aposto.I
spiritu prophetico repletus,sciebat se contemnendũ à I
dæis,& etiam serra lignea secandum,& tamen audet,id
audacter dicit ex persona Christi,non formidans Iud
rebelles. *Inuentus sum à non quærentibus me,palam app
his qui me non interrogabant.* Gentilibus non querenti
Christum,qui neque legis , neque prophetarum aliqu
habebant documẽtum siue promissionem de eo,ipse app
re

uit.Ille apparere dicitur,qui non separatur , sed subito &
insperate venit, sicut apparuit dominus Abrahæ cum non
speraretur: & sicut apparuit angelus Zachariæ,sic dominus
Iesus apparuit gentibus,prædicantibus apostolis,& coru-
scantibus miraculis,cum nõ expectaretur ab illis:Nã quòd
ipse in apostolis apparuerit gentibus,testatur suis sermo-
nibus Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus vsq; ad con- *Mat.29.*
summationem seculi.Per doctrinam enim cœlestem,& per
miraculorũ signa quę apostoli operabantur,apparuit Chri-
stus gentibus,quoniam ipse cooperabatur eis & loquebatur *Mar.16.*
per ora illorum:dicit nanque euangelium , quòd profecti
prædicauerunt,vbique domino cooperante, & sermonem
confirmante,sequentibus signis.Sequitur *& his qui nõ inter-
rogabant.* Sæpe legitur deus omnipotens à sanctis interro-
gatus,sicut à Moyse,Abraham,Samuele,&cæteris,at gen-
tiles non interrogabant deum: sed consulebant idola & dę
monia. *Ad Israel autem dicit* idem Isaias ex persona Chri-
sti,*Tota die expandi manus meas ad populum non credentem,sed
contradicentem mihi.* Totum diem appellat totum tempus do
minicæ prædicationis vsque ad passionem illius.Qui videli
cet manus suas ad eundem populum extendit,quia mune-
ra beneficiorum suorum largissima bonitate exhibuit.Ex
pansio enim manuum,donationem munerum designat.Et
ille dicitur manus expandere,qui poscentibus beneficia lar
gissime tribuit.Nam mortuos illorum suscitauit:diuersas
infirmitates morborum curauit,esurientes & famelicos pa
nibus suis pauit multáque innumerabilia bona eisimpẽdit,
quibus semper illi contradixerunt dicẽtes de illo:In Beel- *Mat.12.*
zebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia:& , Non est
hic homo à deo , qui sabbatum non custodit.Siue etiã ma-
nus expandit dum eas in cruce affigi permisit.Est quoque *Ioa.9.*
consuetudo patrum,vt expandant brachia quibus charissi-
mos filios amplexentur,& in gremium suum collocent:sic
dominus Iudæos amplexari voluit,& in sinu suæ charita-
tis trahere,dicens : Pœnitentiam agite , appropinquabit
enim regnum cælorum,sed illi semper studuerunt contra- *Mat.11.*
dicere,dicentes.Nescimus hunc vnde sit.Solet etiam nu-
trix extendere manus,vt delectatus is qui nutritur venié-
do ad eam discat ambulare.& populus Israeliticus admodũ
claudus erat,quia gressus bonæ operationis iam non ha-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bebat,ad quē dominus quodammodo manus expandit
ad se veniret dum dixit:venite ad me omnes qui laborati
& onerati estis:& ego reficiam vos. Sed ille neglectis ei
donorum beneficiis,gressus retro in infidelitatem retorsi

CAPVT XI.



Ico ergo. Nunquid repulit deus popul
suum? subaudis ex toto, *Absit. Nam*
ego Israelita sum,ex semine Abraham
tribu Beniamin,qui nō sum repulsus
cū aliis per fidē Christi saluat⁹. Si en
ex toto repulisset populū suum Isra
me non saluaret,qui de eorum pro
pia originem duco. *Non repulit deus p*
bem suam quam præsciuit. Præscientia prædestinationē p
cedit,& non omnia quæ pręsciuntur,prędestinantur,ve
tamen quæ prædestinātur, omnia præsciuntur. Hoc au
in loco præscientia pro prædestinatione accipitur,
quod ostendit nullum,siue ex Iudæis siue ex gentibus,
destinatum esse repulsum. Præsciuntur enim bona & m
à deo,prædestinantur autē solummodo bona. Et hoc di
inter prędestinationē & gratiā:quia prędestinatio est p
paratio gratiæ,gratia autē iam ipsa donatio munerū gr
tuita. *An nescitis* id est,nunquid ignoratis *quid dicit scrip*
in Elia,quemadmodum interpellat deum aduersum Israel? C
eos videlicet, qui ex decē tribubus propter idololatr
3.Re.18. interfecerunt cultores vnius dei veri: *Domine prophetas*
occiderunt. Hoc in libris Regum plenius narratur,quom
Achab & lezabel cū sibi fauentibus,prophetas domini
2.Par.18. ciderunt. *altaria tua suffoderunt* decē tribubus,apud quos
lia fiebant, qui vitulos aureos in Dan & in Betel à Iero
ad adorādos acceperant,altaria Hierosolymitani tēpli
suffoderant,& idcirco intelligimus,quod in ipsis decem
bubus,licet quidam altaria diis gentium ædificarent,e
tamen qui deo ædificabant,& ibi immolabant,nō aud
ire in Hierusalē propter reges Israel idololatras, qui ill
templo Dei arcebant. Horum altaria,deum scilicet co
tium,illi qui idola colebant, suffodisse ac funditus euer
3.Re.18. intelliguntur. *& ego relictus sum solus.* Sic enim ei videb
quod ipse solus remansisset ex omnibus prophetis dom
præ magnitudine stragis & intefectionis, qua sæuieb
in

in dei cultores. *& quærunt animam meam.* sic enim minata
fuerat ei Iezabel impiissima,Hæc faciant mihi dij, & hæc
addant,si non posuero cras animam Eliæ,sicut animā vni-
us ex istis. *Sed quid dicit illi responsum diuinum? Reliqui mihi se-*
ptem milia virorum,qui non curuauerunt genua ante Baal. Cum
esset in spelunca quæ est in monte dei Oreb,hoc diuinum
responsum accepit: nec ait: Relicta sunt mihi, sed: Ego
reliqui & reseruaui mihi septem milia virorum, qui aliis 3.Reg.16
ad idololatriā transeuntibus,non curuauerunt genua ante
Baal qui erat deus Achab & lezabelis.qui recte viri appel-
lantur eo quod viriliter idola spreuerint. Septem autem
ista milia illorum,qui non adorauerunt idola,multa signi-
ficant idola illorum, quos deus dono gratiæ suæ seruauit,
ne curuarent genua sua ante Baal, in Dan & Bethel,aut
in aliquo delubro idolorum. Sic enim quinque pruden-
tes virgines,significant omnes iustos integritaten fidei ha
bentes.& imprudentes iniustos: Quinque etiam fratres di Mat.25.
uitis, qui torquebatur apud inferos:omnes Iudæos incre- Luc.16.
dulos:sic septem milia illorum significant omnes qui ido-
la non adorauerunt, Septenarius etenim numerus plerisq;
in locis sacratus est,& ponitur sæpissime pro vniuersitate,
sicut in Psal. vbi dicit Psalm.domino: Septies in die laudē
dicā tibi, quid enim sit septies in die laudem dicā tibi,expo Psal.118.
suit cum dixit, Benedicā dominū in omni tempore. Ioānes Psal.35.
quoq; in Apocalypsi sua,septē ecclesiis scribit, quæ genera Apoc.1.
liter omnes ecclesias significant. *Sic ergo & in hoc tempore,*
id est,in domini aduentu,& Apost.prædicatione, *reliquiæ*
saluæ factæ sunt, de quibus supra dictum est,si fuerit nume-
rus filiorum Israel,sicut arena maris, reliquiæ saluæ fient.
Sicut temporibus Eliæ, dono gratiæ dei, multi reseruati
sunt,ne adorarent idola,sic temporibus Apostolorum,mul-
ti ex Iudæis secundum electionem gratiæ dei saluati sunt,
veniendo ad fidē,qui & reliquiæ appellantur. Et conside-
randum,quia *secundum electionem gratiæ dei*,id est, secūdum
prædestinationis donū saluę factæ sunt:nō secundū merita
operū ipsorum. Vnde dicit in epistola ad Ephe.sicut elegit Ephes.1.
nos,inquit.ante mundi cōstitutionē in ipso,id est,in Chri-
sto:vt essemus sancti & immaculati. *Si autē gratia* salui fa-
cti sunt illi qui crediderunt ex Iudæis, *iam non* fuit illud ex
operibus legis,per quę putabāt se iustificari posse illi qui in in-

fidelitate remanserunt. *Alioqui gratia iam non est gratia.* Hoc est: si aliter salui facti sunt, quod non potest fieri nisi gratia dei, ergo ipsa gratia iam non erit gratia, sed meritum. *Quid ergo?* subaudis dicendum est, Hoc proculdubio *quod quærebat Israël, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est.* Quid quærebat Israël? Opera legis perficere sine gratia Christi, & ex ipsis operibus iustificari sine gratia Christi, & sine fide euangelij, quod idcirco non est consecutus, quia neque opera legis valuit implere sine gratia Christi, neque iustificari sine fide illius. Hoc tamen de illis intelligendum est, qui ad fidem Christi noluerunt transire. De transeuntibus verò ad Christum subinfertur. Electio autem consecuta est, id est, illi qui electi sunt ex eadem plebe. Quod supra appellauit reliquias, nunc electionē vocat: & sicut in præcedentibus circuncisio pro Iudæis, sic & hic electio pro electis accipitur, qui consecuti sunt iustificationem per fidem, qua crediderunt in Christū: quanuis & electio ad credentes gentiles etiam possit referri, qui vnum effecti sunt cum Iudæis fidelibus. Tale est & illud Psalmistæ: Iustus dominus & iustitias dilexit, id est, iustos amatores iustitiæ: *cæteri verò excæcati sunt* tenebris infidelitatis, Sicut enim ille qui fidem habet, in luce dicitur consistere, ita qui infidelis est, in tenebris ignorantiæ manere. Vnde idē egregius prædicator credētibus dicit: Fuistis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in domino. *sicut scriptum est: Dedit illis deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vsque in hodiernum diem.* Hæc verba partim sunt Apostoli, partim Isaiæ prophetæ. Quod dicit Dedit illis deus spiritum cōpunctionis, Apostoli verba sunt: quę autem sequuntur, Isaiæ prophetæ. Spiritus compunctionis aliquando in bonam partem accipitur, aliquando verò in contrariam. In bono accipitur, sicut in Act. apostolorum legitur, quòd audientes Iudæi prædicationem Apostolorum compuncti sunt corde, & dixerunt ad apostolos. Quid faciemus viri fratres? In contrariam verò partem accipitur, vt in isto loco: Dedit illis deus. i. habere permisit, sicut tradidit & indurauit, pro eo quod est, tradi & indurari permisit. Spiritū autem compunctionis appellat mentē inuidentiæ, quia inuiderunt & inuident adhuc saluti gentium. Aliquando enim spiritus pro anima ponitur: vt in euangelio

Psal.10.

Ephe.4.

Actu.2.

gelio habetur de domino, quòd inclinato capite emisit spiritum, aliquando pro mente, vt hic. Et anima est qua viuificatur corpus: spiritus verò ipsa ratio, qua inter bonum & malum, verū & falsum discernimus, & non est aliud mens, atque aliud ratio. Spiritus autem compunctionis, idcirco appellatur mens inuidentiæ, quoniam plerunque dum cernunt homines fœlicitatem alterius, torquentur & afflīguntur inde, intantum vt etiam inuidendo prorumpant in lachrymas. Ad exaggerandum ergo inuidiam, qua torquentur Iudæi de salute gentium, dixit habere illos spiritum compunctionis. Aliter: Spiritum compunctionis malignum spiritum, qui est spiritus perditionis, possumus intelligere, qui dei contemptores in suam potestatem suscipit. Bonus ergo deus, exigentibus culpis Iudæorum, permisit eis habere spiritū perditionis, qui eos perimat in anima, sicut & de philosophis gentium dicitur, quòd tradiderit illos deus in reprobum sensum: *oculos, vt non videant.* Oculis quidem corporis viderunt Iudæi dominum: & multa miracula ab eo fieri: sed quia immoderate terrenis negotiis intendebant, oculis fidelitatis & amoris nequaquā meruerunt illum cernere, *& aures vt non audiant*, subaudi permisit eis habere. Audierunt Cristum auribus carnis, sed non audierunt auribus cordis, quas dominus requirebat, cum diceret. Qui habet aures audiendi, audiat. Cæcitas igitur & surditas atque mens inuidentiæ vsque in hodiernum diem in Iudæis manet, quia dum nolunt obedire euangelio, ad hoc vt in Christum credant, liuore inuidiæ succensi, semper inuident saluti gentium. *Fiat mensa eorum in laqueum.* Ad mensam solent tractare impij de nece innocentium, sicut Herodes de obtruncatione beati Ioannis: & Holofernes spurcissimus de violatione Iudith. Solent etiam eos vocare ad mensam: vt dolo illos interficiant: sicut Absalon interfecit fratrem suum Ammon. Sic Iudæi intelliguntur super mensas suas tractasse de nece innocentis Christi: ideóque per mensam debemus intelligere collationes verborum illorum quas agebant super mensam de Christo. Vnde dicit propheta, Fiat mensa eorum, id est, collatio verborum Iudæorum in laqueum: vt illaqueentur & inuoluantur, siue decipiantur vltione iniquitatis mensæ suæ, *in captionem* quoque: vt ipsi capian-

Ioan.19.

Roma.1.

Lucæ. 8.

Matt.6.

Io.12. 13.

2.Reg.13.

tur. Fiat illis etiam, *in scandalum*, hoc est in ruinam', vel offensionem siue in rixam: quatenus offensam omnipotentis dei incurrentes, ruinam patiantur damnationis: & inter se rixas gerant & contentiones. Scandalum siquidem Græcum est, & sonat in latino sermone offensam, ruinam, vel rixam. Pro offensione enim & ruina ponitur vbi dominus dicit. Væ qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, id est, qui offenderit, vel ruere fecerit, pro rixa autem, sicut illo in loco vbi dicit euangelista, quòd audiens pharisæi verbo scandalizati sunt, id est, rixati, hic autē sub vtroque sensu accipi potest. *Et in retributionem*, inquit, qualia fecerunt, in Christum talia retribuātur illis, & verque ita contigit. Verbi gratia. Voluerunt Christi nomen delere de terra, nomen eorum deletum est, vt iam non dicantur populus domini. Interfecerunt Christum, interfecti sunt & ipsi gladio Romanorum. Significatur & sacra scriptura per mensam, quæ data est Iudæis in lege & prophetis, sicut Psalmista ostendit, dicens: Parasti in conspectu meo mensam, cuius intelligentiā quia non recte scrutati sunt Iudæi, facta est eis ipsa mensa in laqueum & in cætera quæ supra memorata sunt, nolentes in Christum credere, cui omnis illa scriptura testimonium perhibebat. & quoniam ad mortem cōtra authoritatem illius scripturæ tradiderunt Christum, illata est eis retributio, secū dum meritum illorum. *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua.* Hæc verba non optantis voce, sed prædicentis officio dicuntur: Obscurentur oculi cordis eorum, id est, intellectus eorum, vt non intelligant Christum filium dei esse. Et dorsum eorum semper incurua, sicut qui graue onus portat incuruatur in terram, ita quodammodo peccator qui pondere peccatorum premitur, incuruatur, sicut Psalmista deplorat, dicēs, iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. *Dico ergo, Nunquid offenderunt.* Iudæi *vt caderent?* subaudis solummodo: vt eorum casus nihil profuerit. *Absit.* Et est sensus. Non offenderunt deum Iudæi solummodo propter hoc vt ipsi caderent, sed vt multitudo gentium in eorum locum surgeret, & magnam vtilitatem casus illorum nobis præstaret. Vnde sequitur. *Sed illorum delicto, salus est gentibus vt illos æmulentur.* Ac si diceret aliis verbis, in illorum delicto salus gentibus est procurata

Matt. 18.

Matt. 4.

Psal. 11.

Psal. 37.

curata, quia nisi Iudæi periissent, nequaquam gētes saluarentur. Delictum dicitur quasi derelictū: & delictum fit in cogitatione, peccatum verò in operatione. Dicitur & delictum quando non adimpletur dei mandatum, peccatum verò, quando fit quod prohibitum est. Sed Apost. indifferēter ponit delictum pro peccato. Delictum ergo Iudæorū, mors Christi fuit, & cor impœnitens cum infidelitate, cuius morte gētiles sunt redempti, & sacro baptismate abluti: quos debent Iudæi æmulari, id est, imitari in fide, vt credentes sicut illi credunt salui fiant. *Quòd si delictum eorum diuitiæ sunt mundi.* Propter delictum Iudæorum, quod commiserunt in filium dei, & propter infidelitatem illorum ditata est multitudo gentium diuitiis legis, & prophetarum, Psalmis, & gratia fidei, quia abstulit eis dominus omnia ista, & tradidit gentibus in se credentibus, sicut in euang. minatus est eis dicens: Auferetur à vobis regnū dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Magnæ & incomprehensibiles fuerunt diuitiæ Iudæorū, quæ totum ditauerūt mundum. *& si diminutio eorum, diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum?* Diminutio hic pro paucitate accipitur & paruo numero. Diminutio autem infidelium Iudæorū Apost. fuerunt aliique credētes ex eadē plebe, & est sensus. Si paucitas quę ex Iudæis credidit, tantam salutē attulit gētibus, vt pene in omnes gentes euang. per illos prædicatum sit, quanto magis prodesset, si omnes credidissent? Multò magis prodesset, quia per omnes gentes iam esset euāgelium prædicatū ab illis. Apostoli enim aliiq; credētes ex Iudęis, diuitiæ sunt gentiū, quia per illorū ministerium acceperūt fidem cognitionémq; diuinarum scripturarum, vbi notitia dei est, & ipsi ordinauerunt gentibus episcopos, presbyteros, diaconos, & cæteros ordines ecclesiasticos, & vt amplius dicā, quicquid boni habemus (gratia dei cooperante ac largiēte) per illorum ministerium accepimus. *Vobis enim dico gentibus, quandiu quidem ego sum gentiū Apostolus, ministerium meum honorificabo.* Cum cæteri apostoli singulis in locis sibi destinatis prædicassent, Paulus Apostolus pene omnibus gentibus prædicauit, quia à domino audiuit. Longe mittā te ad gētes. Qua de causa ipse proprie Apostolus extitit gentiū, sicut alio loco testatur, dicēs. Qui operatus

Matt. 21.

Gala. 2.

est Petro in apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes, hoc est, qui Petrum cōstituit principem Iudæorum, me etiam constituit, vt sim princeps & Apostolus omnium gentium. Bene autem dicit, Ministerium meū honorificabo, id est, prædicationem in opus vertam. Tunc etenim prædicator ministerium suum honorificat, quando secundum illud quod prædicat, viuere studet, vt quod prædicat ore, honoret & confirmet bono exemplo bonisque operibus. Aliter ministerium meum honorificabo, hoc est, gratiam euangelij non solùm gentibus, quibus delegatus sum apostolus, prædicabo, sed etiam Iudæis impertiri curabo. Honor magistorum, numerositas est auditorum: *si quo modo ad æmulationem prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis.* Si quo modo ad æmulationem prouocem carnem, hoc est, idcirco ministerium meum honorificabo, vt aliquo modo ad imitandum me prouocem Iudæos ex quibus carnem sumpsi, & me imitando saluentur, sicut & ego saluus effectus sum, & si non omnes, saltem vel paucos ex eis saluos faciam. *Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi, quæ assumptio,* subaudis erit, *nisi vita ex mortuis?* Sensus huiusmodi est, Si amissio Iudæorum qua dereliqui sunt à deo propter infidelitatem, gentium reconciliatio fuit, quibus deus ante aduentum filij sui quodammodo iratus erat, quanto magis assumptio illorum qua assumentur ad fidem, præstabit electis vitā ex mortuis? Statim enim vt illi cœperint viuere deo per fidē, qui antea mortui erāt in infidelitate, aduenier dies iudicij, & resurgēt omnes de puluere terræ, viuēntque omnes electi in vita æterna secum per eum Christo. Profuit etenim gentibus ad fidem amissio eorum, proderit & assumptio, quoniam vita æterna dabitur electis ex mortuis. Alio modo assumptionis nomine apostoli possunt intelligi, qui fidelibus gentibus vita extulerunt. Quæ (inquit) assumptio est, nisi vita ex mortuis? id est, quid aliud sunt assumpti & electi à deo ex eadem plebe, sicut ego & Petrus, & reliqui credentes, qui vos etiam assumpsimus ad fidem Christi, viuentes per vitam Christi ex mortuis Iudæis infidelibus? Si enim illi sua morte infidelitatis reconciliationem præstiterunt mundo, nos qui in infidelitate mortui non sumus, ad vitam aliorum, quasi vnde ex mortuis seruati sumus. *Quòd si delibatio sancta est, & massa.*

massa. Delibatio est degustatio quædam, siue primitiæ alicuius rei. Verbi gratia: Quādo particula accipitur ex massa conspersæ farinæ, & prægustatur cuius saporis sit eliqua. Nam naturale est, vt omnis res quæ vnius substantiæ est, diuisa per partes, in eadem permaneat natura, & vnius saporis & qualitatis sit: sicut ex fermento farina dinoscitur. Hic autem delibatio sanctos significat apostolos, massa verò patres sanctos, Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, Isaiam, & reliquos, ex quorum progenie apostoli descenderunt. Ergo si apostoli sancti, & patres, quorum fidem ipsi apostoli assecuti & imitati sunt, sancti fuerant. Potest & præposteró ordine non inconuenientius dici. Si massa sancta in patribus, ergo & delibatio similiter sancta in apostolis, cæterisque credentibus, qui fidem patrum veraciter habuerunt. *Et si radix sancta, & rami.* Idipsum appellat modo radicem, quod superius massam: & idem significant rami, quod delibatio. Patres videlicet veteris testamenti, sunt massa & radix: quia de illorum prosapia sumpta est delibatio, & processerunt rami, id est, apostoli. Sicut ergo radix bona bonum succum diffundit per ramos vbi sunt fructus boni saporis: ita apostoli qui originem duxerunt à sanctis patribus & eorum fidem imitati sunt, sancti & boni fuerunt. Iam superius in hac epistola alteram massam posuerat, qua significatur mortalitas & peccatum Adæ, & ex quo fiunt quædam vasa in honorem per misericordiam gratiæ dei: quædam verò iusto dei iudicio in contumeliam. Hic verò massa in bono accipitur. Potest & per radicem intelligi Christus, per ramos autem apostoli aliique credentes: quia sicut à radice emittitur succus in ramos vt viuant, ita & in Christo viuunt omnes credentes, ab illo omne bonum accipientes, cuius & membra sunt. *Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt,* in infidelitate remanendo, *tu autem cum oleaster esses,* totus scilicet paganus, *insertus es in illis,* id est, in locum illorum successisti, *& socius factus es radicis,* id est, fidei sanctorum patrum, *& pinguedinis oliuæ,* gratiæ videlicet sancti spiritus, *noli gloriari,* neque extolli *aduersus ramos,* in infidelitate manentes. Nam illi sancti patres spiritum sanctum habuerunt, vnde & vncti dei appellabantur, sicut est illud: Nolite tangere Christos meos, quod de Abrahā, Isaac, & cæteris intel-

ligendum est. Aliter: Per radicem iterum alio modo possumus intelligere Christum, vt sit sensus: Socius radicis, id est Christi, & pinguedinis oliuæ, gratiæ videlicet spiritus sancti factus es, ne extollaris in superbiam, ne amittas gratiam quæ data est tibi. Gentiles alloquitur Apostolus & loquitur omnibus quasi vni. Ramos fractos (vt diximus) appellat Iudæos in infidelitate manentes, qui à radice, id est à fide patriarcharum: vel à Christo recesserunt: oleastrum autem gentiles, qui infructuosi ante domini aduentum erant: agrestem vitam ducentes, & est sensus. O gentilis, si videas aliquos Iudæorum à gratia Christi alienos existere, & à fide patriarcharum, & te in locum illorum esse, sociúmque factum fidei patrum, & Christi, atque gratiæ spiritussancti, noli despicere illos, neque extollaris, ne forte amittas gratiam quæ data est tibi gratis. *Quòd* Psal. 104. *gloriaris*, contra eos qui lapsi sunt, attende quia *non tu radicem portas, sed radix te.* Quasi diceret: Si vis extolli, attende vnde humilieris. Non portas tu radicem, id est, nihil confers patribus sanctis, qui te præcesserunt, sed radix te portat, quia eorum fide saluaris. Tu enim accepisti ab eis, illi non acceperunt à te. Aliter. Non portas radicem, id est Christum, cui nihil ex tuo tribuis: sed ipse te portat, & quo habes quicquid boni habes, & insuper ab illo habes esse. *Dicis ergo*, mihi ô gentilis: *fracti sunt rami*, increduli scilicet Iudæi, abiecti sunt, *vt ergo* gentilis *inserar* in locum illorum. *Bene* subaudis dicis, quia ita est: sed attende quod sequitur: *propter incredulitatem fracti sunt rami*, quia noluerunt Iudæi in Christum credere, lapsi sunt in mortem damnationis, fracti à gratia dei, *tu autem fide* Christi *stas*, non tuis meritis. Ideóque noli gloriari. *Noli altum sapere*, id est, noli superbire. *Sed time* credere. Dei enim beneficium est, quòd vocatus es: non tuum meritum. Iuxta quod idem egregius prædicator aliàs dicit, Gratia salui facti estis, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. *Si enim deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* Naturales ramos appellat Iudæos, qui ex sanctis patribus & deo dilectis originem traxerunt, & est sensus: O gentilis considera, quia si deus Iudæis non pepercit, qui à sanctis patribus originem duxerunt, & ex quorum gente ipse carnẽ assumpsit,

psit, multò magis nec tibi parcet, si à fide dei recesseris, qui oleaster eras, vel si in superbiæ fastu te eleuaueris despiciẽdo Iudæum. *Vide ergo bonitatem & seueritatem dei.* Seuerus iudex dicitur, qui in nullam partem suum iudicium flectit, sed per rectitudinem incedit: Seueritas verò dicitur iudicium, quo nulli adulatur, sed iustè omne iudicat. Bonitas autem, pietas gratiæ & misericordiæ, qua bona præstantur hominibus, *in eos quidem* Iudæos *qui ceciderunt, seueritatem*, id est, iustissimum iudicium exercuit. *in te autẽ bonitatem dei*, hoc est gratiam pietatis monstrabit, *si permanseris in bonitate*, id est, in fide recta: *Alioquin & tu excideris*, id est, si à fide recesseris, penitus peribis. Distat autem inter frangi & excidi, quia fractus ramus potest vtcũque arbori suæ resolidari: excisus nullatenus. Et notandũ quia Iudæos dixit fractos, qui prædicante Elia & Enoch, solidabuntur in fide Christi. gentiles autem si à fide Christi recesserint, penitus abscindendos à gratia dei, ac deinde perdendos. Vnde sequitur, *Sed & illi* subaudis Iudæi, *si non permanserint in incredulitate, inserentur* fidei Christi, & fidei patriarcharum. *Potens est enim deus iterum inserere illos* fidei Christi. *Nam si tu ex naturali præcisus es oleastro, & cõtra naturam insertus es in bonam oliuam, quantò magis hi qui secundum naturam inserentur suæ oliuæ?* Gentilem alloquitur superbientem contra ramos, qui fracti sunt, & qui gloriatur quasi suis meritis meruerit saluari, & dicit, si tu ô gentilis, per gratiam dei separatus es à paganismo, & ab his qui ab exordio sui diuersis erroribus à deo sunt separati, & contra consuetudinem insertus est in bonam oliuam, hoc est in fidem præcedentium patrum, qui pinguedinem sancti spiritus habuerunt, quantò magis Iudæi secundum naturam inserentur suæ oliuæ, fidei videlicet patrum suorum. Quòd dicit contra naturã insertum esse ramũ oleastri in olivam, more humano loquitur, quia naturale est vt surculum bonæ arboris inseramus in trunco malæ, non surculum malæ, in bono trunco, & hoc insertio dicitur. Deus autem conditor & creator omnium rerum & naturarum, nihil contra naturam facit. *Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc.* Mysterium est res occulta, & secretum aliquod in se continens. Alloquitur ergo gentiles credentes vt considerent qua de causa salui facti sint, suis meritis, an

gratia dei,& Iudæi abiecti,& dicit, Occultum & secretum dei iudicium, quantum homo penetrare potest, nolo vos lateat,quare Iudæos quòndam populum peculiarem abiecerit,& gentes peccatrices per fidē sibi copulauerit, & cuius rei gratia hoc admonuerit perpendere,subinfert & dicit, *vt non sitis vobisipsis sapientes*, id est,vt non superbiatis dicentes vos propriis meritis fore saluatos, ac per hoc alios despiciatis. Sibi enim sapiens dicitur,qui donum quod habet, non dei gratiæ, sed suis meritis & studio deputat. Qui autem secundum deum sapiens est, in beneficiis Dei non insultat abiectis,sed cū timore gratias agit misericordiæ largitoris. Aliter:Sibi fit sapiens,qui quemlibet peccatorem despicit,cū potius ex consideratione peccatoris humiliari conueniat: quia omnes sumus vnius naturæ, licet non eiusdem gratiæ. Ipse ergo Apostolus demonstrabit de quo mysterio loquitur, *quia cæcitas ex parte contigit in Israel*. Rectè dicit, ex parte contigit cæcitas, & nō ex toto, quia reliquiæ ceciderunt. Cæcitas verò contigit in Israel non corporis,quæ fit amisso lumine oculorū,sed cordis, quæ fit tenebris infidelitatis. In his ergo dictis Apostoli quod mysterium sit in lapsu Iudæorum dicimus,sed ex qua profunditate cōsilij dei veniat, cū ipso Paulo ignoramus: & si ipse sciebat,non tamen manifestauit. Dicit enim: quia cæcitas ex parte contigit in Israel: *donec plenitudo gentium intraret: & sic omnis Israel saluus fieret*. Plenitudinem autē gentium non conuersionem omniū accipimus: sed multitudinem earum, quæ aut iam diuina prædestinatione collecta est:aut in futuro colligetur. Plenitudo verò hæc non ad numerum cunctorū pertiner,sed ad numerū à deo præfinitū. Corruerunt itaque Iudæi,vt surgerent gētes. Quis hoc mysterium valet penetrare, cur deus multitudinem gentium spreuerit pene ab exordio mundi, ac tempore scilicet quo confusum est labium vniuersæ terræ, & Iudæos tantū sibi peculiares fecerit,qui per lineā Heber descenderunt, iterúmque gentes in suo aduentu collegerit,& Iudæos in fine mundi recipiendos abiecerit: quis inquam tam subtilē dispositionem diuinam inuestigare sufficiet? *Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem ab Iacob.* Sion ipsa est Hierusalem. de qua Micheas ait, De Sion exibit lex, & verbum domini de Hierusalem. Saluator etenim nascendo ex plebe Israelitica, iuxta quod Isaias olim propheta cecinerat, dicens: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, veniet de Sion, siue de Hierusalem. Ponendo verò membra sua in cruce, propriúmque sanguinem fundendo, & lauacrum baptismatis dādo, eripuit tā gentes quàm & illas reliquias quæ ex Israel crediderunt, quod ante nemo facere præualebat. auertit nihilominus impietates ab Iacob, ab his videlicet,qui crediderunt ex Iudæis in primo aduentu illius, auertet quoq; pleniter & ab his,qui susceptā gentiū multitudine conuertentur & saluabuntur. sicut scriptum est, Ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus suis: & cū plenitudo gentiū intrauerit,tunc omnis Israel saluus fiet. *Et hoc illis à me testamentum*, subaudis dabitur, siue cōplebitur, per quod aliquando promissio designatur & euangelium. Et potest hic vtrūque intelligi, promissio videlicet regni cœlorum & euangelium in quo ipsa promissio continetur,dicente domino: Pœnitentiam agite,appropinquabit regnū cœlorū. De hoc testamento dictū est per Ieremiā: Feriam (inquit)cū eis pactum nouū & testamētum nouum scribā in cordibus eorum. Sequitur,*cum abstulero peccata eorum*. His verbis demonstrat,quod licet quorundā credentiū ex eis peccata sint ablata,in fine tamē seculi per baptismi gratiā plenius auferentur. *Secundum euangeliū quidē inimici dei propter vos*. Non ait,secundū legem,quam pro viribus suis Iudæi æmulabantur, sed secundum euangeliū quod ipsi contemnebant,vbi narratur qualiter dominū morti tradiderint. Ergo quantū attinet ad euangeliū,quod Iudæi nō recipiunt, inimici sunt Christi & eiusdem euangelij. Hanc iuimicitiam idcirco Iudæi incurrerunt, vt gentes credere possent,& hoc est quod dicit,propter vos ô gentiles,vt vos credere tis,inimici dei facti sunt Iudæi secundū euangeliū, id est,secundū quod euangeliū loquitur. Siquidē in euangelio refertur, qualiter impij Iudæi peregerunt necē Christi, propter quam incurrerunt inimicitiam dei, quod quia in infidelitate permanserunt, *Secundum autem electionem charissimi propter patres*. Non sic intelligendum est, vt qui appellantur inimici dei, ipsi sint & charissimi, præsertim cum Iudæi vna gens sint,quæ diuiditur in credentes,& nō credētes. Igitur Iudei alieni à fide Christi,inimici sunt dei, charissimi verò illi, qui per electionē,siue prędestinationē

Esaiæ.9.

Psal.120.

Matt.1.

Hiere.21.

Mich.5.

Universidad de Deusto Biblioteca

Ephe.1. dei sunt iustificati: de qua dicitur. Qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati. qui propter patres, id est, Abrahã & cæteros, charissimi nuncupantur, quoniã exemplar iustitiæ & fidei præcedentium patrũ illi qui credũt, veraciter tenent. *Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio dei.* Pœnitentia enim pro mutatione accipitur nonnunquã in sacra scriptura, sicut habet domino dicẽte ad Samuelẽ: Pœnitet me regem fecisse Saul super Israel, vnge filium Isai. Cũ præcipit vngi filium Isai, ostendit se immutare dispositionẽ facti sui, ideóque dicit, pœnitet me. Et alibi: Iurauit dominus & nõ pœnitebit eũ, id est, nõ mutabitur volũtas eius. Verũ quod dicit, dona & vocatio dei, intelligitur ordine præpostero. Primum enim vocat deus ad fidẽ suam secundum electionem gratiæ, postmodum verò confert dona spiritussancti & præmia vitæ. Igitur sine mutatione sunt dona & vocatio dei in his, de quibus supra dictum est, Quos prædestinauit, hos & vocauit, non in his de quibus dicitur: Multi sunt vocati, sed pauci electi. Aliter: Sine pœnitentia sunt dona & vocatio dei in illis qui ad fidem dei veniũt. Verbi gratia, Vocatur quis expaganismo: baptizatur, & ab omni reatu absoluitur: quid boni fecit vt vocaretur, & vt donum remissionis omnium culparum consequeretur? Neque enim ieiunauit: neque in eleemosynis, vel annorum cõputatione in pœnitentia culpas deleuit. Dicamus & apertius: Nascitur quis cum originali peccato: addit deinceps multa actualia: si crediderit vocatus est: baptizatus statim ab hac vita subtrahitur: accipit dona perennis vitæ: Ecce dona & vocatio dei sine pœnitentia. *Sicut enim & vos aliquando non credidistis deo: nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem: ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur.* Misericordiam appellat isto in loco Apostolus fidem, gratiam baptismatis, remissionem peccatorum, & donum spiritussancti, paritérque reconciliationem, qua reconciliati sunt gentiles deo, & insuper quicquid boni post domini aduentum gratis à Deo perceperunt, ostendens, quia sicut gentiles in primo aduẽtu misericordiam dei sunt consecuti, ita & Iudæi consequentur, appropinquante secundo aduentu, per prædicationem Eliæ & Enoch: iuxta quod idem egregius prædicator

1. Re. 14. 16.
Psal.106.
Rom.8.
Matt. 20.

cator aliàs loquitur, dicens. Cum plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet. sicut inquit: vos gentiles aliquando non credidistis deo, nunc autem in domini aduentu per prædicationem apostolorũ misericordiam omnipotentis dei cõsecuti estis propter Iudæorũ incredulitatem, in quorũ loco credendo subintrastis, ita & ipsi Iudæi nunc nõ crediderunt in vestrã misericordiã, quæ vobis à deo data est. i. in isto tẽpore quãdo vos misericordiã cõsecuti estis, vel in vestra misericordia dicit, hoc est vt vos misericordiã cõsequi potuissetis. Casus etenĩ illorũ, salus fuit gentiũ. Poterat aliquis dicere: Quare nõ crediderũt Iudęi in primo domini aduẽtu? Ad hæc Apostolus, vt gentes (inquit) misericordiã cõsequerentur, & ipsi postmodũ in fine seculi consequantur. Si enim in primo domini aduentu credidissent, ex legis operibus se iustificatos putarent, in fine verò seculi cum crediderint, misericordiam consecutos se non dubitabunt. Vnde subdit. *Conclusit deus omnia.* i. omniũ hominum genera *in incredulitate*, id est, concludi permisit intra incredulitatẽ, *vt omnium misereatur.* Conclusos esse ostendit tã Iudęos quã gentiles sub peccato incredulitatis, Iudæos quidem legem naturalem & scriptam destruendo, gentiles verò naturalẽ legem calcando. Sed vt clarior fieret eius gratia, qua dimittuntur peccata, his ita conclusis, placuit ei tunc abolendis peccatis hominum, sacramentũ remissionis afferre, quando nemo poterat de suis meritis gloriari. Increduli siquidem fuerũt gentiles, sed misericordiam dei ab eo vocati, consecuti sunt. Sunt modo & Iudęi increduli, sed miserebitur earum. Quare tamen multitudinem gentium tantopere abiecerit deus, Iudæos verò dilexerit, & postmodum in aduentu suo gentibus ad se collectis Iudæos abiecerit, solus ipse nouit qui conspicit omnia. Considerans apostolus tantas esse diuitias bonitatis dei, & tantũ opus diuinæ sapientiæ, cum non potuisset hoc comprehendere, subito in interioribus oculis cordis, stupore simul atque pauore perculsus, exclamauit & dixit. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei.* Altitudo sublimitatem & profunditatem significat. Sapientia accipitur in diuinis rebus, scientia in humanis. Sublimis ergo & profunda est abundantia sapientiæ diuinarum humanarúmque rerum apud deum, qui solus sicuti sunt, omnia intue-

Sup. eodem

tur,& ad cuius notitiam omnis sensus noster confunditur *quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius*, quibus angelos & homines iudicat,seu Iudæos atque gentiles,ex quibus istos elegit,nunc illos abiecit: *& quàm inuestigabiles viæ eius*, quibus à gentibus ad Iudæos,& à Iudæis ad gentes transiit, & quibus iterum à gentibus ad Iudæos transiturus est. Vt per vias,possumus accipere actiones dei quibus omnia operatus est,quæ vtique inuestigabiles sunt. *Quis enim cognouit sensum domini?* id est,intellectus eius profunditatem quis penetrauit? *aut quis consiliarius eius fuit?* Patris consiliarius vnigenitus filius eius est,qui & angelus magni consilij appellatur,sed ex hominibus & angelis nullus eius fuit consiliarius. *Aut quis prior dedit illi?* subaudis fidem suam aut aliquod bonum opus,antequam ab eius gratia præueniretur. *& retribuetur ei?* merces à domino,ex hoc quod fidem suam prior ei dedit. Quidam voluerunt contra hoc intelligere centurionem Cornelium bonis suis meritis exigentibus à deo accepisse fidem,quasi causa remunerationis,propter eleemosyna scilicet & orationes quibus instabat. Quo idcirco ignoranters locuti sunt,quoniam à fide venitur ad bona opera agenda, non ab operibus ad fidem,nisi enim Cornelius fidem primum habuisset,præuentus ab inspiratione diuina, nequaquam bona opera habuisset. Sed (sicut beatus Gregorius dicit)præuentus est à deo: vt haberet fidem vnius deitatis,non tamen trinitatem personarum se deo esse cognouit,quoadusque Petrus ad eū est missus. vnusquisque autem deo fidem & opera sua tribuit,quando eius gratia præuentus credit in eum,& bona opera exercendo studet voluntati eius placere. *Quoniam ex ipso*, id est ex patre sunt omnia,quia ab ipso originē sumpserunt, *& per ipsum* id est per filium sunt omnia,quia per illū omnia facta sunt, *& in ipso* id est,spiritusancto *sunt omnia*, quia in illo cōsistunt. Ecce trinitas personarum. Quod verò subditur *Ipsi gloria*,trium personarū vna & singularis substantia declaratur. sicut & Isaias etiam dicit se audisse dicere Seraphin: Sanctus,sanctus,sanctus dominus deus sabaoth. Ter dicit de personis, sanctus, & vna tantummodo vice de maiestate,dominus. Similiter & Psalmista, Benedicat nos deus Pater,benedicat deus filius,benedicat nos deus spiritussanctus, & metuant eum omnes fines terræ. Quod verò ait,ex

Esaiæ.9.

Actu.10.

Esaiæ.6.

Psal.66.

ipso deo patre sunt omnia,attendēdum est,quòd nō dixit de ipso,aliud est enim ex ipso, aliud de ipso. Omne enim qđ est ex ipso,nō est de ipso,sed quod est de ipso,hoc vtiq; est ex ipso. Verbi gratia, Filius ex patre est, quia ab illo originē accepit,& de ipso,qa de eius substātia est. Domus verò quæ ædificatur ex lignis vel lapidibus: ex ipso homine est à quo fit,& à quo originē habet: sed nō est de ipso, id est,de eius substātia. Deus igitur creator omniū spiritus est inuisibilis atq; imutabilis, creatura verò omnis mutabilis est. Ergo nō de immutabili substātia eius creata sunt omnia,sed ab immutabili deitate cūcta sunt ex nihilo facta: ac propterea ex ipso patre sunt,quia ab illo originē ducunt.

CAPVT XII.

O *Bsecro itaque vos fratres per misericordiam dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Quia supra dixerat Apostolus. Cōclusit deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur,ostendens quod siue Iudæi credentes siue gentiles,non suis meritis,sed misericordia & gratia dei saluati sunt, obsecrat eos modo, & omnes credentes per eandem misericordiam,qua redempti sunt sanguine Christi,& tempore baptismatis ab omnibus sordibus abluti,vt exhibeant corpora sua hostiam viuentem: & dicit: Obsecro vos per misericordiam dei: ac si diceret: Non per potentiam magisterialem vobis impero, qua sum vester magister & Apostolus,sed obsecro & deprecor quasi socius,quapropter & fratres eos appellat non carne,sed fide, recolens illud quod saluator fidelibus dixit: Omnes vos fratres estis, quia vnus est pater vester, qui est in cælis. Hoc (inquit) obsecro per misericordiam dei, qua saluati estis, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem. Erant apud Romanos Iudæi credentes, qui victimas & hostias legales deo Hierosolymis in templo obtulerant, hos hortatur vt iam non boues, non hircos, non arietes, sed semetipsos hostias deo spiritales immolent. Siquidem quando ista scribebat Apostolus, adhuc templum Hierosolymis stabat, & necdum erat subuersum à Romanis. Hostia igitur & immolatur & viua est, quando homo ab hac vita non deficit, & carnalibus vitiis se occidit mor-

Mat.22.

tificando membra sua cum peccatis & cõcupiscentiis. Ve-
bi gratia: Fuit superbus, efficitur humilis, fuit luxurio-
efficitur castus: fuit gulosus, efficitur temperatus, appetito
parsimoniæ existens, omnisque frugalitatis. Sic viuit ho-
mo virtutibus, & moritur vitiis. Hostiæ appellabantur in
veteri testamento animalia, quæ adducebantur ad ostium
domus domini, ibique sacerdotibus tradebantur. Victimæ
verò dicebantur à vinciendo, eo quòd funibus & restibus
vincta animalia ad sacrificium adducebantur. Quantum
verò ad paganorum pertinet ritum, hostia dicebatur sacri-
ficium quod offerebatur idolis, quando contra hostes de-
micandum erat. Victima verò dicebatur sacrificium, quod
victoria potita, diis pro gratiarum actione offerebatur. *Sanctam.* Corpora nostra fieri debent hostia sancta: quia tem-
plum sunt spiritus sancti, iuxta quod dicitur alibi: Templum
1. Cor. 3. dei sanctum est, quod estis vos. Et rursus: Nescitis quia mem-
bra vestra templum sunt spiritus sancti? oportet ergo san-
cta esse corpora, quæ dei sunt habitacula. *deo placentem*
est, à vitiis & peccatis separatam, quia qui vitiis se subera-
hit & virtutibus imbuitur, deo vtique placet, *rationabile*
obsequium vestrum. Obsequium proprie dicitur obedien-
tia, ab eo verbo quod est obsequor, sed hic ab Apostolo pro
cultu diuinæ religionis ponitur, quod olim apud Iudæos
quodammodo irrationabile fuit, quando putabant inuisi-
bili & incorporeo deo, per corporales victimas & sanguino-
lentas se posse placere, & à peccatis mundari. Neque enim
ad rationem pertinet, vt rationabilis creatura quæ est ho-
mo, irrationabilia pro se offerat. Itaque rationabilis cultus
est, vt deo qui est spiritus, mens hominis offeratur, mortu-
ficata à vitiis. Quandocũque enim vitia carnis & recidi-
peccata in nobis mortificamus, virtutibusque pollemus,
hostia viua atque rationabilis efficimur. Sed fortasse quæ-
ret aliquis, quare deus omnipotens legales hostias vide-
máque sibi præceperit offerri, si ipse per illa sacrificia of-
rentibus placabilis non reddebatur, adeo vt peccata eis
indulgeret? Cui respondendum est, ob duas præcipuas
causas hoc à deo præceptum esse: Vel quia proni erant
animi Iudæorum ad idola colenda, atque ideo tolera-
lius erat Deo à se creata sibi offerri quàm dæmonibus. Vel
quia verum sacrificium futurum erat in mundo, domi-
videlicet

videlicet Iesus Christus, qui sua immolatione abstulit pec-
catum mundi, quod omnino dignum erat vt haberet figu-
rariua sacrificia longe antequam veniret, vt per illa typica
facilius perueniretur ad istud verũ: Siue etiam tertia causa
mysterij fuit, vt illa offerrentur sacrificia typica, quatenus
istud sacrificium præfiguraretur, quod quotidie in eccle-
sia pro salute fidelium offertur. *Et nolite conformari huic se-*
culo. Per seculum hic non debemus intelligere præsen-
tem vitam: quæ semper annis, temporibus, diebus, noc-
tibus, horis, atque momentis voluitur, sed homines per car-
nalem conuersationem seculo deditos, paganos videlicet.
Iudæos, hæreticos falsósque Christianos, quibus non debe
mus assimilari & consociari, ne eorum vitiis iniquinemur
& nostris. Nolite (inquit) conformari huic seculo, id est, no
lite similes fieri amatoribus huius seculi, qui virtutes despi
ciunt & vitia sectantur, *sed reformamini in nouitate sensus ve*
stri per studium lectionis & meditationis veteris testamen-
ti & noui. Quotidie sensus noster & intellectus innouatur
& reformatur, dum proficimus, & magis ac magis in sapiẽ-
tia credimus, ea de deo intelligẽdo, quæ antea ignorabam⁹.
Reformatur etiam in nouitate sensus noster, dum proficit
in nobis opus bonum, quia quanto intellectus in effectum
operum vertitur, tanto amplius innouatur. Dicamus aper
tius. Erat quis in litera legis positus, non pernetrabat inte
riora, trãsiit ad euãg. didicit quòd lex spiritaliter debeat in
telligi, atque ita reformatus est in nouitate sensus sui, dum
amissis tenebris carnalis intelligẽtiæ, ad fructũ transiit spi
ritalis allegoriæ. Sic intelligẽdum & de his, qui spretis vi-
tiis, ad virtutes transeunt, & dum proficiunt de virtute in
virtutem, quotidie innouantur. *vt probetis quæ sit voluntas*
dei. Qui sacras scripturas sedulo legit, ille inuenit, quæ sit
voluntas dei, id est, quid deo placeat, quidue displiceat: vel
quomodo voluntas eius impleri possit. In omnibus etenim
actionibus nostris debemus perpendere vtrum deo acce-
pta sint opera quæ agimus, ac non. *bona, & beneplacens,*
& perfecta. bona voluntas dei est, quia bona desiderat
semper. beneplacens, quia omnia bona placita sunt ei. per
fecta: quia nihil duplicitatis placet ei: sed ea quæ sincero
animo fiunt. Aliter: Bona in fide: beneplacens in spe futu-
rorum bonorũ, pfecta in charitate, id est, in dei dilectione

& proximi. Hæc enim tria voluntatem dei perficiunt. Siue aliter: Bona voluntas dei est in coniugatis, beneplacens in viduis, perfecta in virginibus. Hi tres ordines, si secundum voluntatem dei & virtutum tramitem processerint, præmiis voluntatis dei donabuntur. *Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quàm oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem.* Gratiam in hoc loco, secundum beatum Ambrosium, sapientiam debemus accipere, quæ Paulo gratis data est sine suis meritis in scientia veteris & noui testamenti, & in linguis omnium gentium. Dicit enim beatus Augustinus in quodam sermone suo. Diuinitus ita procuratum esse Apostolo, vt quia omnibus gentibus erat prædicaturus, maiorem sapientiam præ omnibus Apostolis haberet, vt omnibus philosophis gentium & simplicibus esset sufficiens. Vnde & Petrus in epistola
2. Pet. 3. sua laudat illum, dicens Sicut (inquit) frater noster Paulus prædicat in omnibus ecclesiis secundum sapientiam sibi à deo datam. Quod autem dicit, omnibus qui sunt inter vos, simpliciter potest intelligi, vt dicatur. Omnibus dico qui sunt inter vos, & altiori intellectu, vt illos alloquatur qui per fidem deo adhærebant, qui semper habet esse, Deus enim solus est, quia ipse substantialiter habet esse, sicut ad
Exod. 3. Moysen dicit. Ego sum qui sum. &, Ego sum deus Abrahã &c. Quicunque ergo illi adhærent, illi sunt, sicut & qui non adhærent, non sunt: ergo qui sunt dicit, id est, qui per fidem quæ per dilectionem operatur, deo copulantur. Et quid dico? Hoc vtique dico & præcipio, non plus sapere quàm oportet sapere, id est non superbire. Hoc dicit contra gentiles tumentes, qui insultabant Judæis tanquam ramis fractis. Plus enim quàm oportet sapit, qui propter alterius miseriam se extollit, cum potius humiliari debeat, ne & ipse cadat. Dicendum & propter eos qui sanam doctrinam non sectantes, quædam falsitatis dogmata componunt, quibus simplicium animos corrumpunt, non plus sapere quàm oportet sapere. Oportet denique vt viã præcedentium doctorum imitetur, & ingenium præsentium magistrorum, adimplens quod dicit sapientia, Ne transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui, sed sapere ad sobrietatem, id est, ad temperantiam. Sobrie nanque sapit, qui agnoscit quid, ipse sit, & sicut coram deo in Christo loquitur.

sto loquitur. Hoc præceptum transgressi sunt omnes hæretici. *& vnicuique*, subaudis, dico sic debere sapere, *sicut deus diuisit mensuram fidei.* In fide namque mensura est, quãtum ad nostram capacitatem attinet: quia alius plus, alius minus credit. Maiorẽ enim fidem habuerũt Apost. montes transferendo, quã nos habemus. Siue intelligitur hic mensura in donis fidei: quia habentibus fidẽ, alij datur sermo
2. Cor. 12. sapientiæ, alij sermo scientiæ, &c. Et huiusmodi mensura secundũ rationem fidei datur, quoniã non nisi fidem tenẽtibus tribuitur. Intelligitur & fides in ministeriis ecclesiasticis, quia secundũ modũ suum debẽt peragi, & non vltra licitũ vsurpari. Verbi gratia: Presbyter es, nõ vsurpes episcopi ministeriũ: diaconus es, noli tibi vẽdicare aliquid ex officio presbyteri. Sic de cæteris ministeriis & gradib⁹ intelligendũ est. *Sicut enim mẽbra multa habemus in vno corpore, omnia autem membra non eũdem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo.* Sicut in vno corpore multa membra vnum corpus faciunt, ita multitudo fidelium coniuncta per fidem & dilectionem capiti suo quod est Christus, vnũ corpus sunt cum illo. verùm mẽbra corporis nostri propria habent officia, vt oculi videndi, aures audiendi, & reliqua similiter. Et sicut vnũ membrũ alterius membri non vsurpat officium, sic vnusquisque nostrum non debet inuadere alterius ministerium. Et tamẽ sicut oculi vident toto corpori, & aures audiũt, & os loquitur: & manus cooperantur suo corpori: sic debent agere & spiritalia membra ecclesiæ. Oculi sunt, qui aliis ministrant spiritale lumen, sicut doctores. Aures, boni auditores, qui verba magistrorum humiliter audiunt. Nares, qui scientiam discernendi inter fœtores vitiorum, & odores virtutum obtinent. Os, qui alios erudiunt. Manus, qui aliis ministrant necessaria, sicut sunt eleemosynarij boni. Pedes, qui pro sanguine innoxio liberando, & ad infirmos visitandos currunt. Hæc sibi inuicem prospicere & ministrare debent. Quapropter & infert Apostolus: *singuli autem alter alterius membra*, quia vnusquisque iuxta gratiam sibi diuinitus collatam alios iuuare debet, vt sint sibi inuicem membra, & in spiritalibus, & in tẽporalibus. *habentes autem donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes.* In hoc loco defectus dictionis est. Quapropter necesse est vt subaudiatur aliquid ad comple-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem sensus. Dicatur itaque hoc modo: Sumus igitur nos habentes donationes secundū gratiam quæ data est nobis à deo, differentes, & abinuicem distantes, sicut & membra corporis. Verbi gratia. Oculus non est auris, nec auris oculus. Sic sunt in ecclesia qui sunt oculi, & nō sunt aures, sunt aures: & non sunt oculi, sunt doctores, sunt auditores, sunt eleemosynarij, & cæteri ordines, in quibus diuisa est gratia. Gratia dicitur gratis data, & quicquid habent fideles donorū & donationū, gratia dei est, quia sine suis meritis illud perceperūt: *siue prophetiā*, subaudis quis habet, *secundum rationem fidei*, habet illā, quia fides hoc promeruit. Si enim non credidissemus, prophetiæ spiritum nequaquam accepissemus. Legitur Agabus prophetasse post domini ascensionem, & quatuor filiæ Philippi. Ipsi etiam Apostoli prophetæ fuerunt, quia futura præmia electorū & pœnas reproborum prædicabant suis auditoribus. Alio modo prophetiā hic pro doctrina possumus accipere, vt sit sensus, Si ne prophetiam i. doctrinam quis habet, secūdum rationem fidei dispenset illam, nec plus sapiat quàm oportet sapere. Rationem autē fidei, veritatem catholicæ fidei dicit, secundum quam debet quilibet doctor dispensare prædicationem suā, ne fortè à veritate deuiet. *siue ministeriū*, subaudis quis habet, *in ministrando*, non plus sapiat quàm oportet sapere. In ministerio etenim gratis à deo sibi collato, nemo superbire debet, id est, non plus sapere quā oportet sapere. Habes quod ministres pauperibus & orphanis, noli superbire: quia gratis tibi à deo datum est. Potest & de ministerio ecclesiastico intelligi, de quo nemo debet superbire, licet sit episcopus, licet presbyter, aut pater monasterij constitutus: sed magis debet se humiliare, attēdens illud quod dicitur, Omnis qui se humiliat, exaltabitur: &, quanto magnus es, humilia te in omnibus. *siue qui docet in doctrina*, subaudis quæ illi à Deo gratis data est, non debet plus sapere quàm oportet sapere. Hæc autem doctrina in veteri & nouo testamento intelligitur. *Qui exhortatur, in exhortando*, subaudis non debet plus sapere quàm oportet sapere, quia non oportet inde superbire. Hoc autem animaduertendum hucusque subaudiendum esse à superioribus huius epistolæ, Non plus sapere quàm oportet sapere. Exhortatio ea species prædicationis & doctrinæ, & maxime ad dolen-

Actu.11.

Lucæ14.

& desperantem respicit. Verbi gratia: Sunt multi doctores qui sapientia diuinarum scripturarum pollentes, pariterque eloquentia verborum florentes, tota die alloquuntur populum, disputantes de rectitudine fidei, de appetitu virtutum, & execratione vitiorum, de felicitate perpetui regni, & perditione inferni: & protelato sermone pene vsque ad solis occubitum, exemplum consolationis lapsis minime proferunt. Interim verò dum audit aliquis ex circunstantibus pœnas inferni, quæ ab illis minantur his qui criminalibus delictis tenentur obnoxij, & recolit se aliquod facinus grauissimū perpetrasse, homicidiū videlicet, adulteriū, aut aliquid horū: ob immanitatē sceleris sui tristitia desperationis perfunditur, quia non audiuit verbū cōsolationis à prædicatoribus. quē si inuenerit quilibet simplex prędicator, statim percōtando perquirit ab eo cuius rei causa tristetur, mœstúsq; incedat, & cōperta causa consolatur illū verbis simplicibus, quibus valet, simúlq; hortatur ne desperet de venia salutis, dans pariter exēpla cōsolatoria, ac dicens, Quid in desperationis malū laberis? Considera (si vales) misericordias domini quātæ sint, de quibus Psalmista dicit: Misericordia domini super omnia opera eius. Nunquid Dauid nō erat rex & propheta, quando simul patrauit adulterium cum homicidio? & tamē veniam meruit? Nunquid Petrus postquam electus est à domino, nónne negauit illum ter dicens: Non noui illum? & tamen pius dominus postea præfecit illum Ecclesiæ suæ. Nunquid & latro non meruit audire, Hodie mecum eris in paradiso? Talibus verbis exhortaturus illum alloquens, qui in desperationem ruerat, in spē veniæ sistit. Ecce quomodo exhortatio species est prædicationis. *qui tribuit in simplicitate*, id est, qui eleemosynam pauperibus largitur, & doctrinā inscio, ideo faciat. vt deo & non hominibus placeat. & est subaudiendum, Ita qui tribuit, in simplicitate tribuat. *qui præest in solicitudine*, subaudis debet præesse, vt sibi commissos non negligat. Hæc solicitudo, id est magna cura, circa animas maxime debet esse, *qui miseretur*, subaudis pauperis, cibum esurienti porrigendo, & potum sitienti, vestimentum algenti, & tectum vaganti. *in hilaritate* & gaudio mentis hoc faciat, quia hilarem datorem diligit deus. Cum gaudio etenim mētis eleemosyna danda est, & mise-

Psal.33.

Matt.26.

Lucæ.23.

ricordia præstanda. Securus sit de mercede qui huic operi
insistit, quia qui parua tribuit ac téporalia, recepturus est
maxima præmia & æterna: quoniã eleemosyna quę pauperi largitur in terra, à domino recipitur in cœlo, sicut beatus
Ambrosius dicit. Ipse idémq; dicturus est electis in die iudicij: Quod enim vni ex his minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. At qui de mercede æternæ retributionis dubitat, non
hilaritate cordis eleemosynas nõ erogat. Nõ enim profert
quod porrigit, quia & hic amittit quod tribuit, & in futuro
præmiũ vel mercedẽ non recipiet. *Dilectio sine simulatione*,
iubaudis adimplenda est. Omnis dilectio quę secundũ deum
non est, & pro dei amore nõ agitur, simulatio & fictio vocanda est. Ideóque qui fratrẽ diligere dicitur, si non correxit eũ cum errare viderit, simulatã charitatẽ erga proximum
habere conuincitur. *odientes malum*, id est, diabolũ & membra illius, atq; omne peccatũ sitis odientes. Notandum autem, ꝙ odiũ hic in bonam partem accipiendũ, quoniam odium & odium malum quo odimus fratrem nostrum. *adhærentes bono*, id est deo, qui est summum bonum, & membris eius
atque iustitiæ, omnibúsque virtutibus. *charitatem fraternitatis inuicem diligentes*, id est, cum charitate fraternitatis
vos alterutrum diligentes, quia vnus est pater vester qui
in cœlis est. Omnes enim qui vnam fidem habent, & vno
baptismate sunt abluti, ita se inuicem diligere secundum
deum debent, veluti fratres ex vno matris vtero egressi.
honore inuicem prævenientes, id est, inuicem honorem vobis
impendite, prælati subiectis, subiecti prælatis, quia humilitatis virtus, etiam ethnicis placet, *solicitudine* non sitis pigri. id est, in cura subditorũ non sitis desides & torpentes,
ne fortè cum seruo inutili damnemini, qui ligatis manibus
& pedibus missus est in tenebras. Et non solùm qui præest,
verùm etiã omnis subiectus, studiosus & velox debet esse
ad omne opus bonum. *spiritu feruentes*, id est, calorem
feruorem spiritussancti habeatis, vel spiritu, id est, mente
non sitis tepidi in dilectione dei & proximi, ne forte audiatis: Quia nec frigidus es, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. De huius ignis feruore dicit dominus in
Lucæ 12. euangelio: Ignẽ veni mittere in terrã &c. *domino seruientes*,
non diuitiis, neque vitiis, siue delectationibus: illi dominum
seruiunt, qui eius præcepta seruant. *spe gaudentes*. Spes ea
exp-

expectatio futurorum bonorũ. Inde dicit Apostolus modo:
Spe siue expectatione præmiorũ cœlestiũ sitis gaudentes
etiam in angustiis. *in tribulatione* vobis illata à persecutoribus, *sitis patientes*, id est, in animositate non reluctantes, &
non requirentes præmiũ in præsenti. *orationi instantes*. quia
quod humanis auxiliis neq; nostris viribus obtinere & agere non possumus, necesse est vt orationibus à deo impetremus, sicut de Daniele & sociis eius legimus. *necessitatibus sanctorum communicantes*. Non dixit, sanctis eleemosynam prębete aut facite, sed honestiori verbo vsus est, vestra
bona sanctis participate. Eo tempore quo Apostolus ista
scribebat, credentes suis facultatibus priuabantur, vnde
laudando dicit in epistola ad Hebræos Iudæis credẽtibus, *Heb.10.*
Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.
Ideóque illos qui facultatibus propriis adhuc non erãt priuati, hortabatur Apostolus, vt expoliatis pro Christi nomine subsidia téporalia administrarẽt, illorũ indigentiam suã
putantes, bonis téporalibus cum eis in commune vtentes.
Dei etenim dona communia, non debent fieri priuata.
hospitalitatem sectantes, Non dixit, hospitales estote, vel hospitalitatem sequimini, sed dixit, hospitalitatem sectamini.
Plus enim dixit. Sequitur nãque hospitalitatẽ, qui rogantes
suscipit: sectatur verò, qui etiã non rogantes cogit & quærit, ne forte in vicis & plateis extra tectũ remaneant. Magna etenim virtus est hospitalitas, per quã multi placuerũt
deo, angelis hospitio susceptis, sicut Abraham & Loth &
alij multi. *Benedicite persequentibus vos*, id est, benedicite illos, & bene loquimini cum illis qui vobis vim inferunt.
benedicite & nolite maledicere, id est, malum dicere. Verbi
gratia: Detrahere alicui aut blasphemare, vel contumeliã
facere, maledicere est. Quasi dicat: Licet ipsi male loquantur de vobis, dicentes vos magos esse & discipulos seductoris hominis, nolite ideo illis maledicere, sed patienter
ferte illorum opprobria. Quod apostolus in semetipso implebat, hoc vtique suis auctoritibus implere præcipiebat.
Dicit enim alibi: Maledicimur, & benedicimus. *Gau-* *1.Cor.4.*
dete cum gaudentibus. Non præcipit gaudere cum his qui
gaudent de transitoriis & caducis rebus, sed cum his qui
gaudent quòd nomina eorum scripta sunt in cœlis. Neque
enim quibuscunque gaudiis Christianorũ gaudia sociauda

sunt:nec quibuscunque fletibus lachrymæ nostræ iungendæ sunt. Verbi gratia: Si videmus gaudere aliquos superquæstum pecuniæ,aut possessionum latitudine, non debemus congratulari illis,quia istorum gaudia luctus sequuntur & lachrymæ.Vnde dominus non solum de talibus, sed etiam de hoc admonuit Apostolos non esse gaudendum quòd dæmonia eis subiecta erant,sed potius de hoc quòd nomina eorũ scripta essent in cœlo. & est sensus: Si videritis hominem digna opera agentem, quæ merentur scribi in cœlis,de illius salute congaudete. *flere cum flentibus* curate non cum his qui lugent & deflent amissionem rerum temporalium,sed potius cum his qui sua aut proximorum deflent peccata,sicut Samuel deflebat Saul, eo quòd recessisset dominus ab eo:& Paulus multos Corinthiorũ, qui poenitentiam non egerant pœnitentiam. Siue etiam cum his lugere præcipit,qui lugent quòd differtur regnũ cœlorum,securi iam de præmio.de quibus omnibus dominus dicit:Beati qui lugent,quoniam ipsi consolabuntur. *Matt.5.* *idipsum inuicem sentientes.*Hic sermo apertius habetur in Græco,ubi autem sensus,Sic sentite de alio,sicut de vobis,id est, sicut vobis bona optatis,sic & aliis:& sicut vosipsos diligitis, sic alios diligite : vel ita æstimate vos diligi à fratre, velut vobismetipsis. *non alta sentientes*,id est,superba, *sed humilibus consentientes*, vt & vos humiles exhibeatis. Discite a me,inquit dominus,quia mitis sum & humilis corde.Humilibus autem consentit,qui cum humilibus se humiliat, non præferens se illis,sed socians & expectans quod dominus promisit,Omnis qui se humiliat, exaltabitur. Quicunque enim humilitatem veram habent, vtique eandem humilitatem in aliis venerantur. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Apud se prudens est, & non apud deum, qui sapientiam quam habet, non authori omnis sapientiæ putat, sed sibi susque meritis & ingeniis siue studiis suis. Quo vitio deprehenduntur laborasse philosophi gentium de quibus dicit idem Apostolus in exordio huius epistolæ:Qui cum cognouissent deum, non sicut deum glorificauerũt,sed euanuerunt in cogitationibus suis, id est vani facti sunt,non referẽtes deo gratias de collato sibi dono suis meritis. Aliter:Apud se sapiens vel prudens est, qui non sit stultus,sapientẽ se putat esse,& gloriatur in se:quia *Luc. 14.* *Sup.1.*

rat scire quod nescit.Vel etiam tertio modo:Prudẽs apud se esse dicitur,qui vindictam expetendo, suas iniurias vlciscitur, quod sequens versus indicat:*nulli malum pro malo reddentes.* Multi putant non esse peccatum, si quis accepta iniuria se vlciscitur,& vindictam iterum sumit.Quod si ita esset,nequaquam Apostolus tale præciperet : ac propterea dicunt aliqui etiam plerumque maius esse delictum,si malum quis pro malo reddiderit:quoniam potest fieri, vt qui prius malum intulit,quod peccatum aut malum esse ignorauerit : ille verò qui vindictam expetit, & vicem reddit, quod malum fuerit,statim ostendit.Vnde potest ita intelligi,quòd malum inferre alteri culpa est:reddere verò malum pro malo peccatum est.Et dum dicit Apostolus, Nulli malum esse reddendum, fidelem qui videtur esse & infidelem tangit. Fidelẽ ideo,quia frater est: & infidelẽ,vt lucrari possit, *Prouidentes bona non solum coram deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Coram deo bona sibi prouidet, qui intimo corde ei qui secreta intuetur placere studet, & illum non cogitatione, non verbo, non opere vult offendere, nec offendit quantum valet. Prouidet & coram omnibus hominibus bona, qui verbo & moribus, omnique conuersatione in omni vita sua pro viribus suis, inquantum valet, irreprehensibilem se præbet. *Si fieri potest quod in vobis est*, id est, quod vestræ congruit religioni, *cum omnibus hominibus pacem habentes.* Rem difficilem dicturus præmisit dicens, Si fieri potest, quia vix aut nullatenus fieri potest, vt pax cum omnibus hominibus seruetur. Nam si paganum increpaueris, téque contempserit, non vult tecum habere pacem. Similiter de Iudæo intelligendum atque hæretico. Dicamus & aliter: Et quilibet prælatus increpat subiectos delinquentes. Dum enim eis displicet increpatio prælati, pacem cum illis habere non potest. Et cum ita sit, vnusquisque animum suum seruet pacatum & quietum,habẽs in se cum illis pacem,diligendo eos:quia dominus omnium anthor est,licet vitiis se ab illo separent. Hoc loco & in sequentibus prohibet contentiones & lites, quibus maxime pax violatur. *Non vosmetipsos defendentes, charissimi.* Hoc dupliciter est intelligendum: vno modo de aduersariis nostris, hæreticis videlicet,falsis fratribus,qui in nos plerunq; sæuiũt:de

quibus non debemus nos defendere, vindictam expetendo. Alio verò modo, vt si fuerit quis infidelium contra nos excitatus pro nomine Christi, aut causa alicuius iurgij verbis contradictoriis (prout ratio dictat) parcamus, vt mansueti & humiles appareamus, imitantes dominum qui pauca coram Pilato respondit. *Sed date locum iræ.* Duobus modis locum damus iræ: vel cum refrenamus animum ne vindictam expetamus, vel cum de loco ad locum fugimus. Date (inquit) locum iræ, id est, eos qui contra vos irati sæuiunt, permittite vobis nocere, quia patientia vestra remunerabitur, & eorum sæuitia punietur. Vel date locum iræ, id est, nolite vos vindicare, sed fugite de loco ad locum, iuxta quod dominus præcipit dicens: Si vos fuerint *Matt.19.* persecuti in ciuitate vna, fugite in aliam. Quod autem addit, Date locum iræ, hæc ira vel illius intelligitur qui sæuit vel futuri iudicis, qui in sequentibus loquitur per exemplum propheticum. *Scriptum est enim. Mihi vindictam* subaudis reseruate, & ego retribuam vobis, qui patienter tribulatis, præmia & coronam. & illis qui malum intulerunt vindictam pœnarum gehennæ. Quia enim homo in vindicta modum excedit, nec potest se vindicare cum tranquillitate mentis, ideirco omnipotens deus præcipit sibi vindictam reseruari, vt ipse qui immutabilis est, iudicet illos. & qui non mouetur ad iram, iuxta quod ei eximius *Sap.11.* orator Salomon dicit: Tu autem domine cum tranquillitate iudicas omnia. Huius etenim iudicis iustum est iudicia quoniam non excedit modum: nec perturbatur in suo iudicio. *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.* Si hoc feceris, tunc pro malo reddes bona, & accipies magna præmia. *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Carbones ignis appellat in hoc loco feruorem charitatis dei & proximi. de quo feruore dominus dicit: *Lucæ.12.* Ignem veni mittere in terram. Si hęc feceris (inquit) quæ superius diximus, cibum videlicet & potum inimico ministrando, carbones ignis, id est, ardorem charitatis pones super caput eius, id est, super mentem eius, quatenus tuis beneficiis delectatus, incipiat diligere eum quem antea exosum habebat, intantum vt dicat: Quid est quod hactenus egi contra hunc virum? cur ei tanta mala intuli, qui mihi tot bona contulit? sine causa ergo infestus ei extiti. Quapropter quia tam benigne & patienter erga me agit, incipiam illum diligere vt charissimum fratrem, quem hactenus persequebar vt hostem. Si autem cibum & potum tribuit, ideirco hoc fecerit, iuxta quod quidam voluerunt intelligere, vt carbones ignis, id est, pœnā inferni ei præparet, dum eius beneficiis honoratus cum non dilexerit, iam hoc non est charitas, ideóque melius est ita intelligi, vt supra diximus in primo, de ardore charitatis. Quod verò dicit, super caput, recte per caput mens, id est, rationabilitas ac principalitas animæ accipitur: quia sicut omnia membra reguntur à capite, ita cogitationes & volũtates mente disponuntur. *Noli vinci à malo.* Noli (inquit) vinci à malo, id est, ab aliquo vitio, non ab ira, non ab odio, non ab iniustitia. Siue noli vinci à malo, id est, diabolo. à quo vinceris, dum contra inimicum tuum iracundia accenderis, quia ad suam voluntatem te trahit. Aliter: Si tuas iniurias vlcisci volueris, à malo vinceris: quia ei qui tibi malum fecit, similis efficeris. Quandocunq; enim diabolo, vel vitio alicui obedimus, vincimur ab illo. Dum malum pro malo reddimus, ab illo vincimur, qui nobis iniuriam fecit, & cui vicem reddimus, quia nos similes sibi facit. Si autem commotum animum refrenamus, vt vindictã proximo nõ inferamus, tunc victores existimus, & de peccato ad salutem acquirendo fratrẽ, triumphamus. *Sed vince in bono malum.* Vince in bono malum, id est, in deo diabolum. Vince in bono malum, in patientia supera inimicum & aduersarium tuum, præbendo ei cibum & potum, vestimentum & calcamentum. Dum enim tuis beneficiis provocas illum ad hoc, vt te incipiat diligere eo modo quo superius diximus, quodammodo superas illum. Vel vince in bono malum, id est, in virtutibus vince & supera vitia & peccata, accipiendo ex eis palmam victoriæ.

CAPVT XIII.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.

O In exordio sanctæ ecclesiæ ex omnibus conditionibus veniebant ad fidem, & ne serui, ancillæ, seu quilibet subiecti dicerent q̃ ipsi qui cõsecuti erãt libertatem omnium peccatorum, & filij dei effecti, indignum esset vt seruirent secuti potestatibus, dixit Apostolus: Omnis anima, id est omnis

homo liber & seruus, fidelis & infidelis, potestatibus sublimioribus subditus sit. Omnis anima dicit, pro eo quod est omnis homo. In sacra enim scriptura, frequenter sola anima totum hominem significat, sicut hic, & in Genesi, vbi dicitur, Quòd ingressus est Iacob in Aegyptum in animabus septuaginta, & in Actibus apostolorum, Eramus (inquit) in naui animæ ducentæ septuaginta quinque. Potestatibus sublimioribus dicit, regibus & principibus, tribunis, centurionibus, dominis, omnibúsque prælatis. Hoc & Petrus præcipit: Subditi (inquiens) estote omni humanæ creaturæ, id est omnibus hominibus, vobis præpositis, & hoc propter deum, siue propter amorem domini. Inquantum quippe homo non offendit deum, obsequi & obedire debet celsioribus. Nam homo constat ex anima & corpore. Et in anima quidem debet seruare inuiolatam fidem deo, in corpore verò debet seruire sibi dominantibus secundum seruitutem præsentis vitæ. verùm si contra fidei propositum viderit sibi imperari à principibus huius seculi, siue potestatibus, vel dominis, tũc pro fide vsq; ad mortem satagat laborare, ne quod maius est, animam videlicet perdat: quoniam licet illa potestas interficiat corpus gladio, animam autem non potest occidere. *Non est enim potestas, nisi à deo.* Omnis potestas, siue maior, siue minor, quæ hominibus præstatur: aut ex voluntate dei, aut ex permissione constituta est, sicut dicitur per Salomonem: Per me reges regnant, & principes decernunt iustitiam. Si autem quæramus, quare hæ potestates ordinatæ sint: id dicendum, quòd genus humanum bestiale effectum, beluino more contra se cœpit sæuire, intantum, vt primi parentis filius in fratrem consurgens, interfecerit eum. Bestiarum enim est & homines discerpere, & se inuicem lacerare atque deuorare. Verbi gratia: Leo deuorat hominem & vrsum, vrsus & lupus deuorant homines, boues & oues. Hac de causa omnipotens deus bestialibus hominibus principes præposuit, vt eorum terrore acerbitas animorum illorum reprimeretur. Sunt etiam pisces alios deglutientes, quos imitantur homines in alios sæuientes, quorum temeritas principum formidine sedata est. *Quæ autem sunt*, subaudis potestates super alios, à deo ordinatæ, siue quæ sunt iura potestatum, *à deo ordinata sunt.*

Gene. 2.
Actu. 27.
1. Pet. 2.
Prou. 8.

Potestates

Potestates etenim vel iura potestatũ quæ in mundo principantur, à deo constituta sunt, sicut iam supra diximus. Vnde dominus dixit Pilato: Nõ haberes in me potestatẽ, nisi tibi datũ esset desuper. Quibus verbis indicatur, quòd siue bona potestas, vt Dauid, seu mala fuerit, vt Nero, non est nisi aut volente aut permittente deo. Hoc autem totum idcirco prosequitur Apostolus, vt potestatibus subditi sint, quia nonnulli (sicut iam diximus) ad fidem venientes, primum obsequium & seruitiũ, quasi liberi effecti, dominis & principibus suis nolebant reddere, cum dominus Iesus non venerit conditiones mutare, sed animas inæternum victuras saluare. Dicebant enim Romani credentes: Nos qui diuinis legibus paremus, & deo seruimus, nõ debemus seruire neq; honorem præbere Neroni, aliísque potestatibus terrenis. Quapropter Apostolus talia scripsit eis. Poterat nanq; scandalum nasci dominis & principibus, si serui & subiecti eorum Christiani effecti, à seruitio illorum efficerentur alieni. Noceret quoque ecclesiæ, dum nõ permitterentur alij credere, cum magis meliores debeant domini seruos suos recipere, fideles Christi effectos. Hoc & ipsa veritas per semetipsam præcipit, dicens: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt dei, deo. *Itaque quire sistit potestati, dei ordinationi resistit.* Siue bona sit illa potestas, seu mala, quicunque ei resistit, subtrahendo seruitium ab ea, denegando tributum, & honorem non præbendo, quẽ ei debet præbere, dei ordinationi resistit & dispositioni, cuius ordinatione illi principantur. Quidam male sentientes, has potestates interpretati sunt dæmones, de quibus in epistola ad Ephesios dicitur, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates. Sed iste sensus valde est superfluus, quia in nullo debemus subdi dæmonibus. *Qui autem resistunt* potestatibus, regibus videlicet, & principibus, & dominis suis, *ipsi sibi damnationem acquirunt.* Pro qualitate enim culpæ acquirunt sibi vindictã, quia iratæ illæ potestates dum subditi eis parere contemnunt, aut occidunt eos, aut in carcerem mittunt, aut etiam in exilium dirigunt. Si quæsierit aliquis, cur dominus dãnauerit seruum, aut princeps subiectum, respondeo, resistebat mihi, & idcirco vindictam accepi ex illo. Considerandum autem, quia nõ de damnatio-

ne aeterna loquitur Apost. sed de corporali, eo modo quo e
ctum est. *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali*
id est, non sunt ad hoc constituti vt timorem incutiant bo
ne laborantibus, & bono operi insistentibus, sed male fa
cientibus. & seruire nolentibus. Nam ad hoc sunt constitu
ti, vt bene laborantes laudent & adiuuent, male verò fa
cientes dānent. Sed si quis bonum facit, non timet potes
tem, qui verò malum, timet ab ea damnari. vnde subdit
Apo. *Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habe*
bis laudem ex illa. Non dicit, laudabit te illa potestas, quia
multæ potestates sunt, quæ in subditis magis malum quā
bonum diligunt: sed, habebis laudem ex illa potestate, id
est, ipsa erit occasio vt laude dignus sis: quia si tuo exemplo
ad fidem vel, iustitiæ opera fuerit perducta, laudaberis tam
ab illa, quàm etiam ab illis, & apud deum quoque laude di
gnus eris. Aliter. si potestas illa vsque ad mortem pœnis
afflixerit, aut in aliquo contraria extiterit: tu quoque legi
time decertando mortem aut aliquam iniuriam patienter
pertuleris, habebis ex illa laudem, id est, ipsa præbebit oc
casionem vt tu laueris: quia percipies pro persecutione
eius tibi irrogatis perpetuam beatitudinem, & laudabere
apud deum & hominem. Consideremus Laurentium, qui
pro Christi nomine acerrime est vsus. Non fuisset laudi
dignus perfecte inuentus, nisi à suo persecutore fuisset vsus:
ideóque ipsa potestas fuit occasio laudis eius. Sic de cæte
ris sanctis martyribus est intelligendum, & de omnibus
qui iniuste damnantur. *Dei enim minister est tibi in bonum.*
Dei enim minister est, id est, à deo constitutus est ad bo
num, vt suo timore & adiutorio custodiat & tueatur te, ne
interficiaris ab inimico tuo, & tuam substantiam non diri
piant alij. Aliter, Sunt multi qui nolunt agere malum,
sed timent potestatem mundanam: & causa huius time
ris non percipiunt quod cupiunt. Ergo ad bonum illorum
ne faciant malum, potestates illæ præpositæ sunt, quia eo
amplius homo malum facit, eo amplius pœnas sustinebit
maiores. *Si autem male feceris, time.* id est non leue feras po
testatem timere: poterit enim te damnare inuenta occasio
ne. *Non enim sine causa gladium portat.* Per gladium intel
ligitur vindicta. Non sine causa gladium portat, id est, non
sine causa vleiscendi potestatem habet. Sunt nempe quæ
enormia

enormia flagitia, quæ potius per mundi iudices, quàm per
antistites & rectores ecclesiarum iudicantur, sicut cum quis
interficit pontificem apostolicum, episcopum, siue presby-
terum, siue dyaconum. Huiusmodi reos reges & principes
mundi damnant. Ergo non sine causa gladium portat, qui
talia scelera iudicat. Sunt etiam maxime constituti propter
latrones, homicidas, raptores, vt illos damnent, & alios suo
timore compescere faciant. Vnde subditur, *Dei enim minis-*
ter est, vindex in iram id est, in vindictam *ei qui malum facit.*
Ideóque necessitati subditi estote. Hoc est, quia illi vobis dei
ministri sunt in bonum, obedite illis, vt cum eis pacem ha-
bere possitis. vel necessitati subditi estote, quia vleiscentur
se de vobis, si eorum potestati cōtradixeritis. Ad hoc enim
à deo est præpositus, vt benefacientes iustéq; viuentes sua
protectione muniendo defendat, vindictam verò inferat
peccantibus, sibique resistentibus. Quapropter subditur:
non solum propter iram, siue vindictam qua consurgēt in vos,
sed & propter conscientiam id est, propter mentem quam de-
betis habere mundam in dilectione eius cui subditi estis,
maxime propter hoc quia à deo constitutus est, cuius ordi-
nationi reluctari non debetis verbi gratia: Es subditus illi
timens damnum temporale dum seruis ad oculum, esto sub
ditus propter conscientiam mentis, vt in ipsa conscientia
quam dominus intuetur, non habeas illum odio cui præstas
obsequium, sed tua mens perhibeat tibi testimoniū, quòd
ex corde diligas illum *Ideo enim & tributa præstatis.* Sub-
audis quia à deo præpositi sunt vobis, vel quia defendunt
vos ab hostibus, & suo timore constringunt inimicos ve-
stros, ne interficiamini ab illis. neque vestra bona diripiāt,
vel etiam ne in vos suam vindictam exerceant si in aliquo
rebelles fueritis, & eorum iram patiamini, sicut passi sunt
Iudæi, qui noluerunt Romanis tributum dare. vnde & se-
quitur. *Ministri enim dei sunt, in hoc ipsum seruientes.* sub-
audis vt vos defendant, reos puniant, tributum à vobis re-
cipiant. Sic & Ioannes Baptista, militibus quærētibus quid
agere deberent, respondit: Neminem concutiatis, neminī calumniam faciatis: sed contenti estote stipendiis ve-
stris. Vbi notandum est, quia non dixit, Nolite militare,
quia milites à deo constituuntur, vt ab eis patrie sibi com-
missæ tueantur. *Reddite ergo omnibus debita*, id est, cōsuetum

Luc. 3

obsequium: sicut dominus ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. & quæ sunt Dei, deo. *cui tributum* debetis reddere, reddite ei *tributum*, sicut & ipse conditor pro se & Petro didrachma. Tributum dicitur à tribunis, & tributi à tribus. Siquidem Romulus conditor & author Romæ, in tres partes populum sibi subiectum diuisit rationabili distributione, in senatores videlicet, qui & consules vocabatur, in milites, & agricolas: & vnicuique parti principem vnum constituit, qui tribunus diecbatur, eo qvni ex tribus partibus præesset. Census verò qui à subditis exigebatur *cui vectigal, vectigal.* Vectigal est tributu fiscale, & dicitur à vehendo, eo quòd accipiatur de vectis, id est, de eportatis mercibus. *cui timorem, timorem*, debetis, vt dominis, reddite illi. *cui honorem, honorem* debetis, reddite illi, non solum conquiescendo & humiliamdo, sed etiam munera dando. *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Sic omnibus seruitutis vestræ obsequia & debita reddite, vt nemini quicquam pro quo vobis irascatur, debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Reddite debitum & obsequium, quod omnibus potestatibus & principibus persoluere debetis, id est eos qui vobis præpositi sunt, diligere debetis. Hoc debitum charitatis quandiu in præsenti seculo viuitur, debetur, in futuro quoque sine pondere plenius firmabitur, *Qui enim dilexit proximum, legem impleuit.* Proximus iste non tantum propinquus cognatione aut aliqua affinitate, sed etiam omnis homo intelligitur, quem diligendo, legem Moysi implemus, quia quod Moyses prohibet per legem, *Non occides, non adulterabis, & cætera talia*, si dilectionem habemus, contra proximum non agemus. Si enim proximum diligis tanquam teipsum, non occides illum, quia non vis occidi. non polues vxorem eius, quia ab illo adulterari non vis, sic de cæteris intelligendum est. Et vt abundet iustitia nostra super iustitiam scribarum & pharisæorum cæterorúmque Iudæorum, inimicos etiam nostros debemus diligere propter dei amorem: & licet ab illis persecutionem sustineamus, non tamen debemus diligere & amare in illis vitia, sed naturam, adimplentes quod veritas præcipit.

Luc. 6. Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus vos. Sed quæritur cum dominus dicat in dilectione dei & proximi totam legem consistere, quare dicat Apostolus in sola

Mat. 22.

Mat. 17.

in sola dilectione proximi legem impleri. quod hoc modo soluitur, quia in dilectione proximi cõsistit & dilectio dei. Neque enim proximus sine deo, nec deus sine proximo potest diligi. Vel ideo etiam in dilectione proximi totam legem impleri, quia in dilectione dei non sic facile possumus probari, vtrum deum diligamus an non, sicut in dilectione proximi. Verbi gratia: Dum malum pro malo non reddo, dum peccanti in me fratri dimitto, cum colligo vagum ad hospitium, dum hilari mente & vultu eleemosynam impendere satago, dum oro pro persequentibus, apparet vtique in his & talibus, quia diligo proximum: & dum diligo proximum, ostendo me diligere & deũ, cuius mandatis obtẽpero. Hoc enim mãdatum habemus à deo, vt qui diligit deũ, diligat proximũ suum: quia per dilectionẽ proximi peruenitur ad dilectionẽ dei, & per dilectionẽ dei ad proximi dilectionẽ peruenitur. Quãuis enim dilectio dei maior sit dignitate, tamẽ dilectio proximi prior erit in operatione. Qui enim nõ diligit fratrem suum, inquit Ioannes, quem videt, deum quem non videt, quomodo potest diligere? Intelligamus & per proximum, illum Samaritanum qui fecit misericordiam cũ saucio vulnerato à latronibus, id Christum, qui nobis est factus proximus per assumptionem carnis. Ergo qui hunc diligit, legem charitatis adimplet, & legem Moysi, quia nihil contra voluntatẽ eius facit. *& si quod est aliud mandatum*, subaudis præter ista quæ enumerauimus, de adulterio videlicet, homicidio, fornicatione, falso testimonio, & concupiscentia, *in hoc verbo*, id est dilectione Christi, *instauratur*, id est redintegratur, vel adimpletur. *Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur.* Non solum non operatur, verum etiam malum non cogitat de proximo. *Plenitudo ergo legis* Mosaicæ atque euangelij *dilectio est* dei & proximi. Vbi charitas est, quid est quod possit deesse? & vbi charitas non est, quid potest prodesse? Quapropter appetenda est dilectio dei & proximi, & summis viribus tenenda. Nam dilectio dicitur eo quòd duos liget, deum videlicet & hominem coniungat, vel vnumquemque proximum cum alio. *Hoc scientes, quia hora est iam nos de somno surgere.* Mos est sacræ scripturæ, horam sæpissime pro tempore ponere, sicut & diem. Quæ est ergo ista hora, de qua

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apo. loquitur tempus est non legis, sed euangelicæ prædi-
cationis, vltima videlicet ætas, finisque seculi, in qua sumus
iam positi, de quo idem Apo. aliàs dicit: Ecce nunc tempus
acceptabile. Dicit Apost. Romanis & omnibus credẽtibus,
etiam necdum credentibus, Hoc scientes, inquiens, id est
hoc scimus scientes, quia hora est siue tempus, iam nos de
somno pigritiæ & desidiæ surgere, de somno quoque infi-
delitatis & vitiorum atque ignorantiæ. De hoc somno præ-
cipit etiam nos propheta expergisci, dicens: Expergisci-
mini ebrij. Et quare dicit, iam tempus est surgere? Ille sur-
Iohe. 1. git, qui iacebat, & nos si hactenus iacuimus in vitiis & tor-
pore vitiorum, surgamus ad bona opera agenda, & labo-
remus viriliter studiosèque. Poterat aliquis obiicere Pau-
lo: cur præcipis nos iam de somno surgere? ad hæc ille red-
dens causam: *Nunc enim* (inquit) *propior est nostra salus, quàm*
cum credidimus. Quæ est ista salus? Vita æterna, gaudium
sine fine mansurum, beatitudo perpetua, quam soli electi
cum angelis possessuri sunt. ista beatitudo & salus æterna
propior est modo nobis, quàm eo tempore, quando credi-
dimus: quoniam dum finis mundi magis ac magis appro-
pinquat, vita futura & salus æterna magis ac magis festi-
nat. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Nox est ex-
citas infidelitatis, nox est ignorantia, nox est etiam con-
uersatio tenebrosa in peccatis. Ista nox quotidie præcedit
in electis, & ad vitam æternam prædestinatis appropin-
quat dies, illuminatio videlicet fidei, cognitio sanctæ tri-
nitatis, & splendor virtutum: quoniam dum transeunt quo-
tidie per mortem corporis ab ærumnis huius seculi, in lu-
cem supernæ claritatis colliguntur: vel etiam per noctem
possumus intelligere omne spatium præsentis vitæ vsque
ad finem seculi. Per diem verò, vitam æternam, cuius cla-
ritatis cõparatione vita præsens non incongrue nox ap-
pellatur: quia vita præsens semper in dolore versatur &
tristitia, non habens perpetuitatem. Illa verò gaudiis sine
fine mansuris florebit, nihil tristitiæ admittens: quæ tunc
plenissime manifestabitur, cum dominus de iudicio in re-
gnum transierit. Ergo quia iam appropinquat, *Abiicia-*
mus opera tenebrarum. id est adulterium, homicidium,
fornicationem, & cætera talia, quæ à regno cælorum
separant, & ad tenebras perpetuas operatorem suum tra-
hunt.

hunt. Quæ etiam merito opera tenebrarum vocantur, eo
quòd in tenebris permaxime exerceantur, iuxta quod do-
minus manifestat dicens: Omnis qui facit malum, odit lu- Ioan. 3.
cem. *& induamur arma lucis.* Arma lucis sunt, fides, spes,
charitas, pax, patientia, & cæteræ virtutes, quæ nos ad lu-
cem æternæ beatitudinis perducunt: quæ non immerito
arma appellantur, quia nos defendunt ab improbitate
malorum spirituum. Abiicimus ergo opera tenebrarum,
quando expoliamur vitiis, & induimur virtutibus. Indua-
mur igitur arma lucis. hoc est, vndique muniamus nos o-
mnibus virtutibus, vt simus protecti & tuti contra aduer-
sa diaboli. Et quomodo debeamus illa arma indui, & his
virtutibus exornari, Apostolus declarat, subnectens: *sic,*
id est tali modo induimini arma lucis, *vt in die*, hoc est in
claritate virtutum. *Honeste ambulemus.* Qui in die ambu-
lat, honeste ambulat, quia non offendit pedem suum ad la-
pidem, non cadit, non impingit, sicut ille qui in nocte am-
bulat. Nos autem secundum hoc monitum Apostoli, ho-
neste & sine offensione fidei & gratiæ siue scientiæ ambu-
lare debemus. *Non in comessationibus.* Comessatio di-
citur mensæ collatio, siue mensæ alternatio. Sunt enim
conuiuia, quæ celebrantur alternatim, & præparantur
à sociis per dies & vices. Sunt etiam alia conuiuia, quæ
ex communione præparantur, quando vnus affert pa-
nem, alius carnes, alius vinum, atque alius aliud, & idcir-
co comessationes, hoc est, mensæ collationes appellan-
tur. Vocantur quoque eædem comessationes turpia & in-
honesta conuiuia, quia sicut omnes propriis cibis vtun-
tur & communibus, ita etiam pro libitu suo vnusquisque
quicquid scurrilitatis & otiositatis sibi placet, loquitur.
Non in ebrietatibus. Briam genere masculino dicimus cali-
cem aptum potationi, à quo dicitur ebrietas, quæ est ni-
mia potatio vini. *Non in cubilibus.* Cubilia proprie sunt le-
cti, siue lustra ferarum, dicta à fœdis cubitationibus, qui-
bus assimilantur lecti illorum, qui cum meretricibus in lu-
panaribus coëunt. *Et impudicitiis.* Impudicitia est inuere-
cundia & irreligiositas siue turpis atque irrationabilis
coitus. Generaliter omnis libido & incontinentia vel im-
munditia impudicitia appellatur, Operatores verò dicun-
tur impudici, inuerecundi, atq; irreligiosi. *Nõ in contẽtione.*

Contentio est altercatio siue controuersia, quæ plerunque ex quæstionibus scripturarum solet oriri, vt videatur quis aliquid sapientiæ habere, dum alium vicerit sua pulsatione, & maxime ex re nullius vtilitatis nascitur. Ideo vero vitanda est, quia rixam generat, de qua procedit odium & de odio enormitas mali: *& æmulatione.* æmulatio varias habet significationes. Significat enim imitationem, significat studium, significat & inuidiam, qua quis alterius fœlicitate torquetur, vt in hoc loco. Vnde & æmulus dicitur imitator, dicitur studiosus, & inuidus. *Sed induimini dominum Iesum Christum.* Sensus ex superioribus pendet, vbi præcipit sic indui arma lucis, vt in die honeste ambulemus. Nolite (inquit) ambulare, id est viuere in comestionibus & reliquis vitiis, sed induimini dominum Iesum Christum. Sed quæstio oritur, quomodo possimus induere dominum Iesum Christum, qui quadragesimo die resurrectionis suæ cœlorum altitudinem penetrauit, vbi sedere nunc creditur in plenitudine paternæ maiestatis. Christus ergo ipse est sapientia, ipse est iustitia, ipse est pax, & reliquæ virtutes in ipso sunt. Christum itaque induit, qui omnes virtutes quas scit in illo esse, tantum quantum valet cum dei adiutorio illas assumit, iuxta quod aliàs Apostolus dicit. Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis, id est, omnes virtutes tunc induistis, quia ab omnibus peccatis mundati estis. Similiter & in hoc loco intelligendum est, Induimini (inquit) dominum Iesum Christum, id est omnes virtutes quas scitis in ipso esse, vt ipse sit decus atque ornamentum vestrum, *& carnis curam ne feceritis in desideriis.* Non ait necessitatem carnis non feceritis, quia necesse est vt manducemus, bibamus, dormiamus, vestiamur. Hoc quia necessarium est, non prohibuit, sed carnis curam in desideriis, id est malum, vt potè adulterium, crapulam, ebrietatem, vsum quoque balnearum vltra quàm expediat, & cætera quæ desiderat misera caro, ne perficiatis ait: & non dixit, ne cogitetis, quoniam impossibile est cessare penitus à cogitatione delectationum. Sed hoc considerandum, quia quod prohibuit in desideriis, concessit in necessitate. Adhibenda est enim cura carni in necessitatibus, in deliciis verò & luxuria atque omni concupiscentia penitus excludenda.

CAPVT

CAPVT XIIII.

INfirmum autem in fide assumite. subaudis in affectum charitatis. Nō *in disceptationibus cogitationum*, id est non in diiudicationibus siue in contentionibus. Infirmus est in fide qui in aliqua parte fidei dubitat, nec credit perfecte sicut credendum est. Infidelis est in toto qui nihil fidei habet. Firmus autē est in fide existens, qui in ea nihil dubitat. Ergo infirmus est in fide Iudæus, qui nouiter ad fidem veniens, non putat omnes cibos mundos: firmus verò in fide est gentilis, qui illud seruat euāgelij, Quod in os intrat, nō coinquinat hominem: & illud Apostoli, Omnia munda mūdis: & in Genesi, vidit deus cuncta quæ fecerat, & erāt valde bona. Qui taliter sunt firmi in fide, debent assumere in affectum charitatis & in dilectionem suam Iudæum, qui putat suillam carnem, leporinam, aquilinam, immundam esse, & cætera à quibus lex prohibet, & quæ ille ante gratiam fidei quasi communia, id est, munda dicebat. Istum tamen præcipit Apostolus assumere in dilectionem. Assumite (inquit) illum talem Iudæum in affectū charitatis, & nolite diiudicare illum in cogitationibus vestris, neque contendatis cum illo, licet quædā immunda putans, nolit manducare. *Alius enim credit se manducare omnia.* Alius, id est gentilis firmus in fide, credit omnia munda esse mundis hominibus. *Qui autem infirmus est, holus manducet.* Iudæus infirmus in fide, qui quasdam carnes abominatur, dum non vult eas comedere, holus, id est herbam hortorum, & quicquid cordi eius placet, hoc sumat. Tu autem noli illum diiudicare. Per holus, omnia genera herbarum designantur, apta comestioni. Dicit Beatus Hieronymus: Qui infirmus est impetu libidinis, abstineat à carnibus & vino, quibus libido excitatur: & holus manducet, id est viles cibos & aridos (quibus frenatur & restringitur fluxus libidinis) edere discat. Crassitudo enim carnium & delitiosæ epulæ prouocant carnem corporis ad libidinem. *Is*, id est gentilis, *qui manducat*, indifferenter omnes cibos, *non manducantem* Iudæum *non spernat* in animo suo, quasi minus iustum: *& qui non manducat* omnia, vt Iudæus, *manducantem* omnia, gen-

Matt. 15. Tit. 1. Gene. 1.

tilem videlicet, *non iudicet*, neque reprehendat, quasi reum & peccatorem. Vtrosque enim, Iudæos & gentiles, alternis instruit sententiis. Potest & spiritaliter intelligi secundum beatum Gregorium: Qui manducat, inquit, id est, qui meditando & scrutando sacram scripturam penetrare valet, non manducantem, id est illum qui non valet penetrare, non despiciat neque spernat. E contra qui non manducat, id est, qui non intelligit nec valet penetrare profunditatem diuinarum scripturarū, illum qui intelligit & sapiēs est, non contristet neque despiciat. *Deus enim illum*, subaudis gentilem manducantem omnia, *assumpsit* ad fidem suā quem perfecte docuit, vt nil putet immundum esse mundis hominibus. *Tu quis es qui iudicas alienum seruum?* Et est sensus. Si deus illum gentilem assumpsit ad fidem suam, vt omnia manducet, tu quis es, qui illum de comestione sua reprehendis? Potest tamen & hæc sententia ad Iudæum in fide assumptum referri, secundum quod sequentia manifestant, vt dicatur: Deus assumpsit Iudæum ad fidem suam, licet ille quædā immunda adhuc putet & reiiciat, tu quis es ò gentilis fidelis, qui iudicas alienum seruum? Iudæum scilicet seruum Christi per fidem? *Suo domino stat*, subaudis si perfectus est in fide, *aut cadit* domino suo, si in ea dubitat. Domino suo stat Iudæus, si perfectus est, & si omnia credit munda, quia in fide domini sui stat. Si autem cadit, non credens omnia munda, non tibi cadit ò gentilis, qui non potes eum releuare, sed suo domino quem offendit, qui potens est eum erigere & solidare in fide. Nam cadere sponte possumus, sed surgere nisi à deo erigamur, nequimus. *Stabit autem*, id est perficietur & stabilietur in fide. Quare? *Potens est enim deus*, qui cecidit, *statuere illum*, & in recta fide firmare. verbi gratia, venit modo Iudæus ad baptismum, transit ad gratiam euāgelij, nunquam comedit carnem suillam, aut anguillam, neque nauprædam, abstinet adhuc quasi à carne immunda, adhuc nouellus Christianus est. Hic talis, dum per interualla temporum perfectius eruditur, dum discit quòd nihil sit immundum, quod à fidelibus cum gratiarum actione sumitur, ecce statuitur à deo & domino suo, cui ceciderit, putans aliquid immundum, ecce in fide firmatus. *Nam alius iudicat diem inter diem.* Ille iudicat, id est, discernit &

& differentiam facit inter diem & diem, qui alternis diebus à carne vel vino abstinet, alternis non abstinet. Verbi gratia: Sunt modo multi, qui in secūda & quarta & sexta feria à carne & vino abstinent, tertia, quinta, & septima comedunt carnem, & vino indigent. *alius iudicat*, id est decernit & eligit, *omnem diem*, in abstinentia carnis vel vini, sicut eremitæ, & multi monachorum. Aliter, Diem inter diem iudicat, qui quasdam sententias veteris & noui testamenti intelligit, quasdam penetrare non valet. Omnē autem diem iudicat, qui ex integro vetus & nouum testamentum intelligit. Nō immerito ergo sacra scriptura per diem intelligitur, quia sicut ignorantia est cæcitas, ita cognitio sanctæ trinitatis, quæ in veteri & nouo testamento continetur, lux & illuminatio cordis est. Tertio modo diē inter diem iudicat, qui tātum de præsenti examinat & diiudicat. Verbi gratia: videt quis hominem bene facientem vel male, quem cernit bonis operibus intentum, iudicat eū propter iustitiam præsentem bonum: & quem videt malis operibus deditum, iudicat eum propter iniustitiam suam malum. Si autem ille qui hodie bonus est, eras malum fecerit, iudicat illum malum esse, quem antea laudauerat: & si ille qui hodie malus est, declinauerit à malis, & pura mēte deo seruire cœperit, iudicat eum iustum, iste talis diem inter diem iudicat, quia secundum varietatem temporis & mutationem vitæ, mutat iudicium suæ sententiæ. Qui autem iudicat omnem diem, deus omnipotens intelligitur, qui nouit qualis quisque sit in præsenti, in præterito. & in futuro: quia omnia sunt ei præsentia: & ipse potest eum qui hodie fecit malum, eras facere bonum. *Vnusquisque in suo sensu abundet.* Non dicit indicatiuo modo abundat, sed imperatiuo abundet. Et est sensus: Secundum quod vnicuique homini concessum est intelligere, abundet in suo iudicio: id est, qui intelligit à carne abstinendum, abstineat: & qui non intelligit, id est, qui non vult abstinere, aut non potest, comedat. Aliter: vnusquisque in suo sensu abundet. Qui magna intelligit & sublimia, obseruet illa, & abundet bonis operibus: & qui sublimia diuorum sacramentorum arcana capere non valet, ea quæ veraciter credit & intelligit, humiliter & deuote domino seruiendo, adimpleat, abundando bonis operibus. In suo

sensu abundabat Cyprianus, quando semel mergebat in baptismate paruulos: quia quod intelligebat, studiose adimplebat, bonis operibus abūdando, licet in hoc facto nescius delinqueret. Sed quia bonis operibus abūdabat, postea correptus à domino abundauit altiori sensu, ter illos mergendo. Non est ergo de hæretico intelligendum, aut de praua doctrina: vt vnusquisque magis ac magis abundet in errore suo. *Qui sapit diem*, id est qui eligit per omne tempus abstinendum: *domino sapit*, id est, domino consentit, quia placet illi eius abstinentia. Aliter: Qui sapit diē, id est qui iudicat peccatorem per pœnitentiam posse saluari, nec desperat de salute illius, domino sapit, id est domino concordat, in hac parte, qui peccatores non statim punit vt peccant, sed expectat ad pœnitentiam. Ergo qui nō iudicat & damnat peccatorem, sed credit illū omni die posse venire ad veniam per domini misericordiam, domino sapit, quia cum domino concordat qui dixit: In quacunque die peccator conuersus fuerit ad me, saluabitur. Dum ergo peccator non desperat, cum domino sapit qui peccatorem expectat: & cum qui hodie videtur iniustus, sed posse iustum non desperat, cum domino intelligit & concordat, *& qui manducat*, subaudis omnia, vt gentilis, *domino manducat*. Propter hoc quod subditur: *gratias enim agit deo*. Videlicet quia omnia credit esse munda, & omnia licet ei edere. Domino enim manducat, qui de perceptis ab eo beneficiis gratias refert. *& qui non manducat* omnia, sicut Iudæus, scilicet minus adhuc perfectus in fide, *domino non manducat*. Hoc est, domino abstinet, quia pro amore omnipotentis dei, abstinens est à cibis, quibus ipse præcipit abstinendum esse. *& gratias agit deo*, pro eo quod dedit illi virtutem abstinentiæ, & notitiam per legem, à quibus abstinere deberet. Notandum autem, ab vtroque gratiarum actionem referri omnipotenti deo. Gentilis enim gratias refert illi pro libertate vescendi omnia: Iudæus verò pro fructu abstinentiæ, licet in hac parte qua abstinet, minus perfectus sit. *Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur*. Hoc spiritualiter intelligitur, quamuis & ad literam possit dici: Nullus enim nostrum sibi viuit, quia non habet à se vitam: & nullus sibi moritur, quia non habet in potestate

testate quando viuat, & quando moriatur. Sed dum dixit, Nemo nostrū, i. fideliū perfectorum, ad altiorem nostrum excitauit sensum. Christus dominus noster semel mortuus est pro peccato, quia nullū fecit peccatum: & nos ad exemplum mortis eius semel mortui sumus peccato, purgati ab omnibus delictis in baptismate, redempti Christi sanguine. Non ergo nobis morimur peccato in baptismate sed Christo, dum non in nostra potestate ablutionē consequimur, sed per passionem & baptismū atque per fidē illius abluimur. Et nemo sibi viuit, subaudis virtutibus, sed Christo, qui resurgens à mortuis, iā non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Ad cuius exemplum postquam de fonte baptismatis surgimus, mori peccādo nullatenus debemus. Mori autem peccando dixit, quia anima quæ peccauerit, ipsa morietur: *Siue enim viuimus*, virtutibus & vita spirituali, *domino viuimus*, quia abstinendo à peccatis post baptismū, exemplar resurrectionis eius attendimus, postquam ipse iam non moritur, quatenus ad cœlum pariter cum illo ascēdamus. *Siue morimur*, subaudis peccato tempore baptismatis, *domino morimur*: quia vt ei placeamus, ad similitudinē illius qui nunquam peccauit, per fidem & redemptionem sanguinis eius, ab originalibus & actualibus peccatis in baptismate mundamur. *Siue ergo viuimus, siue morimur, domini sumus*, subaudis serui, quia in potestate illius consistimus. Possumus hæc verba ex martyrum persona intelligi dicta & omnium perfectorum, qui non sibi viuunt, quia non voluntatem suā quærunt adimplere, sed domini, dum per dilectionem quod aliis expedit, faciunt. Quōd autem non sibi moriuntur morte temporali, in qua sibi non concedunt neque relinquuntur, sed à deo assumūtur, seu etiam sibi non moriuntur morte spiritali, peccatis videlicet, quibus moriūtur, dum per spiritum sanctum & aquam regenerantur, hoc aperte innuitur, quia non debent ocio torpere, sed dei & proximi dilectione semper feruere. Martyres quoque non sibi moriebantur, sed domino: quia non propter suam malitiam perimebantur, sed pro dei notitia & confessione fidei, dicente ipso domino: Beati eritis cum eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis. *In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit*, vel morte carnis, vel morte peccati, quia nunquam peccauit,

1. Cor. 2.

Sup. 6.

Luc. 6.

vt & viuorum & mortuorũ dominetur. i. vt eorũ dominetur, qui viuunt iam virtutib⁹, gratia dei abluti à peccatis: & illorum qui quotidie moriũtur peccato, ad hoc vt viuãt similiter virtutibus, in nouitate vitę ambulãdo, *Tu autẽ* Iudęe, *quid iudicas fratrem tuum?* gentilem manducantem omnia. *Aut tu* gentilis *quare spernis* & despicis *fratrem tuum?* Iudęum infirmum adhuc in fide, & nolentem manducare omnia, cum idem Paulus alibi dicat: Nescitis quia angelos iudicabimus, quanto magis secularia? & iterum ipse iudicando, qui talia agunt, regnum dei non consequentur: cur hic prohibet ne iudicemus? Sciendum q̃ de apertis reatibus libera potestas nobis iudicandi conceditur, sicut de homicidio, adulterio publico, atque furto. De occultis verò quæ possunt bono & malo animo fieri, interdicitur nobis iudicare, quia horum iudicium deo est reseruandum. *Omnes enim*, id est, boni & mali, perfecti & imperfecti, gentiles & Iudęi, *stabimus ante tribunal Christi.* Tribunal est sedes iudicis, quae in celso loco collocatur, quo iudex ab omnibus possit videri: & ipse accusantes & accusatos ex eminenti loco possit intueri. Ita & dominus Iesus quasi in tribunali sedebit, quia & ab omnibus videbitur, & ab ipso omnium cõsciẽtiæ & causæ diiudicabuntur apertissime. & est sensus: Vos qui adinuicem fratres iudicatis, quantum in vobis est, deo aufertis suam potentiam. *Scriptum est enim: viuo ego dicit dominus.* Hoc propriè iuramentum dei est in veteri testamento, si dici fas est, sicut Amen in nouo: Ipse enim propriè viuit, & vita est, quia mutari non potest: cuius comparatione mortuum est quicquid mutari potest, quoniam nulla creatura est quæ à se habeat vitam. *quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur deo.* Quomodo ergo angeli qui sunt spiritus, flectent deo genu? Per flexionem genu subiectionem debemus intelligere, quia in iudicio omnia Christo subdentur. Flectetur ergo deo omne genu, dum omnis creatura subiicietur illi. Omnis quoque lingua hominum cõfitebitur deo, dũ laudabit deum patrem per filium. quod de electis tantum sentitur. Nam de impiis dicitur: Quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Angeli autem eo modo quo sunt incorporei, laudant & laudabunt deum. Vox enim angelorũ in laudẽ creatoris, ipsa est admiratio intimæ cõtẽplationis. *Itaque vnusquisque nostrũ pro se rationem reddet deo.* Et est sensus: O Iudæi & Gẽtiles, qui vos iam inuicem iudicatis, cur dei iudiciũ vestro iudicio præuenitis, & eius potestatem quantum in vobis est, temere vsurpatis? Hoc vobis sufficiat, q̃ vnusquisque pro se rationem est redditurus, non solum operum & sermonum, sed etiam cogitationum. *Non ergo amplius inuicem iudicemus*, subaudis cũ futurum dei iudicium minime ignoramus. Hoc dicitur de occultis, non de apertis. *Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum*, id est hoc maxime cauete, & magis decernite, ne quis vestrum malo verbo, aut peruerso exemplo scandalizetur & offendatur: vel hoc statuite, ne causa carnalium ciborum offensionem fratribus minus perfectis generetis. *Scio & confido in domino Iesu, quia nihil commune per ipsum* creatum est. Iudæi cibos ex lege sibi permissos dicebant tantummodo mundos, quibus autem gentes communiter vtebantur, communes, id est, immundos appellabant, sicut & Petrus ait, Commune non manducaui, id est, immundum. Inde dicit Apostolus: Scio (inquiens) & credo in domino Iesu, siue per dominum Iesum, qui mihi hoc manifestauit, quia per ipsum nihil est immũdum creatum, sed omnia munda ab eo facta sunt, sicut scriptum est: Vidit deus cuncta quę fecerat, & erant valde bona *nisi ei*, forte Iudæo, vel alij cuilibet, *qui existimat aliquod alimentum commune*, id est, immundum *esse, illi commune est*: quia immundũ videtur ei hoc secundum eius sensum: non secundum deum, qui omnia fecit munda. *Si enim propter cibum*, quem ille immũdum putat, & tu suades ei vt comedat, *contristaueris fratrem tuum* Iudæum, infirmum adhuc in fide: *iam non secundum charitatem ambulas*, id est, non habes charitatem: quia non diligis fratrem tuum, sicut te. *Noli cibo tuo illum perdere*, dando occasionem offendendi & scandalizandi, *pro quo Christus mortuus est.* Tunc enim illum perdis, cum animum illius scandalizas: quia offendit deũ, dum contra te irascitur, qui es proximus eius. *Non ergo blasphemetur bonum nostrum.* Bonum hic vel charitatem possumus intelligere: quia debemus proximum diligere: vel fidem, quia credimus omnia esse munda: & quia habemus libertatem manducandi omnia. Non ergo blasphemetur neque reprehẽdatur charitas nostra, vt infirmo fratri Iudæo nõ exhibeatur: vel nõ blasphemetur fides & cre

Eccle.15.

dulitas,qua libertatem accepimus comedendi omnia. Tũc blasphematur libertas nostra,quando cogimus eos qui aliquid immundum putant,nobiscũ comedere ipsi quod horrent.Nobis ista libertas bonũ est, quia omnia munda sunt mundis hominibus. Et erant omnia valde bona, bonũ est scripturæ concordari. Noli tamen cogere Iudæũ ad manducandum hoc quod spernit: sed neq; comedas illud corã eo,ne tua libertas blasphemetur ab illo. *non est enim regnũ dei esca & potus,sed iustitia & pax & gaudium in spiritusancto.* Et est sensus:Stultum satis est de non manducandis & de manducandis non disputare,de his videlicet,quę in regno cœlorum non erunt necessaria: cũ potius debeamus de iustitia & pace & gaudio spirituali tractare.Iustitia erit in regno cœlorum,quia qui modo iustitiæ opera exercent, illi intrabunt in regnum cœlorum. Pax erit ibi & gaudium in spiritusancto.i.illi qui modo per spiritumsanctũ illuminati pacem sectantur,& gaudia patriæ cœlestis toto nisu mẽtis quærunt,gaudentes in præsenti de spirituali gaudio, & spe patriæ cœlestis.Aliter:Iustitia in illo regno erit, quia nullus ibi alteri nocebit.Erit ibi pax.i.plena concordia: quam habebunt electi cum deo & angelis:erit gaudium ineffabile de visione omnipotentis dei. In his quoc ũque modo possumus, debemus alios iuuare & superare. *Qui enim in hac seruat Christo*,id est in iustitia,& pace,& gaudio spirituali in gratia spiritussancti,quem per has virtutes habet habitatorem, *placet deo, & probatus est hominibus*,atque laudabilis & laude dignus,quia non solum deo placet, sed etiam hominibus. *Itaque quæ pacis sunt sectemur*,id est,quæ amorẽ fraternum conseruant. diligenter & studiosẽ quæramus, sicut supra de hospitalitate dictum est: Hospitalitatẽ sectantes, *& quæ ædificationis sunt,inuicem custodiamus.* hoc est,deponamus omnem contentionem de re nullius vtilitatis, & custodiamus quæ ad ædificationem nostram & fratrum pertinent,vt verbo & exemplo omniq; cõuersatione nostra ædificetur in nobis templum dei, ædificatione fidei custodita, vt fratres adhuc infirmi in fide, per nos ædificentur. *noli propter escam destruere opus dei.* Opus dei intelligitur homo,corpore & anima à deo factus. Istud opus tunc destruitur, quando scandalizatur, quia iracundum efficitur,quod omnino deo displicet. Opus dei etiam intelligitur charitas,

tas,quã deus in nobis operatur, vel per quã opus nostrum illi offertur,quæ tunc destruitur,cum frater à nobis scãdalizatur. *omnia quidẽ* alimẽta à deo creata,per se & in sua natura,*munda sunt: sed malũ est homini* gentili, *qui per offendiculũ manducat.* Qui autẽ ideo manducat indifferenter omnia,vt fratrẽ suũ Iudæum scandalizet,infirmũ adhuc in fide,culpã peccati & offendiculi sibi attrahit. *Bonum est tibi* ô gentilis, *non manducare carnem, & non bibere vinũ,neque aliquid tale,in quo frater tuus* Iudæus *scandalizatur,aut infirmatur* in fide. Infirmatur in fide, dũ suades illi,vt comedat cibos quos immundos esse deputat:vel dum contristas eum ex hoc, q; in præsentia illius cibos comedis,quos ille abominatur.Manducare carnem & bibere vinũ nec bonum est nec malum, sed medium:Similiter non manducare carnem & nõ bibere vinũ,medium est: quia multi sunt isti qui comedũt carnem, & bibunt vinũ cum sobrietate. Et multi sunt paganorum atque hæreticorũ, maximeque hypocritarum, qui non manducant carnẽ,neque bibũt vinum: & tamen non ideo iustificantur. Tamen melius est abstinere à carnibus & vino in præsentia Iudæi credẽtis:quã in aliquo illũ scandalizare.Potest & generaliter de omnib⁹ intelligi, qui causa abstinentiæ vel ieiuniorũ,scandalizant plurimos,vel certe qui causa gulositatis, aut etiã qui simplici animo diebus priuatis carnibus vescuntur:vnde plurimis offensionẽ generant,bonum esset non comedere, quia minus caute hoc peragunt: *Tu fidem habes apud temetipsum, habe & corã deo.* Non de fide sanctæ trinitatis hic loquitur, sed de fide qua credimus omnia esse mũda,iuxta quod supra diximus.Gẽtilem alloquitur:O gentilis, habes fidẽ penes temetipsum id est,credis in corde tuo omnia esse mũda, & ad manducandũ licita,habe illã corã deo in corde, nõ in ostẽtatione verborũ & iactantia,ne alium scandalizes, dicẽs te habere potestatẽ omnia comedẽdi. *Beatus* est ille gentilis, *qui non iudicat,neque reprehendit semetipsum*, subaudis,quia fratrem suum Iudæum non scandalizauerit. *in eo quod probat*, omnia esse munda. Beatus dicitur esse in hac parte gentilis,cuius conscientia non reprehendit illũ,q; fratrẽ suum Iudæũ scandalizauerit, vt illum cogeret ad manducandũ carnes quas ille detestabatur:sed neq; in præsentia illius comederit aliquid quod ille abhorreret, licet ipse om

nia probaret,& cognosceret esse munda. *Qui autem discernit,* id est qui iudicat & facit differentias inter cibos mundos & immundos, postquam ad fidem venit,sicut Iudæus, *Si manducauerit,damnatus est,quia non ex fide.* Hoc est quia infideliter agit,non credens omnia munda esse.Hoc dicit, si quilibet gentilis ad fidem veniens cognouerit omnia esse munda,& postmodum fecerit differentiaminter cibum & cibum , dicens alios mundos aliósque immundos, si manducauerit postea ex illis cibis,quos immundos reputauit,damnationem sibi acquirit,quia non agit fideliter dubitans in fide , & ea comedit quæ immunda dicebat aliis comedentibus,& quòd non sint omnia munda à deo facta. *Omne autem,* subaudis quod ad manducandum pertinet, *& quod non ex fide.* id est quod non creditur esse mundum à deo factum,si manducauerit, *peccatum est.* quia quod immundum dixit,hoc manducauerit.

CAPVT XV.

Debemus autem nos, ego videlicet,& ceteri apostoli mei,aliique credentes, *Firmiores* in fide , quia credimus esse omnia munda, *imbecillitates infirmorum sustinere,* id est infirmitates fidei illorum sustinere,qui adhuc non credunt omnia esse munda,& ad manducandum licita. *& non nobis placere,* suadendo scilicet illis vesci communibus , vel coram eis edere illos cibos,quos ipsi abhorrent. *Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem* fidei, vt verbo & exemplo vestro,omniúmque conuersatione ædificentur illi in fide, qui adhuc infirmi sunt. *Etenim Christus non sibi placuit* solummodo, *sed* patri(de quo ipse dicit,quæ placita sunt ei facio semper)& bonis hominibus, *sicut scriptum est: Improperia* id est,conuitia,maledictiones, blasphemiæ , detractiones *improperantium tibi,* ò pater, *cecciderunt super me.* Vox Christi ad patrem de improperiis Iudæorum. Quando enim improperabant filio,dicentes.Samaritanus es,& dæmonium habes,& cætera talia,deo patri improperabãt qui erat in filio,sed ipsa improperia super Christum ceciderunt,quia vsque ad mortem persecuti sunt illum . Bene ergo dicit Apost.Christus sibi non placuit: quia ipse non quæsiuit

Ioan.8.

quæsiuit sua,sed patris & nostra,sicut ipse dixit.Non veni facere voluntatem meam , sed eius qui misit me.Similiter nos non debemus nobis placere:neque propriam voluntatem quærere,sed dei & fratrum. *Quæcunque enim scripta sunt,ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Iungit se Apostolus omnibus credentibus , & vult ostendere omnia quę in diuinis libris scripta sunt,non propter illos esse scripta, quorum gesta & facta ibi narrantur,quia illi non erant ea lecturi, quia olim mortui quiescebant,sed etiã propter nostram salutem & futurorum , vt habeamus vbi possimus exemplum fidei bonorúmque operum sumere,& vbi possimus cognoscere quibus operibus placatur deus,& quibus ad vindictam prouocatur,videlicet quomodo appetendæ virtutes,& respuenda vitia,& qualiter patientes in fide & spe esse debeamus.Quid enim profuit Abrahæ,quòd scripsit Moyses illum fuisse obedientem ,& quòd laudauit illũ deo placuisse?Quæcunque,inquit,scripta sunt in lege,prophetis,& Psalmis,& reliquis scripturis,ad nostram doctrinam scripta sunt,vt nos inde doceamur quid ad fidem venimus.Quomodo?vt per patientiam præcedentium patrũ edocti , patienter aduersa huius seculi perferamus:& per consolationem scripturarum , spem habeamus, id est,expectationem futurorum bonorum teneamus , Videamus quomodo pertineant ad nostram doctrinam ea quæ scripta sunt in diuinis libris: Dum legimus populum Israël de Aegypto egressum , per mare rubrum traductum , Pharaone & Aegyptiis submersis,aquam eis de petra datã , manna de cælo largitum,& post multa prælia quæ contra hostes viriliter peregerunt,terram repromissionis ingressum,debemus inde & doceri & docere, vt per Aegyptum intelligamus hunc mundum : per mare rubrum , baptismum qui consecratur rubore sanguinis Christi:per Pharaonem,diabolum:per Aegyptios,originalia peccata & actualia , quæ in baptismate pereunt:per petram , Christum:per aquam, doctrinam illius,de qua ipse dicit:Qui sitit , veniat & bibat,siue mysterium redemptionis atque ablutionis nostræ: per manna verò,corpus illius quod quotidie sumitur à fidelibus in ecclesia,:per prælia quæ illi sustinuerunt, certamina & bella quæ habemus aduersus dæmones:post quo-

Exod.14. Nũc.20. Exod.16.

Ioh.2.

rum debellationem, si recte in fide permanserimus, meredi-
mur peruenire ad patriã cælestẽ, quæ significatur per terrã
Psal.27. repromissionis, de qua Psa. ait: Credo videre bona domini
in terra viuentium. Hanc terram, id est, soliditatem æternæ
patriæ, non nisi veri Israëlitæ accipiunt. Iterum dum legi-
mus fidem & obedientiam beati Abrahæ & patientiam:
quomodo aduersa huius seculi pertulit, quando per multo-
Genes.2. rum annorum curricula peregrinatus est in terra aliena, &
quomodo obediuit verbis dei, quando voluit filium vnige-
nitum immolare, non dubitans de promissione, quia dixit
ei deus: In Isaac vocabitur tibi semen: debemus fidem illius
imitari, qui filij eius dicimur per fidem, & patientiã &, obe-
dientiam, non deficientes in tribulationibus. Similiter de-
Iob.2. legimus beatum Iob grauiter esse percussum & flagellatũ
intantum vt filiis & filiabus omnique substantia priuatus,
in sterquilinio sederet testa saniem radens, qui quondam
erat vtpote potentissimus regum, & quomodo omnia ad-
uersa patientissime sustinuerit, pro qua iterũ meruit sanita-
tem recipere, & omnia duplicata quæ amiserat, & insuper
futura præmia, debemus ex hoc magnam consolationem
recipere: & si forte aliquando talia euenerint nobis: debe-
mus ista ad memoriam reducere: & patientiæ eius imitato-
Iob.2. res existere, dicentes cum illo: Sicut domino placuit, ita fa-
ctum est: sit nomen domini benedictum. Talia & his simi-
lia sedulo animo reuoluentes, debemus spem firmam tene-
re, expectantes gaudia futurorum bonorum. *Deus autem pa-
tientiæ & solatij det vobis idipsum sapere in alterutrum secun-
dum Iesum Christũ.* More patriarcharum dat modo bene-
dictionẽ Apo. Romanis. Verbi gratia: Sicut Isaac benedixit
filiis suis Esau & Iacob: & postmodum Iacob duodecim pa-
triarchis, & Moyses duodecim tribub⁹ filiorũ Israel. Sicut
autem dicitur Deus iustitiæ, eo quòd ipse iustitiam tribuat
omnibus qui merentur iustificari, & in illorum cordibus
habitet: sic dicitur Deus patientiæ, quia ipse tribuit patiẽ-
tiã, & in illorũ cordibus habitat, qui interũ aduersa patiẽ
tiam seruant. Similiter dicitur & deus solatij, quia ipse so-
latium præstat in se confidentibus: atque in illorum cordi-
bus habitare dignatur, qui aliis consolationem impendere
student, vel qui in aliorum patientia consolationem acci-
piunt in aduersitatibus constituti. Deus autem (inquit) pa-
tientiæ

tientiæ & solatij, det vobis idipsum sapere in alterutrũ, vt
vnũ sentiatis de fide, spe, & charitate, & quod vnus credit,
hoc speret alium credere: & quod in se est boni, hoc in alio:
vel idipsum det vobis sapere, vt sicut sibi vnusquisque, sic
proximo velit, id est, quod sibi vult euenire, hoc optet pro-
ximo suo: & sicut diligit illum, ita credat se diligi ab illo. Et
bene addidit, secũdum Iesum Christũ, id est, secundũ quòd
volũtas est Iesu Christi, quia multi sentiunt vnum, & vidẽ-
tur se diligere, sed non secundum Iesum Christum. Verbi
gratia: Sicut sunt hæretici, qui non sentiunt in se errores,
quos & in aliis hæreticis: & sicut sunt illi, qui non causa a-
moris dei diligunt alios, sed propter beneficia temporalia
quæ ab illis captant, vel quia in malitia concordant cum
eis. *vnanimes*, id est, vno intellectu atque vno consensu, vel
vna fide, *& vno ore* id est, vna confessione, *honorificetis deum
& patrem domini nostri Iesu Christi.* Deus omnipotens pater,
pater est domini nostri Iesu Christi, tã secundũ diuinitatẽ,
in qua genuit illum coæternum sibi & consubstantialem
ante omnia secula, quàm secũdum humanitatem, qua crea-
uit illum in fine temporum in vtero virginali. Deus verò
est solum modo hominis assumpti à verbo, hoc est secundũ
humanitatẽ. vnde ipse dixit Mariæ post resurrectionis glo- Ioan.20.
riam: Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem
meum, & patrem vestrum, deum meum, & deum vestrum.
Quem tunc glorificamus siue laudamus, quando eius fidem
syncerissimam tenentes in corde omniq; intellectu, confi-
temur eum ore verum deum esse: & fidem quam habemus,
bonis operibus exornamus. iuxta quod ipsa veritas admo-
net, dicens: Videant opera vestra bona: & glorificent pa- Mat.5.
trẽ vestrum qui in cælis est. *Propter quod*, subaudis decus
honoris *suscipite alterutrum, sicut & Christus suscepit vos in
honorem dei.* Ad ea quæ paulo superius dixit Apostolus de
infirmis adhuc fratribus in fide loquens, & differentia ci-
borum quos percepit, suscipit in affectũ charitatis cũ tran-
quillitate, inquiens: Infirmũ autẽ in fide assumite, pertinent
ista p̃sentia, & est sensus: Propter hoc talia dico, vt suscipia
tis in charitatis affectu fratres adhuc infirmos in fide, neq;
scandalizetis eos, suadentes eis vt comedant cibos, quos ip
si detestãtur quasi immũdos: & ita suscipite illos cũ charita
te, sicut & Christus suscepit vos ad fidẽ suã in honorem dei

patris,vt deus pater laudet per vos. Si ergo Christus dignatus est recipere ad fidem suam Iudæos blasphematores & vos gentiles idololatras,omniq́ue immunditia repletos, atque à cognitione dei alienos, multo magis nos debemus non despicere fratrem nostrum infirmum in fide,neque in aliquo contristare aut scandalizare:sed potius in affectum charitatis debemus eum colligere. Ideo ergo dicit nos susceptos in honorem dei patris, vt deus pater per nos & per bona nostra opera glorificetur & laudetur cum filio suo,qui dixit in euangelio discipulis & omnibus in se credituris: Sic luceat lux vestra coram hominibus,vt videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. *Dico enim Iesum Christum ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem dei ad confirmandas promissiones patrum.* Circuncisio in hoc loco duplici intelligentia accipi potest,videlicet tam carnalis quàm spiritualis: quoniam vtriusque minister extitit dominus, in se susceipiendo, & aliis ministrando. Circuncisionis enim carnalis minister extitit,quia antequàm veniret in mundum per incarnationis mysterium,ipse qui est verbum patris,ministrauit illam,dando & præcipiendo vt obseruaretur: quia ipse qui loquebatur per angelum ad sanctos patres, sicut in libris propheticis sæpissime manifestatur. vbi dicitur, Os, *sive* verbum domini locutum est,veniens in carne etiam minister extitit circumcisionis, quia illam in semetipso susceepit, non vt illam præciperet seruari & custodiri post suum aduentum,sed vt ostenderet legem sanctam esse, iustam, & bonam. Nam mittens apostolos dominus ad prædicandum,non dixit: Ite,prædicate circuncisionem seruandam omnibus gentibus: sed,ite, prædicate euangelium omni creaturæ,& baptizate in nomine patris, & filij, & spiritussancti. Hoc quidem non de circuncisione carnali dictum est,sed melius,id est,altiori sensu de circuncisione spiritali intelligendum,id est,de gratia baptismatis. Circuncisio spiritalis quæ est? Expoliatio vtique vitiorum,quæ fit per baptismum,cuius minister extitit ipse dominus,in se susceipiendo,& aliis dando. Susceepit enim baptismum,quando baptizatus est à Ioanne Baptista: ministrauit autem postmodum,quia baptizauit Apostolos, aliósque ad se per fidem accedentes,iuxta quod euangelium narrat,dicens, *Mat.28.*

Quia Iesus baptizabat, & discipuli eius. Mittens quoque apostolos ad prædicationis officium per quadrifidum orbem,indixit eis,dicens: Ite,docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine sanctæ trinitatis. Ecce quomodo fuit dominus Iesus minister circuncisionis spiritalis. Possumus etiã & hoc veraciter dicere,quia quotidie administrat ipse eandẽ circuncisionẽ, dimittendo peccata in baptismate. Ministeriũ etenim tingẽdi corpora,tradidit suis fidelibus, potestatem dimittẽdi peccata,sibi proprie reseruauit,sicut Ioãnes præcursor eius de eo dicit turbis: Ipse vos baptizabit in spiritussancto & igni. Et iterũ, Ego,inquit Ioan. nescieba eũ, & sibi esset seruaturus potestatẽ baptizandi, nulliq́ue traditurus: sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris spiritũ descendentem, & manentẽ super eum,hic est qui baptizat. Apostolo dicente Christum Iesum ministrum fuisse circũcisionis spiritalis, poterat aliquis ei obiicere: Cuius rei gratia extitit ipse minister circũcisionis? Ad hæc Apostolus: *Propter veritatẽ*(inquit) dei patris, *ad confirmandas promissiones patrũ*. i. vt confirmaret deus pater promisiones suas,quas locutus est ad sanctos patres de salute gentiũ,dicens Abrahæ: In semine tuo benedicẽtur omnes gentes, siue vt verax appareret, cõplendo promissiones quas patribus promiserat de salute gentium: & quæ prædixerat de eadẽ circuncisione spiritali. Nisi enim per gratiã baptismatis mundarẽtur gentiles, & per fidẽ domini saluatoris,nequaquã in filiationẽ Abrahæ transirent, nequaquã etiã esset cõpletũ quod dicit Moyses, In nouissimis diebus circũcidet dominus cor tuũ, & non carnẽ tuã, id est,mundabit illud ab infidelitate, omnibúsque peccatis per baptismũ: illud quoque Ezechielis prophetæ,dicentis: Effundã super vos aquam mundam, aquam videlicet baptismatis. *gentes autem super misericordia*,id est,de misericordia *honorare deum*,subaudi debent, quia gratis sine vllis meritis præcedentibus vocati sunt ad fidem, gratisque acceperunt remissionem omnium peccatorum per spiritalem circuncisionem: per gratiã videlicet baptismatis, non per circuncisionem carnale,cui enim plus dimittitur, plus debet diligere. *sicut scriptum est*: *Propter hoc confitebor tibi in gẽtibus domine, & nomini tuo cantabo*. Psalmista loquitur ex persona filij dei,deo patri gratias referentis propter obe-

Matt.3.

Ioan.1.

Gene.22.

Deut.30.

Eze.36.

Luc.7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dientiam gentium ad fidem venientium. Quomodo ergo laudat & glorificat filius deum patrem, qui æqualis est ei in omnibus? In gentibus vtique credentibus laudat illum. Quandocunque enim gentes laudant & glorificant deum patrem, filius dei laudat illum per ora & opera gentium, cuius sanguine redemptæ sunt. Ideóque dicit: Propterea quia populos multos & gentes mihi subiugasti per fidem, confitebor tibi domine pater: & glorificabo te per ipsas gentes: & nomini tuo cantabo, id est, nomen deitatis tuæ laudabo. *Et iterum dicat* scriptura in Deuteronomio: *Lætamini gentes cum plebe eius.* Moyses legislator extendens oculum prophetæ ad tempus vocationis gentium, alloquitur eas hortando vt laudent deum patrem cum plebe Israelitica: quæ olim plebs eius sola ex omnibus gentibus vocabatur. O gentes credentes in filium dei, per cuius passionem estis redemptæ, & per cuius baptismum mundatæ & expiatæ estis ab omnibus peccatis, sociantes vos in affectu charitatis credentibus ex Israel, lætamini lætitia spiritali: *Et iterum: Laudate omnes gentes dominum, & magnificate eum omnes populi.* Chorus Apostolorum alloquitur multitudinem gentium, ad fidem Christi & baptismi gratiam cõcurrentem: & præcipit vt laudes gratiarum referant domino corde, ore, & opere: cuius gratia sunt redemptæ, cuius misericordia ab omnibus reatibus sunt expiatæ. In hoc verò quod subdit, magnificate eum omnes populi, Iudæos hortatur vt gaudeant de salute gentium, inquiés: Et vos omnes populi .i. omnes Iudæi magnificate deum .i. magnum prædicate propter salutem fratrum vestrorum gentilium, & propter ineffabilia magnalia quæ vobis contulit à diebus antiquis, referentes gentibus quanta & qualia vobis libentissime præstitit. *Et rursum Isaias ait: Erit radix Iesse: & qui exurget regere gentes: in eum gentes sperabunt.* Iesse ipse est Isai pater Dauid regis, de cuius prosapia ortus est Christus secundum carnem per Mariam virginem. Hoc quod dicit, erit radix Iesse, dupliciter intelligi potest hoc modo: Iesse ipse est radix, Dauid verò filius eius, ipse est arbor, Maria virgo, ipsa est ramus eiusdé arboris: flos verò rami istius, Christus, qui dicit ad Ecclesiã in Canticis Cãticorum: Ego flos campi. Radix ergo huius floscŭli .i. Christi, Iesse fuit: quia sicut flos ex radice arboris processionem habet, ita & Christus secundũ carnem

Esa.11.

Cant. 2.

carnem ex Iesse originẽ traxit. Altiori autẽ intellectu, radix Iesse Christus est, verbũ scilicet dei patris, quod inter cętera quę creauit, Iesse quoq; creator extitit. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil. Qui ergo secundum carnẽ ex Iesse originẽ duxit, ipse quoq; secundum diuinitatẽ radix & creator Iesse extitit. Iesse interpretatur, Est mihi. Est, verbũ substantiuũ est. Quod verò dicitur, erit radix, similiter, Erit ab eodẽ verbo substantiuo venit, & ponitur pro futuro tẽpore: Quicunq; ergo in eũ credit, qui dixit ad Moysen: Qui est, misit me ad vos, ille veraciter potest dicere, Est mihi. i. credo in eũ qui semper est, & ipse est mihi deus, & erit. Sed quæri potest quare dixerit propheta, Erit radix Iesse, & nõ potius erit radix Booz vel Obed, cũ & ipsi iusti extiterint, & patres Isai? Ad quod dicendũ est, ideo dixisse prophetã, Erit radix Iesse, & non radix Booz vel Obed, vt ostenderet dominũ Christũ Iesum de progenie regali, etiã secundũ carnẽ descẽdere, qui ante secula genitus est à deo patre, rege regũ, & domino dominãtium. Notandũq; quia quod dixit, Erit radix Iesse, sub verbo futuri temporis loquens, ad natiuitatẽ Christi humanã respexit, quæ adhuc futura erat, quãdo ista prædixit. Dicamus itaque hoc modo. Erit Iesse radix Christi secundũ humanitatẽ, & ipse Christus, qui exurget nascẽdo per virginem, vel à mortuis resurgendo, regere gentes: in eo gentes sperabunt. Christus igitur regit & gubernat gentes, in se credentes: & ipse defendit illas ab insidiis & infestationibus dæmonum, omniúmque aduersariorum: quoniam ipsi in eo sperant. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo.* Ex hoc quod Isaias propheta dixit de Christo, In eo gentes sperabunt, sumpsit Apostolus occasionem, vt diceret illis hanc benedictionem: Deus autem spei qui tribuit spem futurorum bonorũ in se credentibus, repleat vos omni gaudio spiritali, & pace, id est, cõcordia, & amore fraterno in se credẽdo, credẽtes in eũ qui vos per sanguinẽ suum pacificauit deo patri, sitis & ipsi inuicẽ concordes & pacifici, qui hactenus fuistis inuicem dissidẽtes. *vt abundetis in spe & virtute spiritussancti*, id est, per virtutẽ spiritussancti habeatis spe æternæ remunerationis, eiúsq; dono atque auxilio subleuati, virtutẽ totius bonitatis adipisci mereamini. *Certus sum autem, fratres mei, & ego ipse de*

Esa.1.

Ioan.1.

vobis, quoniam pleni estis dilectione dei & proximi, *repleti omni scientia, ita vt possitis alterutrum monere*, id est, inuicem vos castigare & corripere. Perfectos in fide blande alloquitur.

Audacius autem scripsi vobis fratres ex parte. Audacius, licet sit comparatiuus gradus, in hoc tamen loco pro positiuo ponitur quod est audacter, id est, cum audacia & securitate. Ideoque addit, ex parte, quia multa sciebat ipse in corde, quæ non proferebat ore, & quæ illi non poterant capere, ex quibus partem scribebat eis: vel etiã idcirco dixit, ex parte, quia iam legerant ipsi epistolas eius, quas aliis ecclesiis destinauerat: & quæ ibi non legerant ex parte, in hac inferre studuit, vnde & subditur: *tanquam in memoriam vobis reducens*, subaudis iam legisse mea dicta in quibusdam epistolis meis, quod tale est, ac si aliis verbis diceret: Dum reduxi ad memoriam legisse vos iam mea dicta, pauciora vobis scripsi, & hoc *propter gratiam quæ data est mihi à deo vt sim minister Iesu Christi in gentibus.* Gratiam hic appellat sapientiam, quam præ omnibus aliis apostolis accepere meruit, vt beatus Augustinus dicit. Potest & de ministerio apostolatus intelligi, quod ei gratis à deo collatum est. Scripsi vobis (inquit) pauca ex pluribus quæ in corde meo firma habentur, propter gratiam sapientiæ, quæ mihi à domino ad hoc data est, vt illam pro capacitate auditorum expenderem, siue etiam vt ministerium apostolatus mei complerem in gentibus. *Sanctificans euangelium Dei*, id est, factum esse demonstrans, prædicando illud sine errore & mendacio, sanctéque viuendo: & miraculis virtutum testificando, gloriam propriam non quærendo, neque pro lucris temporalibus hæc & omnia, sed pro remuneratione æternæ vitæ agendo. Ille sanctificat euangelium siue sanctum demonstrat, qui absque errore & mendacio illud prædicat, & quod prædicat ore, confirmat miraculis, exornat sancta conuersatione, & qui non quærit suam laudem, sed deum.

vt fiat oblatio gentium accepta, id est, vt gentes offerantur deo per me in gratiarum actione: & sit ipsa oblatio amabilis ei, *& sanctificata* per baptismum per passionem Christi, & per fidem, *in spiritusancto*, id est, per gratiam spiritussancti. Pontificum est, doctrinæ & prædicationis operam dare: & illorum est sacrificium offerre deo. Nam sicut in veteri testamento pontifex siue sacerdos hostiam & oblationē quã offerebat deo, studiose prouidebat vt absq; macula esset: ita & qui euangelium annunciant, prouidere debent, vt neque in prædicatione, neq; in doctrina seu magisterio aliqua culpa nascatur: vt sicut illæ hostiæ deo erãt acceptæ, ita sint & auditores illorũ in sacrificium dei transeuntes, imitantes ipsi prædicatores egregium doctorem & magistrum gentium, qui illos quos deo sua prædicatione & ministerio in fide obtulerat, optabat, vt sine macula, grauioris peccati permanentes, accepti essent deo. *Habeo igitur gloriam* præparatam *in Christo Iesu ad deum.* ac si diceret: Per virtutes quæ sunt in Christo Iesu, quas ego amplector, habeo gloriam præparatam mihi, & honorem maximum apud deum patrem. *Non enim audeo aliquid loqui eorum* verborum, *quæ per me non efficit Christus* verbo & factis, id est, non audeo alia loqui & prædicare, nisi quæ Christus inspirat mihi corde. Quicquid enim operabatur, quicquid loquebatur, totum Christus per eum efficiebat, sicut ipse alias dicit: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? *in obedientiam gentium in verbo & factis.* 2. Cor. 3.

Hoc est, idcirco insto ego verbo prædicationis, & factis miraculorum, vt gentes obediant euangelio. *in virtute signorum & prodigiorum, in virtute spiritussancti.* Signa appellantur multis in locis, in quibus cum sit aliquid mirabile, indicatur quoque per ea aliquid futurum, sicut in sanatione filij Reguli ostensum est, domino dicente: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Per hoc enim quod viso miraculo sanitatis in filio illius, perpauci crediderunt, pater videlicet illius cum suis, significabatur quòd paucitas Iudæorum creditura esset in deum. Ecce signum quod vtrũque in se continet, quædam scilicet miracula & quædam futura. At verò prodigia dicuntur quasi prodigia. vel porrodicentia, eo quòd aliquid in futurum tantummodo ostendant, quasi digito ostendendo. Signa autem & prodigia pro vno accipiuntur hoc loco, miracula videlicet, quæ per virtutem spiritussancti operabatur, *ita vt per Hierusalem per circuitum vsque ad Illiricum*, quæ est prouincia in initio Europe, *repleuerim euangelium Christi*, subaudis omnes gentes & prouincias. Illiricum prouincia est, vt diximus. Est autem finis Asiæ, & principium Europæ. *Sic autem prædicaui euangelium hoc*, Quo modo? *non vbi nominatus est*

Ioan. 4.

Christus, à prædicatoribus, siue vbi in eum iam credi-
rent. *ne super alienũ fundamentum ædificarem.* Non prædica-
ui(inquit) vbi iam Christus esset prædicatus, & crederetur, sed vbi penitus ignorabatur, ne super aliorum prædicationem & fidem ponerem meam. Apostolus ergo ipse iaciebat fundamenta fidei, & ipse erigebat parietes. Talis vtique prædicabat, de quibus olim prædictum erat:

Quoniam quibus non est annuntiatum à prophetis, *de eo* id est, de Christo, *videbunt* illum per fidem: *& qui non audierunt*, prædicantem eum, *de eo intelligent*, per prædicationem apostolorum, *propter quod*, subaudis *cursus* prædicationis, *& impediebar plurimum* ab ædificatione verbi, *venire ad vos*, ô Romani: *& prohibitus sum vsque adhuc.* Non impediebatur à satana, sed ab vtilitate prædicationis, vt primum ecclesias fundaret Asiæ, postmodum ad exteras pergeret nationes. *Nunc verò vltra locum non habens*, vacuum ad prædicandum, *In his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis præcedentibus annis, cum in Hispaniam proficisci cœpero, sperabam quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.* Videtur hoc in Achaia posse dicere, apud Corinthum ciuitatem eiusdem prouinciæ, quæ vtique Achaia, vicina & cohærens est Macedoniæ, in quibus locis degens, cum singula quæque peragrasset, euangelium prædicans in his duntaxat finibus, in quibus Christus nondum fuerat prædicatus, agnitione dei vniuersa replesset, designat iam adesse tempus quo debitorium suum debeat adimplere, videndi videlicet eos quæ & mæ morabantur. Bene autem his quos nondum secundum carnem viderat, & ad quos nondum in corpore aduenerat, præsentiam sui & retardationem pollicetur. Desiderabilius enim suscipimus bona, quæ cito meminimus auferenda: securius verò negligimus, quod nos diutius posse credimus. Frui, est cum delectatione & gaudio aliquid possidere, vel amplecti & videre. *Nunc igitur*, subaudis quam ad vos veniam, *proficiscor in Hierusalem ministrare* Actu. 4. *sanctis* Sanctos appellat illos, qui pro Christi amore omnia reliquerant, aut vendiderant, & pretium illorum ad pedes apostolorum attulerant: vel illos qui deprædati fuerant à Iudæis non credentibus, quos laudat, inquiés in epistola

ad Hebræos: Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. De istis etiam dicit Esaias: Et qui recessit à malo, eorum prædæ patuit. Isti omnes qui propria reliquerant, vel expoliati fuerant, qui scientiam prædicandi non habebant, vt ad prædicandas gentes possent ire, erant in Hierusalem, vacantes iugiter orationibus ac ieiuniis: quibus apostoli de singulis prouinciis & locis, in quibus prædicabant, quicquid pecuniarum, auri, argenti, vestimentorum accipiebant, eis mittere satagebant, maxime tamen Paulus, qui plurimis gentibus prædicabat. Vnde dicunt doctores, quia aliquando amplius quàm tres aut quinque modios argenti eis mittebat. *Probauerunt autem Macedonia & Achaia*, id est sanctum & bonum visum est illis, *collationem aliquam facere* munerum, *in paupe-res sanctorum, qui sunt in Hierusalem.* Macedonia & Achaia, quæ & Achæia vocatur, à qua & populi eius Achæi dicuntur, prouinciæ sunt nobilissimæ græcorum, sibi adiacentes: quas Apostolus ecclesiis repleuit. *Placuit enim eis: & debitores eorum sunt.* Quid acceperunt Macedones & Achaici siue Achæi à sanctis qui erant Hierusalem, vt eorum debitores essent? Tribus modis erant debitores eorum: vel quia eos in fide præcesserant, qui ab apostolis & prædicatoribus erudiebantur, vel quia ipsorum exemplo & doctrina proficiebant: vel quia etiam vnius fidei erant, & vnum patrem deum habentes, fratres erant in fide. Omnes enim Christiani, qui fratres sunt in fide, debitores sibi sunt, vt alter alterius onera portet. Potest & Gala. 6. quarto modo intelligi, in hoc eos existere debitores eorum, quia illi die ac nocte pro salute illorum orationibus insistebant, vt fides Christi in eis roboraretur. *Quoniam si eorum spiritualium* bonorum *participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare eis.* Iisdem modis erant participes eorum, quibus & debitores, & est sensus: Iam quia in spiritalibus rebus illis præstant supplementum, & quod in se non habent, habent in illis: iustum est vt in temporalibus beneficiis eis subueniant. *Hoc igitur* opus ministrationis, *cum consummauero*, id est cum perfecero, *& assignauero eis fructum hunc*, collationem videlicet munerum, quam eis mittunt per me fideles: *Proficiscar per vos in Hispaniam.* Congrue autem dicit proficisci per Romanos

Sup. 1.

in Hispaniam, quia euntibus de Achaia in Hispaniam, hic medio itinere Roma habetur. *Scio autem quoniam veniam ad vos.* In abundantia benedictionis *Christi veniam.* Spiritu prophetico afflatus, talia cum securitate dicebat. Quòd autem dicit, in abundantia benedictionis Christi veniam, tale est, quale & illud quod in exordio huius epistolæ dixit: Desidero (inquiens) venire ad vos, vt aliquam gratiæ spiritalis impartiar vobis, ad confirmandos vos. In abundantia benedictionis veniam, id est, plenitudine virtutum, vt mea prædicatione quod minus habetis in fide, percipiatis ex virtute miraculorum, quæ apud vos operabor, roboremini in eadem fide, vt maiorem gratiam Christi in meo aduentu percipere mereamini. Sic etenim fecit: quia veniens quod illis deerat in fide, in charitate & in cæteris rebus spiritalibus, suo aduentu supplevit. *Obsecro ergo vos fratres* Romani, *per dominum Iesum, & per charitatem spiritus sancti.* Per dilectionem quam debetis habere erga deum & proximum, quæ per spiritum sanctum datur fidelibus: *vt adiuuetis me in orationibus vestris ad deum*, id est apud deum, *vt liberer ab infidelibus, qui sunt in Iudæa: & obsequij mei*, id est, ministerij vel obedientiæ meæ, *oblatio accepta fiat in Hierusalem sanctis, vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem dei, & refrigerer vobiscum.* Iste quærit refrigerari, qui calore solis vritur, vel qui pugnando & luctando calefit atque lassatur. Et beatus Apostolus fortiter pugnabat contra philosophos, contra Iudæos, contra hæreticos: ideóque desiderabat ad tempus tam corpore quàm spiritu requiescere. Vnde ipse dicit quo-
1. Cor. 4. dã in loco: Si ad bestias pugnem Epheſi. Bestias appellat philosophos & hæreticos. Ideo autẽ exorabat, vt Romani suis orationibus ei subuenirent, quia timebat comprehendi dum veniret Hierosolymam, ab infidelibus Iudæis, & retrudi in carcerem, vel occidi: & non posset neque sanctis deferre munera & oblationem suam, neque postmodum venire Romam, sicut in desiderio habebat. Hinc percutitur pontificum superbia, & prælatorum, atque principum, & potentium huius seculi, qui dedignantur exorare subiectos suos, quatenus pro eis preces orationésque fundant. Si enim ille qui & apostolus & pontifex erat omnium gentium, omníque gratia spiritussancti repletus, non est dedi-

dedignatus auxilium subiectorum expetere in orationibus, quanto magis isti qui pleni sunt rapacitate, superbia, omníque nefario actu, non debent dedignari? Itaque imitandus est omnibus viribus. *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, Amen.* Deus pacis intelligitur sancta Trinitas, cuius misericordia reconciliatum est genus humanum: & cuius dono pax & concordia datur cunctis fidelibus. Et satis pulchre in pace finiuit, duobus populis in concordiam reuocatis, ostendens quia non nisi in pacificis deus pacis (qui pacem præstat) possit habitare.

CAPVT XVI.



Commendo autem vobis Phœbem sororem nostram, non carne, sed communem in fide. *Quæ est in ministerio ecclesiæ quæ est Cenchris, vt eam suscipiatis in domino digne sanctis*, hoc est, sicut conuenit sanctis, siue (vt quidam codices habent) digne satis, id est abunde & humane, *& assistatis ei*, id est auxiliamini, & subsidium præbete, *in quocunque negotio* siue causa, *indiguerit vestri* auxilij. Cenchræ portus est Corinthi, vbi erat ecclesia fidelium, cui ministrabat Phœbe nobilissima matrona victum & vestimentum, vtpote fidelissima in fide Christi. Ergo tunc tẽporis quando Apostolus istam scribebat epistolam, Romani omnibus gentibus imperabant: & siquis nobilium præcipuam habebat causam ex aliquo negotio, siue ex oppressione aliorum, siue ex prædiorum vel mancipiorum ratione, Romam concurrebat, vbi erat imperator & iudices causarũ. Potuit ergo fieri vt Phœbe matrona ob huiusmodi causam tunc deueniret Romam: quapropter præcepit Paulus credentibus, vt ei in omni negotio auxiliũ ferrẽt, siue in vestibus, siue in victu, vel aliquo subsidio temporali. Reddítque causam quare talia præcipiat. *Etenim ipsa quoque astitit*, id est ministrauit atq; auxiliũ præbuit *multis, & mihi ipsi. Salutate Priscam & Aquilã adiutores meos in Christo Iesu*, in prædicatione videlicet & aliis operibus, *qui pro anima mea*, id est pro vita mea vt illam seruarẽt, *suas ceruices supposuerunt*, periculose opponentes. Prisca ipsa est, quæ & Priscilla appellatur in Actibus Apostolorum, & erat Iudæa genere, vxor Aquilæ Iudæi, qui quodam tẽpore

dum Iudæi vellent Apostolum interficere apud Corinthũ, isti se in medio opposuerunt & liberauerunt eum. Vnde & subdit: *quibus non solum ego* Paulus *gratias ago* pro hoc facto, *sed & cunctæ ecclesiæ gentium*. Quibus ego præsum: quia per meam prædicationem ad fidem venerunt. Iste est ergo Aquila & Priscilla vxor eius, apud quos manebat Paulus Corinthi positus, quia eiusdem artis labori insistebant: cui & Paulus structuræ videlicet tabernaculorum, quæ & scœnofactoria ars appellatur. Sutores etenim erant, & suebãt ex pellibus siue linteamintbus tabernacula & papiliones, in quibus maxime Saraceni habitant, vẽdebántque ea quæ operabantur, indéque viuebant. De his ergo *Actu. 18.* ita legitur in Actibus Apostо. Post hæc autem descendens Paulus ab Athenis, venit Corinthum: & inuento ibi quodam Iudęo, nomine Aquila, Pontico genere, qui nuper venerat ab Italia, cũ Prisćilla vxore eius, eo quòd præcepisset Claudius imperator discedere omnes Iudæos ab vrbe Roma, eo quòd seditiosi essent, adhæsiteis: & quia eiusdem artis erant, manebant in vnum, & operabãtur simul. Erant enim artifices tabernaculorum, vt diximus, id est sutores componentes tabernacula ex pellibus seu cortinis lineis. Sed quæstio hic oritur. Cũ in Acti. Apo. dicatur (sicut paulo superius ostẽsum est) quòd apud Corinthũ simul hospitãbatur Paulus, Aquila, & Prisca, quare in hac epistola à Corintho eis verba salutatoria scribebat, quasi Romæ degẽtibus: Quæ ita soluitur, quòd pulsis Iudæis ex vrbe per præceptum Claudij, Corinthum isti duo venerint, rursúsque reddita libertate redeundi in morte Cæsaris, reuersi sunt Romã, vbi eos Apostolus nunc salutat. Horum etiã domesticos & vernaculos salutat, quos & ecclesiam appellat, dicens: *& domesticam eorum ecclesiam*, subaudis saluto. *Salutate Ephenetum dilectum mihi, qui est primitiuus ecclesiæ Asiæ*. Hic Ephenetus videtur primus credidisse ex Asia, vnde & primitiuum Asiæ illum vocat: siue quia primum omnium credidit, seu etiã quia magnæ dignitatis atq; nobilitatis erat. Idcirco autem mentionem istius fecit, vt ostenderet nobiles etiam ad fidẽ venire, ac per hoc inuitaret primos Romanorũ ad fidem. *Salutate Mariam, quæ multum laborauit in domino*. Officium scilicet prædicationis fœminis sui sexus impendendo per domos. Nã in ecclesia nõ docebant mulieres,

lieres, sed viri: quia ipse Apostolus prohibuerat hoc, dicẽs: *2. Cor. 2.* Mulieres in ecclesia taceant. *Salutate Andronicum & Iuliam, cognatos & concaptiuos meos, qui sunt nobiles in apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo*. Potest fieri vt secundum carnem isti cognati fuerint Apostoli. Iudæique similiter existentes, & sunt exules effecti propriæ sedis ob gratiam *Actu. 13.* fidei, sicut & Paulus quando appellauit Cæsarem. Crediderunt autem ante illum in Christum, & nobiles habiti sunt in apostolis, id est apud apostolos duodecim: de quibus & illud intelligere possumus, quòd fortasis ex illis septuaginta duobus apostolis fuerint & ipsi nobiles. *Salutate eos qui sunt ex Aristobuli domo*. Iste Aristobulus congregator intelligitur fuisse fratrum in Christo credentium: cuius factum sic probat, vt eius discipulos sua salutatione dignos ducat. *Salutate Appellem probũ in Christo*. Licet quidam faciant ex hoc duo nomina propria, dicentes ita: Salutate Appellem & Probum, non est illud, sed vnum nomẽ est proprium cum adiectiuo. Salutate (inquit) Appellem probum, id est, probatum in fide, & laude dignum. Probũ etenim dicimus probatum & laudabilem. *Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo*. Iste Narcissus (vt in aliis codicibus inuenitur) presbyter erat tunc temporis, *Salutate Rufum electum in domino*, id est, promotum ad sacerdotium, *& matrem eius atque meam*, per adoptionem amoris. Hæc mulier magna religione pollebat, quæ apud Apostolum hoc donum promeruerat, vt mater apud illum vocaretur. Non enim putandum est, in istis salutationibus inaniter fieri per singulos quosque laudis & salutationis differentiam. Qui enim scit quia Christus loquitur in Paulo, certus est quòd pro vitæ merito, alius quidem probus dicitur ab eo, alius charissimus, alius laborans in domino, alius electus, vt hic Rufus (de quo nunc sermo est) electus in domino salutatur: & mater illius mater apostoli dicitur, causa summæ dilectionis. *Salutate inuicem in osculo sancto*, id est in osculo non ficto, vel subdolo, quali osculo tradidit Iudas Saluatorem. Vel quali osculantur incesti alios causa immunditiæ: quod osculum non castum vocatur, sed columbinum, & est sensus, Iam quia ego non sum præsens, vt vos possim omnes osculari, osculamini vos inuicẽ mei amoris causa, cum acceperitis hanc epistolã. Ex hoc loco aliíque si-

Universidad de Deusto
Biblioteca

milibus,mos traditus est ecclesiæ,vt conuenientes fideles in ecclesiã ad audiendum verbum diuinum missarúmque celebrationem,post orationes osculo dilectionis suscipiãt se inuicem. *Rogo autem vos fratres,vt obseruetis eos qui dissensiones faciunt.* id est,declinate ab illis, qui discordias & rixas mouent inter vos.Cõtra pseudo apostolos & Iudæos non recte credentes loquitur ista. *Huiusmodi enim,* subaudis homines,qui dissensiones generant inter vos,discurrendo de domo in domum,adulantes & laudantes quosdã, alios verò detrahentes, & concitantes vnum aduersus alterum per detractiones, *non seruiunt Christo sed suo ventri,* quia ideo adulantur aliis,& detrahunt aliis, vt possint suum vẽtrem implere: *& per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum.* Ad hoc,inquit,prædicant,& dulces sermones adulationis & benedictionis proferunt,vt corda simplicium fratrum seducere possint,& innocentiam eorum auferre valeant. *Vestra enim obedientia,* qua obedistis euangelio venientes ad fidem, *in omnem locum* vestræ potestatis, *diuulgata est,* hoc est quod in principio huius epistolæ dixit:Gratias ago deo meo,quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. *Gaudeo igitur in vobis,* ô Romani,quia credidistis,sicut & ego *volo vos sapientes esse in bono:* vt quicquid sapitis & intelligitis,totum opere studeatis implere: *simplices autem in malo,* vt vitia & omnia quæ mala sunt,vitetis & contemnatis.Simile est hoc illi dicto,quod ad Corinthios scribit, dicens: Malitia paruuli estote,sensu autem perfecti estote:ac si diceret aliis verbis: Bonum sapite faciendo,malum ignorate vitando:& ita in vobis implebitur quod subditur: *Deus autem pacis,* qui pacem amat , & pacem tribuit suis, *conteret sathanam sub pedibus vestris velociter.* Sathanas in lingua nostra interpretatur aduersarius:& potest in hoc loco significare diabolum & Neronem , qui Christianis aduersabatur.Possumus etiam & omnia aduersa per hoc nomen intelligere, quæ animæ tẽdenti ad deum resistunt,& aduersantur.quæ exorat Apost.conteri & subiici potestati illorum. Deus pacis,cui pax placet,conterat hoc quod contrarium est paci, & dissensiones operatur. Quod autem dicit,sub pedibus,vel simpliciter accipiendum est sub potestate,vel etiã in breui tempore & velociter. *Salutat vos Timotheus adiutor meus* in prę-

Sup.1.

1.Cor.14.

in prędicatione,*& Lucius,& Iason,& Sosipater,cognati mei.* Timotheum adiutorem suum dicit:omnésque simul cognatos appellat.Et quidem de Timotheo plenissime fertur in Acti.Apost.quòd fuerit ex Derben,filius mulieris viduæ, fidelis,patre gẽtili.Ipse quoque Apost.dicit, quòd propter ea rogauerit eum manere Epheſi,vt denuntiaret quibusdam ne aliter docerent,neque attenderent fabulis & genealogiis infinitis.Lucium autem,quidam ipsum perhibẽt Lucam esse, qui euangelium Actúsque Apostolorum scripsit.B.enim Apost.non curat de proprietatibus nominum, pro eo quod soleant nomina interdum etiam secundum patriam declinationem,interdum etiam secundum Græcam Romanámq; proferri. Iason ipse est,cuius mentionẽ liber Actuum Apost.facit.Sosipater ipse fuit filius Pyrrhi Berœensis. *Salutat vos Gaius hospes meus.* Iste est Gaius cõ captiuus, qui baptizatus est ab Apostolo sicut ait in epist. ad Corinthios:Gratias ago deo meo quòd neminem vestrum baptizaui,nisi Crispum & Gaium. *Saluto vos ego Tertius , qui scripsi epistolam hanc in domino.* Tertius , proprium nomen est scriptoris credentis,qui Apostolo dictãte hanc scripsit epistolam,cui concessit Apostolus suo nomine plebem Romanam salutare:& vocatur Tertius nomine,non numero. *Salutat vos Erastus arcarius ciuitatis.* Erastus arcarius erat ciuitatis Corinthiorum , id est princeps vel dispensator,qui præerat arcæ vbi ponebantur census regis tributorum & vectigalium Quod autem addidit, *& Quartus frater.* proprium est nomen,sicut & Tertius.*Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis.Amen.* Gratia dicitur gratis data,& nomine gratiæ debemus intelligere quicquid boni gratis accipiunt electi à deo,fidem videlicet,spem,charitatem,remissionémque peccatorum. *Et autem* honor in secula seculorum, *qui potens est vos confirmare* in fide perfecta & in omni bono, *iuxta euangelium meum.* videlicet vt sic stitis confirmati , sicut monet euangelium quod prædico,vt de eo nihil vobis desit.Quod autem subdit, *& prædicationem Iesu Christi,* ipsum est quod euangelium.quia Christus illud prædicauit, *secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti,* id est,absconditi ante æterna tempora,intellige secula immensa quæ præcesserunt mundi exordium,à cuius exordio homine crea-

Actu.19.

1.Cor.2.

to potuit reuelari mysterium sanctæ trinitatis, & mysterium dominicæ incarnationis, passionis, & cætera talia: sed noluit tam venerabile mysterium omnipotens pater nisi paucis innotescere, præsertim cum homo neglecto deo, se totum diabolo concesserit. Igitur à temporibus æternis, quę præcesserũt creationem mundi, & (vt ita dicamus) ex quo mundus cœpit esse, tantum occultúmque fuit mysterium sanctæ trinitatis, *quod nunc* in aduentu Christi *patefactum est* ab ipso Christo *per scripturas prophetarum*, qui de illo mysterio aliquando apertis, aliquando obscuris prophetauerunt sermonibus, verbi gratia: Dixit Moyses: In principio creauit deus cælum & terram: & spiritus dei ferebatur super aquas. Ecce trinitas, sed non nisi à paucis intelligebatur. quid dicit Christus? Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à patre meo, & alibi: Baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & spiritussancti. De natiuitate quoque illius dixit Esaias propheta: Ecce virgo concipiet & pariet filium. Natus est Christus de virgine, patefecit mysterium propheticæ scripturæ. De sepultura etiam illius dicit idem propheta, Erit sepulchrum eius gloriosum. Sepultus est Christus, patefactum est illud mysterium quod latebat. Quid plura? Surgens à mortuis, aperuit discipulis sensum vt intelligerent scripturas. Illis intellectis & cognitis, cognouerunt mysterium iam esse completum & manifestum, quod antea latebat. Concordantibus enim & adimpletis in Christo de conceptione, natiuitate, morte, atque ascensione mysteriis, & cæteris propheticis annuntiationibus, nulla remanet iam dubitatio, quin per prophetas patefactum sit mysterium, à seculis & temporibus æternis occultum, *secundum præceptum æterni dei*: quia præcepit filius Dei, qui vnius substantiæ est cum patre & spiritussancto, dicens: Euntes in mundum, prædicate euangelium omni creaturæ, & baptizate omnes gentes in nomine patris, & filij, & spiritussancti, *ad obedientiam fidei in omnibus gentibus*, id est vt omnes gentes obediant fidei & euangelio eius. Quod ergo dixit, Ei honor & gloria in secula, manifestare voluit, subiungens. *soli sapienti deo cognito per Iesum Christum* id est, patri & filio & spiritui sancto, qui vnius substantiæ sunt, & qui in trinitate vnus est deus. Ideo autem dixit, cognito per Iesum Christum, quia per illum

Gene. 1.

Ioan. 15.
Mat. 28.

Esa. 7.

Esa. 11.

est cognitus & manifestatus deus pater & spiritussanctus, mysterium videlicet trinitatis. Sapiens autem deus non ex accedenti vel accidenti dono, sicut Salomon, aut aliquis hominum, sed essentialiter dicitur sapiens, & est, quia nihil est ei aliud esse, quàm sapientem esse: nec sapientem esse, quàm esse. Finis huius epistolæ in Græco apertior habetur, in quo scripta est epistola. Nam quod dicit, *ei honor & gloria*, & postea addidit, *cui*, cum sufficeret quod præmissum habebat, Ei gloria, inusitato nostræ locutionis genere vsus est. Et quod dixit, *in secula seculorum*, morem sacræ scripturæ tenuit, & immensitatem temporum per hoc voluit designare, & tale est ac si diceret, in omnia futura secula, honor & gloria sit omnipotenti deo. *Amen* autem idcirco suppositum (quod est iuramentum vel affirmatio in lingua Hebræa: latine autem sonat verum) vt confirmaret omnia vera esse: quæ per totum textum huius epistolæ ab eo scripta sunt.

FINIS. EPISTOLÆ ROMANOS.

IN EPISTOLAM AD CORINTHIOS PRIOREM. ARGUMENTUM HAYMONIS.

PRæcepto domini Saluatoris admonitus Apostolus Paulus, venit Corinthum, quæ est metropolis ciuitas Achaiæ, prouinciæ græcorum, vbi moratus est anno integro & mensibus sex: ibíque constanter prædicauit euangelium, tantum vt pene omnes eiusdem ciuitatis habitatores ad fidem Christi conuerteret. Sed postquam ipse discessit ab eis, multi illorũ seducti sunt à Iudæis & pseudoapostolis. Quod audiens Apostolus, scripsit eis hanc epistolam ab Ephesò, & misit per Timotheum, volens eos ad fidem Christi reuocare, quia ad tempus ab eo recesserant, & reliquos confirmare.

IN EPISTOLAM PAVLI ad Corinthios priorem exegesis.

CAPVT I.

PAulus, vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem dei. subauditur patris. De nomine Pauli in epistola ad Romanos, prout melius cognoscere potuimus, authoritate doctorum dicere studuimus. & quomodo ipse vocatus sit Apostolus. In hoc autem quod dicit, vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem dei patris, ostendit vnam voluntatem esse patris & filij. Sicut enim vnius substantiæ, vnius maiestatis, atque potentiæ sunt pater & filius, ita vnius voluntatis existunt: & qui vocantur à filio, vocantur á patre. Sicut Paulus per filium vocatus est: ita à deo patre Apostolus, id est, missus & legatus, quia legatione euangelij functus est. Quibus verbis percutit pseudoapostolos, nec non & Iudæos, qui dicebant illum non esse à deo vocatum Apostolum. *& Sosthenes frater* in fide, & in prædicatione, non tamen apostolus. Quare interponebat Apostolus nomina discipulorum suorum in suis epistolis? Ob duas causas. Siue vt maioris authoritatis essent, secundum quod dominus
Mat.18. dixit. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. & aliquis diceret, quia vnius mendacio ista excogitata sunt: Siue vt compleret quod ipse docebat, dicens in quo-
1.Cor.3. dam loco: Si cui reuelatum fuerit aliquid sedenti, prior taceat. Nam quando dictabat epistolas, discipuli eius aderant in præsentia: & si forte alicui illorum aliter aut alia reuelata essent per spiritum sanctum, quàm ipse dicebat, quia non spiritussanctus erat in discipulis, quia & in magistro, sicut ab illo dicebatur, ita ponebat in ordinem, non inuidens homo magister discipulis: & insuper nomen illius in exordio cum suo ponebat, quia quandam partem ibi habebat. *ecclesiæ dei quæ est Corinthi.* Generaliter ad omnem ecclesiam id est, multitudinem Corinthiorum scribit, quia carebant illi adhuc episcopo, cui specialiter scriberet. *sanctificatis in Christo*

Christo Iesu, id est per fidem Christi Iesu, per passionẽ eius, per aquã baptismatis, *vocatis sanctis.* Non ideo vocati sunt Corinthij ad Christum per Paulum quòd sancti essent, sed vt sanctificarentur sanctéq; viuerent. *Cum omnibus qui inuocant nomẽ domini nostri Iesu Christi.* Sacerdotum est inuocare dominum pro salute populi: vt de ipsis dicitur in veteri testamento, vos inuocabitis nomen meũ, & ego benedicam eis. Et in Psalmo: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, *Psal.98.* Samuel inter eos qui inuocãt nomen eius. Hoc dupliciter potest intelligi, cum omnibus (subaudis sacerdotibus) qui inuocant nomẽ domini: vel cũ omnibus, Iudæis credentibus, cum eis habitãtibus, *in omni loco ipsorum & nostro*, subaudis salutẽ optamus. In omni loco ipsorũ, id est vbicũque illi fuerint, qui apud illos sunt & apud nos, salutẽ optamus cum eis. *Gratia vobis* sit, id est fides, remissio peccatorum, *& pax*, qua reconciliamur deo patri per passionem Christi, *a deo patre, & domino Iesu Christo.* Spiritussancti persona in donis suis accipitur, in remissione videlicet peccatorum & pace, quia dominus discipulis promisit inquiens, vos autem baptizabimini in spiritusancto. *Gratias ago deo meo,* *Lucæ.3.* id est, gratias vel laudes refero deo meo, *semper pro vobis.* Cũ dixit Apostolus, Gratias ago deo, id est laudes: nõ sine causa addidit, meo, cum enim omnium creaturarum vnus sit per naturã atq; potẽtiam, eo quòd sit creator omnium illorum: tamẽ proprie dicitur deus esse, qui merito fidei & iustitiæ eius cultores esse probantur: sicut beati Pauli, aliorúmque apostolorum. Hinc dicitur, Ego sum deus Abra- *Exod. 3.* ham, deus Isaac, & deus Iacob, per gratiam & vitæ meritũ, & quare dicit se gratias agere deo semper pro salute illorum, cũ nemo hominũ semper possit intentus esse orationibus aut gratiarum actionibus? Nã sicut in scripturis patrum legimus, Apostolus ab hora prima vsque ad quintam operi manuũ insistebat, ab hora autem quintã vsq; ad decimã prædicationi operã dabat, post decimã verò iterum procurabat pauperũ peregrinorũq; hospitalitatẽ, suiq; corporis necessitatẽ: per noctẽ verò orationi intẽtissime insudabat. Igitur propter nimiam assiduitatẽ, qua per singulos dies & noctes deo gratias referebat, tã pro Corinthiis quàm pro omnibus quos Christo acquisierat, dixit se gratias deo semper referre pro illis, *in gratia dei*, subaudi patris,

id est pro remissione peccatorum, *quæ data est vobis*, subaudis gratis à deo patre, *in Christo Iesu*. Hoc est per fidem Christi Iesu. Illis enim tantummodo largitur deus pater gratiã suam, id est remissionem peccatorũ, quos videlicet veraciter cognoscit credere in filiũ suũ. Gratia dicitur gratis data. Et non immerito remissio peccatorum & fides, gratia dei appellatur, quia quicquid donorum habemus, dei gratia est: quoniam gratis nobis tribuitur nullis præcedentibus meritis. *Quia in omnibus diuites facti estis in illo*, hoc est in Christo. In quibus rebus erant illi diuites effecti? in fide, in doctrina, in diuersitate linguarum, in efficatia miraculorum. Istæ sunt diuitiæ spirituales, quibus ditantur electi. *in omni verbo*, id est in doctrina noui testamenti, *& in omni scientia*, subaudis veteris & noui testamenti: vel (vt ita dicamus) in omni sapientia & scientia, siue in intellectu veteris & noui testamenti, *sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis*. Testimoniũ Christi appellat euang. in quo narrantur testimonia natiuitatis Christi, miraculorũ quoque, necnon & passionis, resurrectionisque eius, & ascensionis ad cælos, & aduentus illius ad iudicium. Quæ testimonia Christus ante passionem suam prædixit, & omnia in morte sua confirmauit. Videamus vnum testimonium ex multis, & consideremus quomodo illud prædixit, & quomodo confirmauit, longe ante passionem suam dixit discipulis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas, de filio hominis &c. vsque dum ait: Et die tertia resurget. Sic omnia illo veniente Hierosolymam completa sunt, quia traditus est gentibus, Pilato scilicet, & militibus eius, illusus est, occisus, & die tertia resurrexit, vnde dicit Apostolus: Sicut testimonium Christi, id est euangeliũ, confirmatum est in vobis, hoc est creditum est à vobis, & confirmatum in vestris cordibus: quia omnia creditis vera esse, quæ ibi cõtinentur, *ita vt nihil vobis desit in vlla gratia*, id est neque in fide, neque in doctrina, neque in diuersitate linguarum, neque in virtute miraculorum. Quæstio oritur in hoc loco. Si Corinthij diuites erant facti in omni verbo, & in omni scientia, & si cãta gratia erant repleti, vt nihil eis deesset gratiæ (sicut in sequentibus dicitur) quare Apost. in subsequentibus huius epistolæ locis dicit illos contentiosos esse, & insuper addit

Luc. 18.

dit, ad verecundiã vestram dico? Quæ hoc modo soluitur. Sicut in omnibus ecclesiis duo sunt genera hominum, bonorum. s. & malorum, ita apud Corinthios tunc temporis erant. Primum ergo Apost. à laudibus cœpit & gratiarum actione, alloquens eos qui in fide bonisque operibus perfecti erant, abũdantes diuitiis spiritualibus, vt ipsi semper in melius proficerent: sicque postmodum fortiter cœpit redarguere illos qui in fide errabant, dissensionésq; seminabant, more peritissimi medici agens, qui vulnus secandum videns, sed ægrum timidum esse conspiciens, diu palpat sana mẽbra, subitóq; percutit: more etiam arietis, qui primũ humiliato capite incedit, sed postmodũ fortiter ferit. Primũ enim laudauit bonos, & deinde percussit malos: verecundæ etenim mentes, nisi fuerint palpãdo reprehẽsæ, ita vt ex aliis rebus audiãt quod in consolationem sumãt, per increpationem durã protinus ad desperationé cadũt, *expectantibus reuelationẽ domini nostri Iesu Christi*. Reuelatio manifestatio est. Christus ergo modo absconditus est quodammodo, & non apparet, quia nõ videtur à nobis nisi mente. Videbitur autem in die iudicii, quando se manifestabit omnibus hominibus, tam electis quàm reprobis, sicut dicit scriptura, immo propheta per scripturã, videbit omnis caro salutare dei: & tunc dabit electis gloriam quã eis promisit, & vitã sine fine mãsuram, vnde Apost. aliàs, Mortui, inquit, estis peccato, & vita vestra abscondita est cũ Christo in deo. Cum autem Christus apparuerit in vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria: quia eritis sicut angeli dei in cœlo: & quod maius est, similes ei erimus spiritu, quoniam videbimus eum sicuti est. *Qui & confirmabit vos*, id est roborabit in sua fide & in bonis operibus, *vsque in finẽ*, id est vsq; ad diẽ mortis vestræ, vel vsq; ad diẽ iudicij, *Sine crimine*. Non dicit sine peccato, sed sine crimine, id est sine capitali peccato, quod à regno cœlorũ separat. Nã nullus homo est super terram, qui faciat bonum, & nõ peccet, aut in verbo, aut in cogitatione. Vnde & Ioannes ait: Si dixerimus, quia peccatũ non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis nõ est. Quod autẽ dicit, cõfirmabit vos vsq; in finem, hoc exposuit, subnectens, *in die aduentus domini nostri Iesu Christi*, quando ipse veniet reddere vnicuique secundum opera sua. Duæ autem sunt

1. Ioan. 3.

vocationes: vna est, quæ fit singulis hominibus, quando ab hac vita per mortem corporis transeunt, vocati à domino. Altera erit generalis in die iudicij, quando omnes tã boni quàm mali ad iudicium vocabuntur: & quos in ista prima vocatione inuenerit deus omnipotens benè laborãtes, illos vtiq; in secunda nõ vocabit, ad hoc vt damnet cum reprobis, qui audituri sunt, Ite maledicti in ignem æternum, sed potius vt remuneret cum electis, quibus dicturus est: Venite benedicti patris mei, percipite regnum vobis paratum ab origine mundi. In omnibus enim verax apparebit, sicut sequentia manifestabunt. *Fidelis deus, per quẽ vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi.* Fidelis pater dicitur, quia verax est & completor suí sermonis. Promisit enim Abrahæ daturum se illi terram peregrinationis suæ, & quod in semine eius benedicendæ essent omnes gentes, id est in Christo: compleuitq; illud (sicut modo cernimus) & promisit nobis per filium suum regnum cælorũ, in quo verax apparebit vtique, quia dabit illud nobis, si permanserimus in fide eius. Societatem hic secundum Ambrosium fraternitatem debemus accipere. Fidelis (inquit) deus pater & verax est, qui dabit omnia bona patriæ cælestis, per quẽ deum patrem vocati estis in societatem, id est in fraternitatem filij eius Iesu Christi, vt simus fratres Iesu Christi, & filij eius, non per naturam, sed per adoptionem. Per filium suum vocauit nos ad fidem suam, vt sit ipse nobis pater, & simus nos fratres filij eius. Quicunque enim in deum veraciter credit, eiúsque voluntati obtemperat, ipse vtiq; frater domini nostri Iesu Christi est, non per naturam, sed per gratiam adoptionis, sicut ipse dicit in euangelio: Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est: & ad mulieres post resurrectionem: Ite, inquit, nunciate fratribus meis. *Obsecro autem vos fratres, vt ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Hactenus laudauit illos qui permanserunt veraciter in fide, amodo verò ex hoc loco incipit redarguere illos, quia diuisiones (quę schismata græce appellantur) seminabant, dicentes se potius filios hominum à quibus baptizabantur, sicut sequentia manifestant, quàm filios dei. Quapropter dicit eis Apostolus: Obsecro vos fratres per nomen domini saluatoris, per quod saluati estis, vt idipsum dicatis omnes

Matt. 7. *Matt. 9.*

omnes, subaudis quod ego dixi superius, quia filij dei estis, non dicentes vos filios alicuius hominis, sed dei. *Sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia*, quod vnum est, id est in eodem intellectu manete, quem à me accepistis, & dicite vos filios esse dei, sicut dicebatis quãdo à vobis discedebam. *Significatum*, id est relatum *est enim mihi de vobis fratres mei ab his qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos.* Chloes locus est, & tale est ac si diceret, ab his qui sunt Antiochiæ, aut aliquid tale. *Ego quidem sum Pauli*, subaudis filius, vel baptismate baptizatus. Apud Corinthios emerserant hæretici post discessum Apostoli, maxime hi qui ex circuncisione erant Iudæi credentes, qui quoscunque baptizabant, suos esse dicebant filios, baptizantes eos in nomine suo: & illi qui ab eis baptizabantur, gaudebant suos appellari filios esse illorum à quibus baptizati fuerant: credentes verò, qui erant fidem & doctrinam Apostoli tenentes, dicebant: Ego sum Christi, quod vtique bene dicebant, quia sic est dicendum. Similiter factum est quodam tempore quando exurrexit Donatus & Nouatianus hæretici, qui quoscunq; poterant ab ecclesia expellebant, iterúmque rebaptizabant, & dicebant suos esse filios: & illi gaudebant se appellari Donatistas & Nouatianos. Ergo Apostolus vt comperit talia geri apud Corinthios, scripsit eis ista quæ dicuntur hic, errorem illorum ostendens, sed nomina authorũ non prodens. Maluit enim in suam & in aliorum fidelium doctorum personam ista transferre, quàm illos prodere, ne deteriores efficerẽtur. Si enim ita esset vt illi volebant, vt omnes à quo baptizabantur, illius essent filij, quasi eius baptismate baptizati, quot essent baptizatores, tot essent baptismata, cum vnum sit baptisma Christi, sicut vnus deus, & vna fides. Dominus Iesus ministerium quidem tingendi corpora dedit suis discipulis, gratiam autẽ baptizandi, id est, peccata dimittendi nulli tribuit, sed sibi proprie retinuit, sicut Ioannes dicit de eo turbis: Ipse vos baptizabit in spiritu sancto, & iterũ, Et ego (inquit Ioannes) nesciebam eum, id est nesciebam quòd potestatem baptizãdi sibi esset reseruaturus: sed qui misit me baptizare, deus pater videlicet, ille mihi dixit, Super quem videris spiritum descendentem, & manentẽ super eũ, hic est qui baptizat in spiritu sancto. In tantũ ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

retinuit sibi Christus potestatem baptizandi, vt sicut dimittuntur ei omnia peccata, qui à sancto & innocente viro tingitur in aqua, ita & illi qui à peccatore & scelerato, modo in nomine sanctæ trinitatis illud fiat. Meritũ enim vitæ baptizantis siue agentis, nec prodest nec obest in hac parte illi qui baptizatur. *Diuisus est Christus*, subaudis, si ita est vt dicitis. Nõ affirmatiue neque interrogatiue hoc legendum est, sed sustẽsa voce. Christus quodam modo dicitur diuisus esse, quando honorem & gloriam eius, quam sibi proprie ipse retinuit, hæretici inter se partiuntur, dividentes eius baptismũ. Similiter hæretici diuidebant Christum, quando aliqui dicebant illum verum corpus non habuisse, sicut Manichæi: quidam non habuisse animam, vt Apollinaristæ: quidam minorem patre, vt Arrius. *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est?* subaudis non. & est sensus: in illius nomine debetis baptizari, & in illius baptismate debetis credere vos posse saluari, qui pro vobis crucifixus est. *Aut in nomine Pauli baptizati estis?* Hic ponit se Apostolus pro omnibus illis, in quorũ nomine se dicebant esse baptizatos, ideóque à se cœpit, ne forte dicerent illi hæretici: Idcirco Paulus talia prohibet, ne aliquis dicat se nostro baptismate baptizatum, & nostrum filium esse, & ipse sibi vendicet omnem honorem. *Gratias ago deo meo quòd neminem vestrum baptizaui, nisi Crispum & Gaium*, qui fuerunt primitiæ Achaiæ. Baptizauit quidem Paulus tanquam minister, non tanquam ipsa potestas: & idcirco ipse gratulabatur, quòd plurimos illorum non baptizauerat, vt quia error sub hac re cœperat oriri, si ipse plurimos baptizasset, multo magis ex eius nomine augeretur error, & dicerent: Ego sum Pauli. *Baptizaui autem & Stephanæ domum.* Nobilis matrona Stephana extitit, cuius familiam baptizauit Apostolus. vtrum verò ipsam baptizauerit, an in infidelitate permanserit ignoratur. *Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare.* Magis electus est Apostolus vt euangelizaret, quàm baptizaret: quia plus est euangelizare, quàm baptizare. Omnis enim qui euangelizat, potest, & baptizare: sed non omnis qui baptizat, idoneus est & euãgelizare: In episcopo omniũ ordinũ dignitas est. Caput est enim cæterorũ mẽbrorũ. Et Apostolus qui pótifex erat, oés gra-

dus ecclesiasticos habebat. Ideóque & baptizare & euangelizare poterat, sed maxime prædicationi insistebat, sicut alij apostoli. Discipuli verò eius baptizabãt, sicut legimus, *Actu. 10.* Petro veniente ad domum Cornelij, postquam cecidit spiritus sanctus super omnem domum eius, præcepit eos Petrus à suis discipulis baptizari. In primordio etenim fidei omnes baptizabant, & non solum viri, sed etiam fœminæ, si quando necessitas imminebat. Sed ne tantum mysterium vilesceret, aut non recte à simplicioribus impleretur, crescente numero fidelium per vniuersas ciuitates & villas, decretum est à sanctis patribus, vt episcopi tantum & presbyteri baptizarent: & si necessitas fuerit, diacones. *nõ in sapientia verbi*, subaudis misit me Christus euangelizare, *vt non euacuetur crux Christi*. i. vt non annihiletur passio crucifixi Christi. Hæretici & philosophi prædicabant in sapiẽtia verbi. hoc est, culto & polito sermone, vt placerent suis auditoribus: & ipsi apparerẽt docti: vel etiã in sapientia verbi prædicabant, quia ea quæ mundus, id est, amatores huius mundi, & philosophi humanæ sapientiæ stulta putant, non prædicabant illi. Verbi gratia, Christi natiuitatem ex virgine, mortem, & resurrectionem, quæ omnia illi denegabant, dicentes non posse aliquid gigni, nisi ex cõmixtione alterius seminis: & deum qui spiritus est, non esse hominem factum, neque filiũ dei mori potuisse: sed quando voluit apparuit, & quãdo noluit recessit, neq; resurrexit, quia nõ mortuus est. Ista omnia philosophi & hæretici, quia per humanam sapiẽtiã penetrare non poterant, dicebant mẽdacium esse, & annihilabant passionẽ Christi. Sed Apostolus prædicabat simplicibus verbis Christum esse natum de virgine, mortuum, & resurrexisse, vt auditores eius intelligere possent quæ loquebatur. Quicunque enim fidẽ Christi verbis vult exornare, non dei gloriam, sed propriã quẽrit. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salui fiunt, id est, nobis, virtus dei est.* Quid ergo dicit verbum crucis? Crux quæ inanimata & insensibilis res est, quomodo potest loqui verbum dei? Verbum crucis dixit, id est, euangelium & prædicationem crucifixi Christi: in infidelitate manentibus, & non intelligentibus virtutem dei & sapientiam, stultitia est filium dei dicere crucifixum: credentibus verò & fidem habentibus, qui per pas-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sionem sunt redempti, virtus dei est ipsa passio, quia per illam merentur saluari. *Scriptum est enim* in Esaia, *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo.* Non sapientiam quam ipse deus dat, perdit siue reprobat, sed humanam, quam ipsi homines sibi adinueniunt deo permittente, dialecticam videlicet, cæteráſque artes, per quas sperant sapientes esse, illam ad nihilum deducit, & stultam esse manifestat. *Vbi sapiens? vbi scriba?* Hoc ad Iudæorum sapientes, scribas videlicet, & pharisæos pertinet. *vbi inquisitor*, vel cõquisitor *huius seculi?* Hoc ad philosophos pertinet gentium, qui de sapientia conquirebant, & de cęteris occultis & abditis rebus, & de naturis creaturarum: & maxime ad astrologos, qui cursu & moderatione duodecim signorum, solis quoque & lunæ, & quinque planetarũ, dixerunt omnia quæ in terris aguntur, consistere, & deum non curare de his quæ in terris aguntur, neque de hominibus, neq; de animantibus. De his ergo dicit Apostolus: Vbi sunt modo sapientes & scribæ Iudæorum? & Vbi sunt philosophi gentium & astrologi? In ecclesia nullum habent locum. *Nónne stultam fecit deus sapientiam huius mundi?* id est nunquid non fecit, id est, demõstrauit deus stultam esse sapientiam amatorum mundi, & philosophiam, dũ complere uit opere quod illi denegabant? Vtique illi negabant posse aliquid gigni, nisi commixtione maris & fœminæ. Deus autem omnipotens ostendit sapientiam illorum non esse veram, dum filium suum constituit nasci ex virgine, sic etiam resuscitauit eum à mortuis, licet illi negarent resurrectionem. *Nam quia non cognouit mundus*, id est amatores mundi & philosophi, *per sapientiam* suam mũdanam, *deum* patrẽ, *in dei sapientia*, id est, in filio, qui est sapientia dei patris; *placuit deo*, subauditur patri, *per stultitiam prædicationis*, id est, per prædicationem euangelij, quam illi stultitiam dicebant, *saluos facere credentes.* Sensus huiusmodi est. quia sapientes istius seculi confidentes in sua sapientia humana, noluerunt credere in Christum, qui est sapiẽtia dei: neque in illo etiam voluerunt cognoscere deum patrem. vel quia noluerunt credere vera esse quæ in sapientia dei erant, id est, euãgelio, permisit eos deus perire in sua incredulitate, & placuit ei per illam prædicationem quam illi putabant esse stultitiam, saluos facere illos qui credere voluerunt.

Quoniam

Quoniam & Iudæi signa petunt. In hoc q̃ credunt deo omnia possibilia esse, quærunt semper signa, quomodo illud factum sit, de quo sermo agitur. Sic fecit Abraham, quando dixit ad deum, In quo scire potero q̃ daturus es mihi terram hanc in possessionem? sic Gedeon, & alij plurimi. *& Græci sapientiam*, subaudis humanã *quærunt*, id est, philosophiam. Quia septem liberales artes apud illos præcipue viguerunt. Ideo pro nihilo ducunt simplicem doctrinã fidelium. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum*, id est, rixam & cõtentionem, *gentibus autẽ stultitiam.* Apostolis prædicantibus mysteria humanitatis filij dei, videlicet quomodo natus est ex virgine, quomodo miracula multa fecit, quomodo Iudæi Christum crucifixerũt innocentem, & quomodo ipse resurgens ascẽdit ad cœlos, scandalizabantur Iudæi, id est, rixabantur siue contendebant, dicentes nullo modo esse verũ, vt virgo pareret. vt ipsi dei filiũ interfecissent, sed magum quendam, à cuius discipulis dicunt inuenta esse illa, quæ in euangelio de eius resurrectione & ascensione referuntur. quæ omnia denegant vera esse. Dicũt inter cætera: Christus quẽ dicitis vos iam venisse per virginẽ, nondũ venit, quia nobis promissus est, nec nascetur ex virgine, sed Dauid resurget, & ipse erit noster Messias. Similiter philosophis gentiũ stultum visum est, vt filius dei qui est author vitæ, pro hominibus moreretur: & dum ea audiebant prædicari de Christo, quæ ratio mundana & philosophorũ sapientia penetrare nõ poterat, constricti stultitiam esse illud dicebant. Ipsi enim dicebant virginem non posse sine semine viri parere, & resurrectionem negabant. *ipsis autem Iudæis vocatis*, subaudis ad fidem Christi, *& Græcis*, id est, gentibus similiter prædestinatis ad vitam, & credere volentibus, *Christum dei virtutem & dei sapientiam.* subaudis prædicamus esse. Christus virtus dei est patris, quia per illũ deus pater omnia fecit. ipse est etiam sapientia eius, quæ dicit per Salomonem: Ego sapiẽtia ex ore altissimi prodij primogenita. & de qua Psalmista ad deũ patrem: Omnia, inquit, in sapientia fecisti, id est, per filiũ. Ipse enim recte dicitur sapientia & verbũ patris, quia per illum deus pater semetipsum manifestauit hominibus, verbi gratia: Sicut homo per verbũ suum manifestat volũtatem suam, Vnde ipse filius dicit in euangelio, Pater ma-

Gene. 15.

Eccle. 24.

Psal. 103.

nifestaui nomen tuũ hominibus. *quia quod stultum est dei,* id est quod stultum ab hominibus putatur, *sapientius est hominibus,* id est, humanam sapientiam transcendit, & est sensus: Quod homines stultũ putant esse, vt deus omnipotens pater filium suũ ad passiones, ad mortem perferendã mitteret in mundum, omnem sapientiã philosophicam transcendit: & quia penetrari ab ipsis non potest, stultum dicũt esse, & nolunt credere: non quia vere stultum est, sed sapiẽtius omni sapientia mundana. *& quod infirmum est dei, fortius est hominibus,* id est quod illi putant & dicunt infirmum esse, q̃ filius dei potuisset mori, fortius est omnibus hominibus, & omni fortitudine gygantũ. Quomodo? Quia mortem quã gygantes euadere non potuerunt, infirmitas crucifixi Christi superauit. Quamobrẽ infirmũ dei quod illi dicunt esse infirmũ, non est infirmũ? Quia infirmitas Christi magna victoria est. Superauit enim diabolũ, superauit mortem. *Videte,* id est, considerate, & in vobisipsis probate, *Vocationem vestram,* subaudis qua vocati estis ad fidem Christi, *quia non multi sapientes,* subaudis à deo vocati sunt ad fidẽ prædicandam & euangeliũ, & cætera, vsque ad id quod sequitur *sed quæ stulta sunt mundi, elegit deus, vt confundat sapiẽtes,* id est piscatores & pauperes atque idiotas, quos potentes huius seculi & philosophi stultos deputabant, & pro nihilo ducebant. *& infirma mundi elegit deus, vt confundat fortia:* id est vt mendaces ostendat & erubescere faciat philosophos & potentes huius seculi. Apostolos appellat infirma mũdi, vel quia stulti videbantur sapientibus huius seculi, & infirmi sensu atq; intellectu mũdano: vel propter infirmitatem filij dei quem prædicabant. Videamus quomodo per ista infirma mundi ostendebat mendaces potentes & fortes huius seculi, & quomodo faciebat eos erubescere. Prædicantibus apostolis mysteria humanitatis filij dei, dũ à philosophis contradicerẽtur omnia quasi mẽdacia, præcipiebant apostoli afferri mortuos duos siue quinq; vel etiã amplius: & dũ eos per inuocatiõnẽ filij dei crucifixi suscitabant, apparebant philosophi & potentes mundi mendaces, & illi veraces. *& ignobilia mundi.* id est quæ sine nomine dignitatis erant, *& contemptibilia,* id est despicabilia, *elegit deus,* apostolos videlicet, qui despectui habebantur, *& ea quæ non sunt,* subaudis elegit, eosdem scilicet apostolos, qui

Ioan. 15.

qui nullius dignitatis vel vtilitatis à philosophis & potentibus huius seculi videbantur esse: *vt ea quæ sunt destrueret,* id est vt illorum sapientiam euacuaret, qui apud se aliquid videbantur esse. Et quare elegerit infirma mundi & nõ fortia, manifestat ex parte, dum subdit: *Vt non glorietur omnis caro,* id est omnis homo *in conspectu eius.* Sapientes & potentes non possunt gloriari: quia nõ sunt ab eo vocati propter suam sapientiam aut diuitias: nec habent sapientiam diuinam & diuitias spirituales. Apostoli non possunt gloriari, quia gratis quicquid habent, sine suis meritis à deo perceperunt: & non possunt gloriari propter sapientiam suam & diuitias se esse electos. *Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu.* Ex ipso, id est deo patre estis, quia ab ipso creati estis: vel ex ipso estis in Christo, id est ex deo patre factum est, vt in Christum crederetis, & firmi sitis in fide Christi Iesu. Propositum enim & dispositio dei patris fuit, vt per Christum veritatem & misericordiam eius cognosceremus. *qui,* subaudis Iesus Christus, *factus est nobis sapientia* à deo patre. Non debemus pueriliter intelligere filium dei secundũ diuinitatem esse factum, sed genitum à deo patre ante omnia secula, licet secũdum humanitatem factus sit in vtero virginali opere spiritussancti: sed ita est intelligendum, Factus est nobis sapientia, id est, factus est vt nobis esset sapientia, & nos faceret sapientes. Tale quid in Psalmo habetur: Factus est mihi dominus in refugium, quod nihil est aliud nisi factus est, vt in illo refugium haberemus. Et in propheticis libris: Factum est verbum domini ad Iohel & ad Osee, id est, factum est vt loqueretur verbum domini ad Iohel. Verbum etenim domini non est factum, sed genitum. Dicamus & aliter, factus est nobis sapientia à deo patre, id est, ille qui est genitus ante omnia secula, factus est homo, vt nos faceret sapientes. Simili modo factus est nobis *& iustitia,* quia nos iustificat, *& sanctificatio,* quia sanctos nos facit, & sanctificat nos per baptismum, *& redemptio,* quoniam sanguine suo nos redemit. Et hoc quare? *vt quemadmodum scriptum est,* subaudis in Ieremia, *Qui gloriatur, in domino glorietur,* in domino & non in se gloriatur, qui bonũ omne quod habet, à deo se percepisse fatetur sine suo merito, ideóque non quærit gloriam propriam & laudem, sed illius à quo quicquid habet accepit.

Psal. 104.

Iohel. 1.

CAPVT II.

ET *ego cum venissem ad vos fratres, veni nõ in sublimitate sermonis*, id est, in facundia eloquentiæ *aut sapientiæ* mundanæ, quia nihil vobis per humanam sapientiam polito sermone prædicaui, *annuntians vobis testimonium Christi.* testimonium Christi est euangeliũ, quia ibi sunt testimonia incarnationis eius, passionis, mortis, resurrectionis ascensionisq; ad cœlos, & aduentus ad iudicium. *Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Quod nihil aliud est, quàm nihil vobis aliud prædicaui, nisi Iesum Christum crucifixum. Quæstio oritur in hoc loco, Cum in subsequentibus dicat, Tradidi enim vobis in primis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris: & quia resurrexit tertia die, loquens de mysteriis humanitatis eius, quare modo dicat non alia se prædicasse, nisi Iesum Christum crucifixum, id est passionem eius, Quę hoc modo soluitur, quia in hoc quod dicit Christum Iesum crucifixum, comprehendit omnia mysteria pertinentia ad humanitatem eius. Ille enim crucifigitur, qui ante nascitur: ille moritur, qui crucifigitur: ille sepelitur, qui moritur: ille resurgit, qui mortuus fuerat. ac si diceret aliis verbis Quia vos idonei non eratis ad capienda alta mysteria diuinitatis Christi, licet multa sapientia in me esset, iudicaui siue statui, & decreui in animo meo, ea tantummodo mysteria vobis prædicare, quæ ad humanitatem Iesu Christi pertinent, & quæ vos penetrare possetis. *Et ego in infirmitate*, subaudis corporis, *& timore* mentis, & tremore multo *membrorum*, fui apud vos ò Corinthij. Forsitan veniens Apostolus Corinthum infirmatus est corpore: & timebat nimium, ne in ipsa infirmitate positus interficeretur à pseudoapostolis, quibus contraria prædicabat: & timebat ne Corinthij ab ipsis pseudoapostolis decepti, recederent à rectitudine fidei quam ab ipso perceperant. Vel aliter, In infirmitate sensus fuit apud illos, quia quodammodo infirma videbatur eius sapientia, dum propter infirmitatem auditorum, & tarditatem sensus eorum, non manifestabatur plenissime: in timore etiam & tremore erat timens interfici, vt diximus, ab hæreticis & pseudoapostolis: *& prædicatio mea*, subaudis fuit *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, id est, non philosophico & culto sermone prædicaui vobis Christum, vt vos deciperem & deluderem per obscuritatem verborum, sicut philosophi faciunt: *sed in ostensione spiritus & virtutis*, id est, in exhibitione miraculorum, siue per virtutem Spiritussancti operibus confirmabam meam sententiam vel prædicationem: quia quod dicebam & prædicabam verbis, miraculis roborabam, & ostendebam vera esse. quod philosophi vestri & pseudoapostoli non poterant agere. Hoc autem ideirco faciebã, *vt fides vestra non sit in sapientia hominum*. i. vt per humanam tantummodo sapientiam, *sed in virtute dei*, hoc est in virtute miraculorum probetur. *sapientiam autem* diuinam *loquimur inter perfectos* in fide & sensu, qui valent eam capere. Perfectos hic appellat Apostolos aliósque credentes, qui intantum etiam profecerãt in fide, vt socij essent & adiutores in officio prædicationis, sicut erat Timotheus, Titus, Sosthenes, aliquando quàm plurimi, & est sensus: Nos quidem habemus sapientiam diuinam, sed vos non potestis eam capere, neque tunc poteratis, quia adhuc paruuli probabamini esse in sensu. *Sapientiam verò nõ huius seculi*. id est, mundanam sapientiam non loquimur, qua vtuntur amatores huius seculi, *neque* sapientiam *principum huius seculi* loquimur, id est philosophorum, *qui destruuntur.* Quo modo destruuntur Philosophi & potentes huius seculi? Per mortem corporis rediguntur in puluerem, & destruitur siue annihilatur eorum sapientia. Destructus est Plato & Aristoteles per mortem, & eorum sapientia in ecclesia pro nihilo ducitur. Vel etiam tunc destruebantur illi eorúmque sapientia, dum quod illi per humanam sapientiam edocti, dicebant nullo modo posse fieri, deus omnipotens per Apostolos ostendebat verum esse. verbi gratia: Negabant illi quòd filius dei esset natus ex virgine sine semine viri, eo quòd humana naturã hoc non admitteret: dum per inuocationem eiusdem filij dei Apostoli mortuos suscitabant, euacuabatur & destruebatur eorum sapientia, & ipsi stulti reputabantur. Si ergo Apostoli sapientiam humanam non loquebantur, quid prædicabant? Hoc Apostolus exponit, *sed loquimur* (inquiens) *dei sapientiam quæ abscondita est*

Universidad de Deusto
Biblioteca

in mysterio id est,in obscuritate intelligentiæ.Sapiẽtiam hic duobus modis possumus intelligere,euangelium Christi videlicet,vbi inenarrabilis sapientia latet.vel(quod melius est)sapientiam substantialem,quæ est verbum dei patris,quæ loquitur per sapientiam:Ego sapientia ex ore altissimi prodij primogentia.Istam ergo sapientiam loquebantur Apostoli,quia ipsa loquebatur per illorum ora, & ipsam prædicabant illi.Sed si abscondita erat, quomodo loquebantur illam Philosophis?vtique & potentibus huius seculi erat absc̃dita,& illis erat manifestata per seipsam. Vnde sequitur: *quam* sapientiam,id est,Christum, *prædestinauit deus* pater secundum humanitatem, *ante secula in gloriam nostram* id est,ad glorificationem nostrã,qui credimus per illum,redempti & mundati à peccatis,vt glorificari mereamur adhuc.Igitur ante omnia secula prędestinauit deus pater hominem assumendum à verbo . vt esset verus filius dei,& nos per illũ glorificaremur.Vnde Apost. in epistola ad Romanos ait:Qui prædestinatus est filius dei in virtute.Sequitur: *quam* sapientiam *nemo principum huius seculi cognouit.* principes huius seculi dupliciter intelligendi sunt in hoc loco. Prīcipes huius seculi,id est,Octauian⁹,Tiberius,Herodes,Pilatus,scribæ,& pharisæi,sacerdotésque Iudæorum,non cognouerunt Christum esse filium dei,quia videntes illum hominem esse,videntes eum fatigari,sitire, esurire,non putabant esse deum,vnde Petrus,Scio,inquit, fratres,quia per ignorãtiam hoc feciſtis,sicut & principes vestri.Quid ergo?Si per ignorantiã serui occiderunt filium dei,nunquid immunes sunt à peccato?Absit vt peccatum eis non adscribatur,quia per opera miraculorum poterant cognoscere operatorẽ:quoniam nisi filius dei esset, nequaquam talia facere posset, quæ nemo ante eum alius fecit. Vnde ipse dicit:Si non veniſſem,& locutus fuissem eis,& opera non feciſſem in eis,quæ nemo alius fecit,peccatum incredulitatis non haberent.Et quid sequitur? Nunc(inquit)excusationem non habent de peccato suo.Et quamuis deum esse nescirent,tamen quia rem impiam faciebant & iniustã,innocẽtem dãnantes,nõ erant nescij:ideóq; rei tenentur.Alio modo principes huius seculi possumus intelligere aëreas potestates, dæmones videlicet,per hunc aërem discurrentes,de quibus ipse dicit in epistola ad Ephesios

Eccl.24.

Roma.1.

Actu.3.

Ioan.15.

Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates tenebrarum harũ,contra spiritalia nequitiæ in cęlestib⁹:de quorũ principe dominus ait:Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.&,venit princeps mundi huius,& in me nihil inuenit.Quamuis enim Marcus euangelista dicat de dæmonibus, Sciebant (inquit) illum esse Christum:& ipsa dæmonia, subaudis dicunt:Scimus quia tu es filius dei,tamen nõ veraciter poterant credere illum esse filium dei,videntes illum iterum post facta miracula esurire,sitire,fatigari.Sciebant quidem illum posse esse promissum in lege,sed nesciebant quòd potestatem,quam in hoc mundo tenebant.per illum essent amissuri:& quòd tantæ potentiæ esset futurus.Quapropter subiungit Apostolus de vtroque ordine principum: *Si enim cognouissent*, subaudis principes huius seculi,illum esse filiũ dei: *nunquam dominum gloriæ crucifixissent.* Dominus gloriæ verbum dei patris est,per quod glorificatur de⁹ pater:quia per illud omnia fecit.Sed quærendum est studiosissime, si gloria dei patris verbum eius est:quomodo ipse dominus gloriæ qui spiritus est,potuit crucifigi? Christus filius dei ex duabus substantiis cõsistit,diuina scilicet & humana in vnitate personæ.Diuinitas ergo verbi,quæ genita est à deo patre ante omnia secula,à tẽpore cõceptionis illius hominis,quem assumpsit in vtero virginali, in eodem homine plenissime mansit,& eadem gloria & potestas quæ erat in verbo,cœpit habitare in homine , & factus est ipse homo gloria dei patris,sicut ei de⁹ pater dicit:Exurge gloria mea de sepulchro. Et non solum gloria dei patris est ipse homo, sed etiam deus est.Si enim verbum caro factum est,id est si deus homo factus est,vtique & homo deus factus est.Et tamen hoc est diligentissime attendendum,quia licet Iudæi & principes huius seculi deũ persequerentur:tamen in forma serui crucifixus est ipse , qui erat dominus gloriæ ,& diuinitas impassibilis mãsit.Videam⁹ ex hoc aliquã similitudinẽ,Rutilãte sole,& ex clara lampade fundente lumẽ,radius & splendor eius illustrat & perfundit arborem,dũ ergo adeunt eandem arborem homines cum securibus incidendam:nunquid erigendo & deponendo secures incidũt radios solis,licet arborem incidãt?Sic vtiq; sicut impassibilis manet radi⁹ solis,licet semper videaẽ ferri super arbo-

Ephe.6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem quam illustrat,ita illius diuinitas,quæ omnia implet, impassibilis mansit,quanuis ille quem replebat in cruce passionem sufferret.Multa possent ex hoc dici,sed ista pauca dicta nobis sufficiant,tenentibus firmissime,quia si dæmones Christum esse filiũ dei cognouissent,qui dominus gloriæ est & maiestatis,per quem deus pater glorificatur,nequaquam ad crucifigendum eum Iudæos ac milites Romanorum compellerent.ipsi enim illum crucifixerunt,qui ad crucifigendum suaserunt,& ipsi principes Iudæorum & milites nequaquam illorum suasionibus obedirent ad hoc vt crucifigerent,si filium dei esse veraciter crederent.Sed sicut scriptum est in Isaia, *Quod oculus* corporis *non videt*, quia non est corpus neque color, *nec auris* corporis *audiuit*, quia non est sonus, *nec in cor hominis* humana sapientis *ascendit*: quia cor id est intellectus hominis illuc debet ascendere, *quæ præparauit deus his qui diligunt eum*, id est quæ eum non offendunt corde,verbo, & opere. *Nobis autem* Apostolis & credentibus in se, *reuelauit* Deus *per spiritum suum*, id est,spiritum sanctum,quod non reuelauit dæmonibus,neque philosophis humana sapientibus. *Spiritus enim* sanctus qui est in nobis, *omnia scrutatur*, id est,omnia secreta inuestigat,& non solum secreta cordium,sed *etiam profunda* subaudis mysteria *dei* & præscientiam illius, quia vnius substantiæ est cum patre & filio. *Quis enim scit hominum quæ sunt* in corde *hominis*, *nisi spiritus hominis qui in ipso est?* subaudis nullus. & est sensus: Sicut quæ in homine sunt,nemo scit nisi spiritus hominis, qui in ipso est: *ita & quæ dei sunt,nemo cognouit nisi spiritus dei*, & cui ideo spiritus sanctus reuelare dignatur, *nos autem* Apostoli & credentes, *non spiritum huius mundi accepimus* id est, spiritum diuinationis & spiritum phitonicum, *sed spiritum qui ex deo est*, id est spiritum sanctum, *& in doctrina spiritus loquimur* id est simplici sermone, & sicut spiritus sanctus nos docet interius cum miraculorum virtute, *spiritalibus* viris qui possunt penetrare quæ dicimus, *spiritalia* mysteria *comparantes*. Quod tunc fit quando capacioribus diuina committuntur mysteria. *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*, id est quid gratiæ erga Christi conferat credentibus.Animalis homo dicitur, qui spiritum dei non habet,qui licet ratione à pecore differt, ea-

men ipsa ratione non bene vtitur,quia non putat aliquid esse post mortem,sed secundam ritum animalium versatur. Ideóque animalis dictus est ab anima,carnalis à carne,eo ꝙ totus ex anima cõstet & carne. *Stultitia est enim illi*,subaudis quod audit de mysteriis dei. *& non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur*, id est,discutitur & diiudicatur. Et quia homo non potest intelligere quod audit, nec vult credere, à spiritalibus viris diiudicatur & condemnatur. Philosophi mundana sapientes, & hæretici apud Corinthios degentes, vt facilius animos auditorum peruertere possent,& à rectitudinis statu deiicere, sua praua dogmata honesto sermone poliebant. Ideóque dixit parumper superius.Non loquimur nos in verbis doctis humanæ sapiẽtiæ. Dicebant enim culto sermone, quod humana natura non reciperet, vt deus comprehensibilis & incorporeus homo fieri posset,& nec esse credibile, vt Virgo hominem sine virili semine conciperet. aut post partum virgo esse posset,nec posse fieri,vt homo post mortem de puluere terræ resurgat, & alia luculentissimo sermone proferebant, & vt hoc credatur,stultum esse dicebant, ideo quia ipsi per humanam sapientiam penetrare non valebant, *Spiritalis autem* vir *diudicat omnia*, id est, discernit & probat omnia quæ audit,videt,& cogitat: quid sit verum & falsum, quid sit bonum & malum: & cognoscit vera esse quæ prædicamus,vel discernit omnia genera hominum carnalium. *Ipse autem à nemine iudicatur*, id est, neque à spiritalibus viris suis similibus, neque à deo damnatur vel reprehenditur. *quis enim cognouit sensum domini? aut quis instruxit eũ?* id est,quis hominum potest intelligere & penetrare intellectum & sapientiã domini, quo omnia fecit? quis subaudis homo instruat & doceat siue corrigat ipsum dominum, & dicat, Hoc & illud non bene fecisti, ita debes corrigere istud,& ita meliorare illud? subaudis nullus. Insuper magnificabit & laudabit sensum & intellectum domini atque potentiam, si cognouerit ab illo omnia esse facta, dicens eum sapienter cuncta fecisse. *Nos autem sensum Christi habemus*, id est, intellectum Christi habemus,& sentimus vera de illo per spiritum sanctum illuminati, qui omnia nouit cum patre & filio. & est sensus. Ideo quia nemo potest penetrare intellectum & sapientiam Dei, nisi ipso

Sup. eodẽ.

donante, ideirco nemo debet dubitare, quin ista vera sint, quæ dicimus de natiuitate & humanitate Christi, quia nos spiritum sanctum habemus.

CAPVT III.

ET ego fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, tarditate sensus vestri, nondum enim poteratis, subaudis mysteriũ diuinitatis Christi capere. Ne illi dicerent, modo possumus, subdidit: Necnunc quidẽ potestis, in futurum tamen deo donante poteritis. Ideóque quia non poteratis capere, addo: *lac vobis potum dedi, non escam.* i. simplicé doctrinam de humanitate Christi, non solidũ cibum de diuinitate Christi, & mysterio trinitatis. *Cum enim sit inter vos zelus & contentio*, zelus, id est, inuidia & contentio de variis baptismatibus, *cum dicat vnus: Ego quidem sum Pauli* baptismate baptizatus, & eius filius sum, *alius autem, Ego Apollo, nonne homines estis?* id est, nónne carnaliter sapitis? Fidelium Apostolorum nomina pro falsorũ ponit ob causam supra memoratam. *quid est Apollo? quid verò Paulus?* subaudis nisi per se, cõparatione Christi, & ipse exponit quid sint. *Ministri* (inquit) *eius cui credidistis.* ideóque non possumus dimittere peccata in baptismate, quod Christus proprie sibi retinuit. Ille ministrat qui recte prædicat. *& vnicuique sicut cõuenit, ministrat: sicut dominus* ministeriũ *dedit. Ego plantaui*, prædicando vobis fidem. *Apollo rigauit*, id est baptizauit & tinxit corpora, *sed deus incrementum*, id est, augmentũ dedit mihi prædicanti, & Apollo riganti, quia ego fidem exterius prædicaui, deus firmauit eam in cordibus audientiũ & multiplicauit numerum credentiũ: & Apollo tinxit corpora, sed deus peccata dimisit. Deus omnia ex se & à se habet, nos autem & ex illo & ab illo. *Itaque neque qui plantat*, id est, prædicat, *neque qui rigat*, id est, baptizat, *est aliquid*, comparatione dei: quia non potest fidem infundere, neque peccata dimittere, si deus auxilium non dederit. *Qui autem plantat, & qui rigat, vnum sunt*, id est vnius ministri & seruus sunt & vnius naturæ, quia homo iste & homo ille in personis quidem duo sunt, sed in natura & officio vnum.

Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum laborem suum, id est, qui prædicat, maiorem: & qui baptizat, minorem. Similiter intelligitur de omnibus hominibus, quia vnusquisque secundum qualitatem laboris accipiet quantitatem muneris. *Dei enim sumus adiutores.* In græco melius habetur. Dei operis participes sumus. Deus operatur fidẽ in prædicatione, & soluit peccata in baptismate: cuius operis participes & adiutores sunt qui prædicant, & baptizandorum corpora mergunt. *Dei agricultura estis.* Ager est hiç mundus, id est, eius habitatores, quorum corda excolit per prædicatores suos. Nam sicut ager vomere & ligone excolitur à cultore, ita vomere prædicationis excoluntur corda auditorum, vt sementum fidei & prædicationis recipiant, & fructum bonorũ operum reddant. *Dei ædificatio estis.* quia ipse vos in sua fide per nostram prædicationem ædificat, vt ipsum in corde retineatis. *Secundum gratiam dei*, id est, secundũ sapientiam, *quæ data est mihi* præomnibus Apost. *Vt sapiens architectus fundamentum posui.* Architectus dicitur princeps in structura domus. Sapiẽs architectus est, qui eius à quo instructus est voluntatem & auctoritatem imitatur, sicut fecit Paulus Christi doctrinã imitãdo, non alia prædicans quã quæ ab ipso percipiebat, & in mente videbat. Vel, Sapiens architectus est, qui super hanc fundamentũ non ponit suũ, ne sit infirmũ, nec super vacuã terrã. Similiter Paulus vt sapiens architectus, fundamentum posuit: quia Corinthiis ipse primum prædicauit. Nullus enim ante ipsum fundamentum fidei in illis locauerat. *alius autem* bonus aut malus ædificator vel operator, *videat* & consideret *quid superædificet*, vt secundum firmitatẽ fidei siue fundamẽti procedant parietes. i. bona opera. *Fundamẽtum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positũ est, quod est Christus Iesus.* Fundamentũ appellat in hoc loco fidem Christi Iesu. Quæ bono fundamento cõparatur, quia sicut in domo primũ fundamentũ ponitur, ac deinde parietes eriguntur: ita primum fides collocanda est in cordibus auditorum, ac deinde bona opera debent surgẽdo apparere. Et sicut domus sine fundamento si fuerit: vel si fundamentum infirmũ & nõ solidum habuerit, non potest subsistere, vt non corruat impulsa à ventis & imbribus: ita opera non possunt esse bona neq; deo accepta sine fide perfe-

cta: quia sine fide impossibile est deo placere, & sicut dom firmum fundamentum habens immota permanet, ita quicunque veram syncerissimámq; fidē habuerit, inter aduersa & prospera huius seculi firmiter permanebit, quia iustus ex fide viuit. Sed sicut fundamentum siue structura parietum nihil vtilitatis habet, ita quicunque fidē sine operibus habere videtur, nō ideo perfectus habebitur, quia fides sine operibus mortua est. Quapropter exornanda est bonis operibus, vt quod corde credimus, confiteamur, ore: & bona opera sectando, studeamus decorare. Fundamētum ergo aliud nemo philosophorum, nemo pseudoapostolorū, nemo hæreticorum potest ponere, præter id quod positū est, quod est Christus Iesus: quia alium deum nemo potest prædicare, quàm illum quem nos prædicamus: neque aliam fidem quā illam quam annunciamus, & quę in cordibus vestris est. i. fides Christi Iesu. Bene autem dicit Christum fundamentū esse, quia quicūque fidem eius habent, in illorum vtique cordibus habitat ipse. Ideóq; nemo potest aliud fundamentū ponere in cordibus fidelium, quā fundamentum fidei Christi: quoniā si aliam fidem cœperit prædicare, à fidelibus non recipietur: & si quis illius doctrinæ & errorem susceperit, iam non erit fundamentum, sed potius destructio domus. *Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc*, id est, supra fidem Christi, *aurum*, id est, doctrinam sanctam, & rectum sensum, *argentum*, id est, eloquia diuina, de quibus dicit Psalmista: Eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatum, *& lapides pretiosos*, id est, diuersa genera virtutum: quoniam sicut lapides boni insolubiles sunt ab igne, ita & illa æternaliter permanent, nec consumentur ab igne in die iudicij. Si quis autem superædificat *ligna fœnum, stipulam*, id est, prauam doctrinam & mala opera, *vnius cuiusque opus manifestum erit*, in die iudicij. Sicut ergo per aurum sensum perfectum, per argentum eloquia incorrupta, per lapides pretiosos qui ab igne non liquefiunt, virtutes intelligimus: ita per ligna, fœnum, ac stipulam, praua doctrina & mala operatio accipi potest. Aliter, Per aurum & argentum & lapides pretiosos, possumus intelligere bona opera virtutésque præclaras: per fœnum verò, lignum, stipulam, leuia peccata, sicut est otiosus sermo, risus inhonestus, & cætera talia. Per pon

Psal. 40.

bum verò & ferrum atque stannum, quæ sancti doctores addunt, grauia & immanissima peccata, quæ à regno cœlorum separant. Igitur sicut aurum & argentum & lapides pretiosi igne probantur: & tamen non consummuntur: ita in die iudicij qui habuerint bona opera & bonam prædicationem, licet per ignem transeant, tamen nullam pœnam neque læsuram sustinebunt. Qui verò habuerint leuia peccata, transeundo per ignem expiabuntur: quia consumentur ibi sicut fœnum vel stipula, siue vt ligna comburētur ab igne: tamen ipsi non remanebunt in igne, sed mundati & probati ascendēt ad dominū. At qui habuerint grauia peccata, quæ à regno cœlorū separant, & quæ Apostolus commemorat alibi, inquiens, Adulterium, fornicationē & homicidium, & cætera talia, sicut ferrū & plumbum siue stannum liquefiunt quidē, sed non deficiunt per ignem: ita illi pondere peccatorū grauati, remanebunt in igne, & sustinebunt pœnas non deficientes. *Dies enim domini declarabit*, id est dies iudicij & vindictæ domini manifestabit omnia opera hominum: *quia igne reuelabitur*, id est, cum igne demonstrabitur ipsa dies. Tradunt doctores, ꝙ quantum spatium aëris occupauit aqua in diluuio, quæ omnes mōtes transcendit, & (vt philosophi definiūt) vsque ad circulū lunæ peruenit, tantū spatiū occupabit ignis in die iudicij. In quo probabuntur electi sicut aurum: & quorundā leuia peccata consumentur, impiis ibi remanētibus. Dicit enim beatus Effrem, quia tantus terror inuadet omnes in die illa, & bonos & malos, dum viderint infernum ardentem, & dominum Iesum cum maiestate & gloria venientem ad iudicium, vt si immortales iam non essent effecti, iterum morerentur. Quo timore etiam leuia peccata sanctorum purgabuntur, sicut dicitur: Videntes autem angeli purgabuntur. Angeli hic appellantur electi. *& vnius cuiusque opus quale sit*, vtrum bonum an malum, *ignis* ille probabit.

Si cuius opus manserit, quod super fidei fundamentum *ædificat, mercedem* æternæ retributionis *accipiet*. De illis modo loquitur, qui ædificant super fidei fundamentum bona opera, quæ designantur per aurum & lapides siue argentum, quæ manebunt, quia non consumentur ab igne, sed potius probabuntur, sicut probatur aurum. *Si cuius opus arserit* in igne, qui leuia peccata habuerit, quæ velut sti-

pula consummentur, *detrimentum patietur.* id est, pœnas sustinebit, dum cœperint illa probari & consumi, licet ipse patiatur, sicut sequentia manifestant. *ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem,* subaudis transiens, & ab igne purgatus & expiatus. Nam & in hac vita electi aduersitatibus & infirmitatibus probantur in modum auri & argenti ab igne, sicut tres pueri & sancti martyres, necnon etiam & beatus Iob. Qui verò leuia peccata attrahunt, purgantur ab illis, quia tribulationibus incendûtur in hoc seculo, vel post mortem in igne purgatorij, vel alia afflictione, orationibúsque hominum expiantur. Tamen quod sine illicito amore non habuerunt, vtique sine vrente dolore nó perdent. Qui verò plumbum coaceruant sibi, plerunque in hoc seculo incipiunt cruciari, & ex parte pati, quæ in futurum plenius passuri sunt. *Nescitis quia templum dei estis?* id est, habitatio spiritussancti, & quòd *spiritus dei habitat in vobis?* A tempore baptismatis incipit habitare in nobis spiritussanctus: & templum illius sunt omnes angeli & omnes iusti. *Si quis autem templum Dei violauerit,* id est, si quis seipsum corruperit peccando, vel alios praua doctrina: sicut pseudoapostoli, vel quemlibet prauo suo exemplo: *Disperdet illum deus,* de numero fidelium suorum, & cœtu electorum, sicut latro vel homicida, siue quilibet reus à bonis sententia iudicis diuiditur: & malus tortori in carcerem mittitur. *Templum enim dei,* id est templum spiritussancti, patris, & filij, *sanctum est, quod estis vos.* ideo non debetis illud violare. Fideles alloquitur, in quibus deus per fidem & dilectionem habitat. *Nemo vos seducat,* id est, nemo falsorum hominum blandiendo decipiat vos. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo,* id est, apud seculares homines, *stultus fiat,* stultam deputans temporalem sapientiam, deponat illam, *vt sit sapiens,* apud deum in futurum. Hoc dupliciter potest intelligi, & distingui hoc modo: Si quis vult veram sapientiã habere, hic distingue, in hoc seculo stultus fiat, id est hoc credat de Christo, quod sapientibus huius seculi stultum videtur. Aliter: Si quis videtur sapiens esse in hoc seculo, & subinferendũ, stultus fiat, vt sit sapiens apud deũ: qui potuit agere quod humana sapientia denegabat. *Sapientia enim huius mundi stultitia est apud deum.* Sapientia huius mundi est, qua negatur deus

deus absque coniuge filium genuisse. *Scriptum est enim* in Iob, in verbis Eliphaz. *Comprehendam,* id est mendaces ostendam, *sapientes,* philosophos videlicet, *In astutia eorum,* cum filium meum ex virgine nasci fecero. *Nemo itaque* vestrum ò Corinthij, *glorietur in hominibus,* vt illius nomine se velit appellari, à quo baptizatus est, sicut Donatistiæ à Donato, Appollinaristiæ, & Manichæi. *Omnia enim vestra sunt,* si vos dei estis, omnia dei vestra sunt. Quæ omnia? *Siue Paulus,* subaudis minister vester est, *siue Cephas,* minister vester est, non dominus. Forsitan veniens Romam Petrus per Corinthios transitum fecit. *Siue mundus,* subaudis vester est, quia propter vos factus est, vt vtamini bene his quæ in mundo habentur, & vt credatis illum per verbum dei esse factum. *Siue vita,* subaudis præsens, in qua oportet bonum operari, vestra est, si ita viuitis vt deo placeatis. Vel vestra est in hoc quia in vestra est potestate, vtrum pro dei nomine illam velitis ponere: *siue mors,* subaudis vestra est, vt si vultis pro deo moriamini temporaliter, & viuatis æternaliter. *Siue præsentia,* subaudis bona & commoda, vestra sunt, vt pauperibus ea distribuatis, à quibus recipi mereamini, & de cætero viuatis & vestiamini: *siue futura* gaudia vestra sunt, vt bene conuersantes in hoc seculo, ad ea possidenda quandoque perueniatis. *Omnia enim,* quæ dixi, & quæ facta sunt, *vestra sunt,* id est ad vestram dignitatem & vtilitatem creata sunt: *vos autem Christi* semper esse serui debetis, duobus modis: vel quia per illum qui est verbum dei patris, cum non essetis, creati estis, vel cum perditi essetis, per illum redempti estis. *Christus autem dei* subaudis filius est, & ab illo habet esse, tam secundum diuinitatem, quàm secundum humanitatem: qui ante omnia secula ab illo est genitus, & ab illo habet originem, & in fine temporum secundum humanitatem ab illo factus est. Iob. 5.

CAPVT IIII.

Ic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum dei. Corinthij postquam per prædicationem apostoli venerunt ad fidem, quidam illorum seducti à pseudoapostolis, non sentiebant de illo quantum dignum erat, quasi non tantæ dignitatis &

gratiæ esset,eo quòd à domino per præsentiam carnis nó esset vocatus, quantæ Petrus aliíque Apostoli, qui eum sunt secuti, & eius prædicationem audierunt. Dicebant etiam illum seductorem,&,falsæ doctrinæ prædicatorem, honorantes amplius pseudoapostolos, seductores suos, qui eis blande loquebantur,quàm illum,qui veritatẽ prædicans eorum vitia redarguebat. Quod vt apostolo manifestatum est, inter cætera ista scripsit, quæ hic dicuntur, ostendens hoc debere intelligi de se & sentiri, quòd deus illum ad apostolatus dignitatẽ elegerat,inquiens:Sic nos, me & Barnabam, & Sosthenem,existimet homo, Corinthius,vel alius quilibet,vt ministros Christi: ac si diceret aliis verbis: Nolite ô Corinthij nos despicere ac spernere, eo quòd nos à domino non sumus vocati cum Petro aliisque Apostolis: quia non alia prædicamus ego & Barnabas,quàm quæ illi prædicant: & qui illos in terra positus adhuc mortalis vocauit, atque ad gratiam apostolatus accersiuit, & eadem mihi reuelauit de cœlo,quæ illos docuit in terra. Nec rogo vt me Barnabam similes Christo existimetis, sed vt ministros Christiqui, vobis euangelium eius ministrauimus. Minister Christi est, qui præceptum illius seruando, imitatur illum, sicut ipse dixit Qui mihi ministrat,me sequatur. Ille etiam minister Christi est,qui eius euangelium prædicando aliis ministrat: sicut Paulus,qui & seruabat vel prædicabat & ministrabat Christo etiam ministrat, qui bona temporalia pro amore eius pauperibus erogat, quod idem apostolus adimplebat, non de alienis pauperes sustentando:sed de hoc quod labore manuũ acquirebat. Quod autem sequitur. *Et dispensatores mysteriorum dei*,& vt quidam codices habent,ministeriorum dei,melius est dicere mysteriorum dei, quia si dixerimus ministeriorum, erit sensus, quasi tantummodo ad disponendos & ordinandos gradus ecclesiasticos sint vocati:episcopos videlicet,presbyteros,diaconos, cæteróſq; ordines,qui & ministeria ecclesiastica appellantur. Cum verò dicimus dispensatores mysteriorum, intelligimus illius electos ad dispẽsanda suis auditoribus mysteria & sacramenta veteris nouique testamenti,quamuis & ordines ecclesiæ,sicut alij apostoli,ita & ipsi ordinauerint. Dispensatores ergo fuerunt,quia sicut aliquis paterfamilias elegit dispẽ-

*Ioan.*21.

Luc. 14.
*Matt.*12.

dispensatorem in domo sua, qui conseruis suis secundum suam voluntatem singulis illorum bonasua distribuat,quibusdam amplius,quibusdam minus, & quibusdã hora tertia,quibusdam nona: sic Christus elegit Paulum, & reliquos,qui mysteria euangelij sui secundum qualitatem auditorum distribuerent,perfectis videlicet,& qui capacioris sensus intellectusque erant,alta ac profunda mysteria de diuinitate omnipotentis dei committerent,simplicioribus verò simpliciora, quæ capere possent. quod vtrunque idem egregius prædicator agebat,sicut ipse dixit,Sapientiam(inquit) loquimur inter perfectos. Et quid dicit eisdẽ Corinthiis in hac epistola?Tanquam paruulis in Christo, lac potum dedi vobis,non escam. Istorum mysteriorum diuinorum dispensator erat iste, ideóque se volebat haberi à suis auditoribus quod erat,id est minister Christi,& dispensator sacramentorum eius,in quo non verba tantum, sed virtus fulgebat. *Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.* Licet quidam hunc versiculum interrogatiue velint legere,tamen secundum beatum Augustinum potius est affirmatiue legendus, sicut sequens manifestabit sensus: Hic,id est in præsenti seculo, quæritur & consideratur à deo, vt fidelis dispensaror quis inueniatur inter dispensatores alios,sicut ego sum & Barnabas.Pseudo igitur apostoli qui vos decipiunt,nõ sunt fideles dispẽsatores:quoniam à fide & doctrina Christi discordãt. Nã in hoc erant infideles dispensatores,quia adulterabãt verbum dei & fraudabant. Paulus autem fidelis dispensator erat, quia sicut ex deo coram deo loquebatur. Ille etenim fidelis dispensator euãgelij est,qui nõ alia prædicat, quàm quæ in euangelio habentur, sine errore videlicet & mendacio:& qui non quærit suam gloriam,vt ipse laudetur ab auditoribus suis,sed vt deus glorificetur per illos:& qui nõ pro lucris temporalibus,& vt ventrem suum impleat,prędicationi insistit,sed vt à domino præmiũ sui laboris percipiat. Igitur si euangelium per malos non dispensaretur, nequaquam dominus diceret: Quæ dicunt bona,facite: & quæ faciunt mala,facere nolite. Rursus, si per bonos non dispensaretur,nequaquam Apostolus alibi diceret:Imitatores mei estote,sicut & ego Christi.Multi ergo dispensatores sunt,per quorum ministerium peruenitur ad æternã

1. *Cor.*3.

*Matt.*13.

salutem. Sed quæritur à deo inter dispensatores in præsenti, vt fidelis quis inueniatur, videlicet vt quod prædicatore, operibus exornet. *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Pseudoapostoli atque philosophi & quidam Corinthiorum seducti ab illis, diiudicabant seu deridebant Paulum, eo quòd non discreparet à prædicatione Petri & aliorum apostolorum, simpliciter & rustice prædicans, dicentes, Si Petrus, Andreas, Iacobus, & Ioannes, qui piscatores fuerunt, rustice prædicabant, & non scolastice, non est adeo mirum: quare autem Paulus imitator illorum rustice, & nō philosophice siue dialectice disputet, qui doctor legis extitit, hoc mirum est. Non est ergo aliud, nisi quia magus & seductor est: vt qui ante non potuit persequendo Christianos perdere, saltem seducendo sua prædicatione falsa decipiat, fingens se socium esse Petri aliorúmque apostolorum. Aliter enim prædicat exterius, atque aliter agit interius in occulto. Sed Apostolus non curans de eorum detractionibus & irrisionibus, sciens pro certo quia nihil nocent homini aliena verba, quem propria non maculat conscientia, subintulit, inquiens: Mihi (inquit) pro minimo est, id est, pro nihilo duco, & non est mihi cura, si iudicer, id est si detrahar & irridear à vobis, vel damner, qui legibus diuinis debueratis vti, aut ab humano die, id est ab illis qui humanis legibus vtuntur, & humanis laudibus & fauoribus delectantur, loquentes & prædicantes philosophice, vt ab omnibus laudentur: quia neque contra leges diuinas, neque contra humanas aliquid perpetro. Humanas leges vel laudes, dico comparat, quia illi habentur & videntur clari & iucundi, qui in illis edocti sunt: & qui ab hominibus extolluntur. *Sed neque meipsum iudico*, id est neque meipsum reprehendo in aliquo contra leges diuinas aut humanas egisse, quia nulli vicio subiaceo. Quare? *Nihil enim* subaudis mali, *mihi conscius sum*, id est nullius criminis malum in me recognosco, postquam per gratiam Christi expiatus sum ab omnibus peccatis originalib⁹ & actualibus. Et est sensus: Si ego meipsum irreprehensibilem inuenio, qui melius meipsum noui quàm vos, quomodo potestis diiudicare conscientiam meam? quomodo potestis examinare quo animo & intentione facio quicquid facio, maxime cum nemo sciat hominum quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Fœlix cōscientia, quæ ita secure de se audet loqui. Et ne videretur apostolus præsumptiue ac superbe talia fateri, subiunxit. *Sed nō in hoc iustificatus sum*, subaudis apud me, vel apud deum, ac si diceret aliis verbis: Licet ego in me nihil mali nihilque reprehensione dignum inueniam, vt quidā mihi detrahant iniuste, quidam extollant suis fauoribus: tamen non ideo iustificatus sum apud me: neque iustificatum esse credo per hoc apud deum, quia nescio vtrum placeant ei quæ ago, aut, qualiter ea accipiat, qui melius cognoscit quid sit in me quàm ego: quoniam & si in maximis operibus peccatorū nō deliqui, saltē in cogitationibus deliqui & peccaui. Melius quidem ego memetipsum cognosco, quàm vos qui me diiudicatis & detrahitis: & melius deus quàm ego. Vnde & sequitur: *Qui autem iudicat me, dominus est.* Non ideo bona est conscientia mea, quia laudat me aliquis: neq; ideo mala, si vos illam diiudicatis. Quid enim iudicatis vel damnatis quod non videtis? Ille debet alium reprehendere, qui aliquid reprehensibile in eo videt, quod eius oculos offendit. Vos autem nolite me iudicare & detrahere quasi seductorem & rusticum, aliúdq; ostentantem exterius, & aliud operantē interius, quia dominus iudicat me, id est discernit & probat causam meam, & considerat actus meos, qui nouit non solū de operibus, sed etiā de cogitationibus iudicare. Quantum enim possunt homines de alio iudicare, plus homo vtiq; de seipso: sed deus plus de homine, quàm homo de se. Tanta profunditas est in homine, vt lateat plerūq; hominem in quo est. Quanta profunditas infirmitatis latebat in Petro, quando quid intus in se ageretur nesciebat, & se cū domino, vel pro domino moriturum temere promittebat? Nā hoc illi Christus prænūtiabat, quod ipse in se ignorabat. *Itaque*, subaudis, quia nescitis quid sit in homine, & dominus est qui discernit & iudicat me, *nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat dominus* ad iudicium. De apertis rebus quæ cognosci possunt quo animo fiant, permittitur nobis iudicare. Verbi gratia: Sicut est homicidium, adulteriū publicū, fornicatio, & cætera talia. Cui⁹ authorē criminis nō aliter permittitur nobis damnare, secūdum authoritatem sanctorū patrū, nisi aut confessus, aut cōuictus fuerit testibus. De his verò, de qui-

Infra eo.

bus dubium & incertum est quomodo omnia fiant, sicut est de abstinentia & ieiunio, quando plerique hominum dicunt se non posse abstinere à vino & carnibus, & quòd non possint ieiunare, non est nostrum iudicare, nam possunt & bono animo & malo fieri: sicut & de cogitationibus & de his quæ in occulto fiunt: quæ licet dicantur, non tamen per approbationem patent, sed debemus domini iudicio reseruare: quia si quis de his iudicat quæ incerta habentur, omnipotenti deo quantum in se est, conatur auferre iudicium. Plerunque tamen nostra credulitas in his fallitur. Pertinet autem ad nos, ne pernicioſa opinione fallamur: vt quia nō possumus hominum indagare conscientiam, de rebus incognitis iudicium temere non proferamus. hoc est vt ille vel ille homo, vtrum sit impudicus pudicúsve nesciamus, odio habeamus impudicitiam, & pudicitiam diligamus: ita men præsumptuose sententiam non proferamus, neque aliorum criminum narratores simus. Et si illum vel illum iniustum esse iustúmve nescimus, amemus iustitiam, iniustitiam detestando: non tamen iudicium proferendo, quoadusque veniat dominus ad iudicium, *qui & illuminabit* id est, manifestabit, denudabit, reuelabit *abscondita*, subaudis opera *tenebrarum*, quæ ad tenebras perpetuas ducunt hominem. vel abscondita opera tenebrarum dicit, quæ in occulto fiunt à bonis & malis. & non solum opera reuelabit, sed etiam manifestabit *& consilia cordium* bonorum & malorum. Cui ergo reuelabit opera & cogitationes, siue consilia cordium? Secundum quod beatus Augustinus dicit, singulis electis manifestabit opera & cogitationes omnium electorum: nec erit quod suis non aperiat amicis, & abscondat alienis, vbi nullus erit alienus. similiter credendum est omnia opera & consilia reproborū patere ad contumeliam & verecundiam illlorum. nam modo quandiu non vides cor meum, & non video cor tuum, nox est. Non enim scimus mortales corda mortalium. lux autem per quam manifestabuntur ista omnia ipse deus est, qui est vera lux. videamus quid subiungat Apostolus: *& tunc* (inquiens) cum dominus manifestauerit omnia opera abscondita & cordium consilia, iuxta quod dicitur per prophetam, Ecce ego ad hoc veni, vt opera & cogitationes congregem singulorum. *laus erit vnicuique à deo*, Non omnium

mnium hominum laus erit, sed vnicuique bona opera & consilia seu cogitationes habenti, quoniam tunc laudabit iustus, audiens à domino: Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium domini tui. &, Venite benedicti patris mei, percipite regnum vobis paratum. Vituperabitur quoque iniustus, accipiens sententiam: Mittite eum in tenebras exteriores. &, Ite maledicti in ignem æternū. A qua maledictione qui fuerint alieni & exclusi, fœlices regnabūt cum deo. *Mat. 13. Ibidem. Mat. 11. 7.*

Hæc autem fratres, id est, nomina falsorum Apost. *transfigurauí* id est, transtuli *in me, & Apollo propter vos*, videlicet ne vos ad inuidiam & detractionem prouocarem, *vt in nobis discatis*, subaudis humilitatem, *ne supra quàm scriptum est, vnus aduersus alterum insletur pro alio*. Concatenatio est huiusmodi, vt à nobis discatis humilitatem, ne insletur id est, ne superbiat vnus aduersus alterum pro alio supra quàm scriptum est, id est, sicut iam supra scriptum est, quod non debeatis agere, videlicet ne vnus Donatista insletur pro alio, id est, pro Donato à quo baptizatus est, aduersus alterum, id est, Nouatianum, dicens se à sanctiore homine & meliori baptismate esse baptizatum. Et iterum Nouatianus contra Donatistam pro alio, pro Nouato videlicet, à quo est baptizatus, dicens sanctius esse baptisma Nouati, cuius baptismate ipse est baptizatus: Meliori, inquit, baptismate sum baptizatus quàm tu, quia melior est Nouatus Donato. *quis enim te discernit?* subaudis fidelem esse ab infideli, doctum ab indocto, id est, quis te facit melioremillo, cui non donauit quod tibi donauit? Vel quis fecit te meliorem ò Donatista, quàm sit Nouatianus, donando tibi virtutes quas ille nō habet? Dedit tibi hoc donum Donatus, an Deus? Vtique deus donis suis & gratia hoc facit, dans vni quod habet alter. *Quid autem habes* donorū diuinorū, *quod non accepisti?* subaudis à deo, *Iam saturati estis*, subaudis diuinis mysteriis: *iā diuites facti estis* in omni verbo & doctrina & abundantia bonorum operum. *sine nobis regnatis* securi de præmio. Ironice est legendum hoc, & per contrarium: quia non erant illi qui seducti fuerant à pseudoapostolis, saturati diuinis mysteriis, neque diuites, neque regnabant sine illis. Hoc autem quod sequitur, optatiue atque affirmatiue est proferendum: *& vtinam regnetis* modo, *vt & nos vobiscum regnemus*. Illi in præsenti seculo reguant cum deo,

qui talia opera agunt, pro quibus iã securi sunt de præmio æternæ vitæ, & qui cum deo regnaturi sunt, sicut Apostoli & sancti martyres. *Puto enim quòd deus nos Apostolos*, me & Barnabam. Sosthenem & reliquos, qui vobis prædicamus, *nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos*, id est quando misit nos ad prædicandum vobis euangelium, mor ti destinauit, quoniam vestra incredulitas & ferocitas nos interficiet. Ideo dixit nouissimos, quia post duodecim Apo stolorum vocationem, & post domini ascensionem, ipsi vocati sunt & electi. *quia spectaculum* id est ridiculum. siue irrisio vel pro miraculo, *facti sumus mundo & angelis*, videlicet immundis spiritibus & malis, *& hominibus*, qui gaudent de malis atque tormentis quę patimur pro vobis. Spectaculum dicitur à spectando, id est videndo, contemplando, quod & theatrum dici potest: erat enim locus in ciuitatibus, vbi exercebantur ioca regalia, & vbi decollabantur rei, & plerunque innocentes, vt erant sancti martyres: ad quem confluebat omnis populus, ad videndum ea quæ ibi agebantur. *Nos stulti propter Christum*: sicut vos putatis, quia non contradicimus mala inferentibus, & malum pro malo non reddimus, *vos autem prudentes in Christo*, sicut vobis videtur, quia sic vultis esse Christiani, vt prudentiam mundi non amittatis. & magna vultis sentire de Christo infirma denegantes. *Nos infirmi*, quia nostras iniurias non vindicamus, *vos autem fortes*, qui viribus propriis resistendum putatis. *vos nobiles*, de nobilitate generis gloriantes: *nos ignobiles*, vt vos putatis. Hæc omnia per contrarium intelligi debent, & ironice proferenda sunt: quoniam quod videtur denegare, hoc affirmat. & hoc denegat, quod affirmare videtur. quasi diceret: Nos prudentes, vos stulti, nos fortes qui aduersa huius mundi sustinemus pro Christo: vos infirmi qui talia & similia non audetis sustinere. Nos nobiles de genere patriarcharum descendentes, vos ignobiles, id est, sine nomine dignitatis, de genere gẽtilium idola colentiũ, *vsque in hanc horã*, id est vsque ad præsens tẽpus *& esurimus*. longam famẽ & nuditatem & penuriã Paulus pertulit, qui iuuenis vocatus, vsque ad senectutem in his perdurauit. *& colaphis cedimur*, id est pugnis, quib' omnia genera tormentorũ designãtur. *& instabiles sumus*, qui pellebantur de loco in locum, effugabantur de

de ciuitate in ciuitatem: *& laboramus operantes manibus nostris*. Laborabat Paulus scœnofactoria arte à prima hora vsque ad quintam, & à quinta prædicationi vsque ad decimam insistebat, quoniã nolebat à Corinthiis aliquid accipere, neq; ab aliis auditorib', vt libere potuisset eorũ vitia redarguere & corripere. *Maledicimur*. id est, blasphemamur ab infidelibus, quasi magi, malefici, atque sacrilegi, *& benedicimus*, prædicando illis Christum: *blasphemamur*, qua si seductores, *& obsecramus*, subaudis vt libere audiãt doctrinam domini, quam illi detestantur velut blasphemiam: petimúsq; vt dent nobis locum reddendæ rationis, quo manifeste probemur non esse tales quales blasphemamur. *Facti sumus omnium peripsema*, id est, despectissimi & vilissimi omnium. Peripsema est proprie limatura & rasura æris, aut alicuius metalli, vel purgamentum pomi, siue quisqui liæ domus. *Non vt confundam vos hæc scribo*, id est, non vt verecundari vos faciam, *sed vt filios meos charissimos moneo*, quid agere in exemplum patris debeatis, vel indico vobis qualia perferam, vt & vos similia non dubitetis sustinere pro Christo. *Nam si decem milia pædagogorum habeatis in Christo*, id est in doctrina fidei Christi, *sed non multos patres* potestis habere. Pædagogi dicuntur quòd pedibus agant, id est ducent siue ducant pueros, Iidem sunt & pedissequi. pater prius generat filium, postmodum verò pædagogo committit ad instruendum: & cũ multos possit habere pędagogos, non tamen nisi vnum patrem. Sic Paulus per prędicationis fidem genuerat Christo Corinthios: sed post discessum eius, acceperunt multos pædagogos, non solum bonos, sed etiam malos, pseudo videlicet apostolos. Quapropter ipse dicit: licet multos magistros & doctores habeant, tamen non possunt habere plures patres, videlicet nisi illum qui primum eis fidem prædicauit. *Ideo misi ad vos Timotheum, qui est fidelis in domino*. Latenter eos percutit, & in laude ipsius vituperat illos. quasi dicat: vos non estis fideles. *qui vos commonefaciat vias meas*, id est qui vos commoneat & denunciet quid agatur circa me. & quę prædico opere conpleo, & qualiter viuo, idipsum in ecclesia prædico, quoniam in omnibus ęqualiter doceo. *Tanquam non venturus sim ad vos sic inflati* estis superbiendo. Dicebant enim Corinthij: Cognoscit se

Paulus rusticanum esse nostri comparatione, & ideo non venit ad nos, nec nobis curæ est: quoniã habemus nostros philosophos: Peccatores nos putat esse, ideóque dedignatur venire ad nos nec nobis cura est, quoniam habemus nostros Apostolos. faciat quod vult. Quapropter subiungit Apostolus: *veniam autem ad vos cito, si dominus voluerit*, sed modo non dimittam Ephesum, vt ad vos veniam, quia maius lucrum hic acquiro deo quàm apud vos. *Cum autem venero, & cognoscam non sermonem eorum*, subaudis tantum, *qui inflati sunt, sed virtutem*, id est, cum venero non considerabo sermonem eorum pompaticum, qui modo superbiunt, sed virtutem, id est vitæ meritum & rationem veritatis, quomodo credant, vel quas virtutes miraculorum possunt operari, qui ita inflantur. *Non enim in sermone* pompatico atque polito, *est regnum dei*, id est, non consistit in sermone sermo prædicationis & euangelij quod regnum cælorum appellatur, eo quòd suos obseruatores ad regnum dei perducat, *sed in virtute* boni operis consistit: quia in regno cælorum nõ regnant verba, sed facta: vel in virtute miraculorum consistit, quãdo quod prædicatur verbis, miraculis confirmatur. *Quid vultis ô Corinthij*, vultis vt *in virga veniam ad vos*, id est vindicta vitiorum vestrorum, & in scueritate correptionis, sicut Moyses in Aegyptum, quod significabatur per virgam quam ferebat. *an* vultis vt *in charitate* siue dilectione, *& spiritu mansuetudinis*? veniam, id est, in lenitate mentis & humilitate atque tranquillitate. & est sensus: Si vultis vt in virga non veniam, manebitis incorrepti: si autem in animo pacifico & lenitate mentis, corrigite vos & emendate agentes pœnitentiam.

CAPVT. V.

Vditur inter vos fornicatio talis, qualis nec inter
gentes, id est inter paganos, *ita vt vxorem*
A *patris sui quis habeat*, nouercam videlicet
suam. *Et vos inflati estis* id est, in superbiam
eleuati superbitis: *& non magis luctum habe-*
stis pro hoc scelere, sicut Samuel lugebat super Saul, & est
sensus: Cum debuissetis lugere peccatum illius, & à vestro
consortio huiusmodi separare, magis in superbiam estis eleuati, quia intuitu illius scelesti putatis vos magni, merito

esse, & sanctiores illo apparere. *Ego autem absens corpore, præsens autem spiritu*, subaudis sancto, qui replet omnia, vt B. Ambro. dicit, tanta gratia erat concessa Paulo, vt vbicunque esset, per spiritum sanctum cognosceret, quid alibi gereretur ab his quibus euangelizauerat. *Iam iudicaui eum qui sic operatus est, vt præsens*, id est illum qui vxorem patris accepit, iam iudicaui quasi præsens sim corpore, *in nomine domini nostri Iesu Christi*, id est, vice illius cuius legatione fungor, *congregatis vobis & meo spiritu*, id est, spiritu sancto, *cum virtute domini Iesu*, id est cum sententia domini Iesu quæ in me est. Ecce tres personæ, spiritus sancti videlicet, & domini Iesu, atque illorum, in quorum numero omne iudicium agitur & roboratur, iuxta quod dominus dicit: In ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Ab his tribus personis iam iudicatum habebat Apostolus, *Tradere huiusmodi hominem* *Matth. 18.*
Sathanæ in interitum carnis, siue in afflictionem, & vt vexaretur à diabolo in corpore graui ægritudine, non tamen amentem neque phreneticum illum redderet, *vt spiritus*, id est anima illius, *saluus sit in die domini nostri Iesu Christi*, id est iudicij. Dicit beatus Augustinus, quia hæc potestas & gratia data erat Apostolo, vt peccantes & pœnitentiam nolentes agere, posset diabolo tradere ad vexandum in corpore, sicut istum, necnon Hermogenem & Philetum, de quibus ipse dicit: Quos tradidi (inquiens) sathanæ, vt discant non blasphemare. Eiiciebat enim illum talem ab ecclesia, & ab omni societate, & sic diabolus per imperium & permissionem illius nimium graui infirmitate vexabat illum, putans se animam illius per talia posse auferre: sed piissimus prædicator in anima non dabat ei potestatem, vt illum amentem redderet, vel extingueret. *Non est bona gloriatio vestra, ô* Corinthij, qui gloriamini in peccato illius, putantes vos comparatione illius meliores esse. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Fermentum hic duobus modis possumus intelligere, prauam videlicet doctrinam, & peccatorem hominem. Sicut modicum fermentum omnem massam farinæ conspersam corrumpit, & ad suum acorem trahit, ita mala doctrina vel vnus peccator homo totam congregationem ecclesiæ solet cor-

Universidad de Deusto Biblioteca

rumpere suo malo exemplo. Et omnes qui possent eum corripere, & non corripiunt, vtique similes ei efficiuntur in pœna. Siue praua doctrina seu malus & indisciplinatus peccator, qui non vult se emendare, ab ecclesia debet expelli. *Expurgate vetus fermentum.* Præcipit ægregius prædicator Corinthiis fornicatorem, qui vxorem patris acceperat, à suo conuentu expellere, quem ille iam traditum habebat diabolo ad purgandum, quatenus quo suadente peccauit, eo vexante purgaretur: & dum videret se eiectum in præsenti seculo à cœtu fidelium, erubesceret de reatu suo, metuens similiter eiici in futuro à societate sanctorum. Ideóque hoc iussit Apostolus, vt per præsentem tribulationem & miseriã euaderet pœnas ignis æterni, & spiritus eius saluus fieret in die domini. Expurgate, inquit, vetus fermentum, id est, fornicatorem, qui incestum perpetrauit vxorem patris accipiendo. Quem idcirco vetus fermentum appellat, quia in conuersatione & peccato veteris hominis Adæ adhuc erat positus, qui primus peccauit. Omne enim peccatum ad veterem hominem pertinet. Ponitur etiam fermentum aliquando pro
Matt. 13. bona doctrina, aliquando pro mala. Pro bona ponitur, vt in euangelio secundum Mattheum ait dominus: Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum. Fermentum hic appellat feruorem dilectionis dei & proximi, & cognitionem sancte Trinitatis, quæ feruet in cordibus fidelium, & continetur in doctrina euangelica. Mulier ista quæ accepit fermentum, sancta ecclesia est, quæ dilectionem dei & proximi cognitionémque sanctę trinitatis prædicauit Asiæ, Europæ, & Africæ, donec fermentaretur totum, id est donec per quadrifidũ orbẽ istam prædicationẽ spargeret, & ex omnibus gentibus ad fidẽ Christi
Matt. 16. traheret. Ponitur & pro mala doctrina & mala conuersatione, vt idem redẽptor nosterait: Cauete autẽ à fermẽto pharisæorum, id est à mala illorum doctrina: &, cauete à fermento Herodis, id est ab homicidio & adulterio illius. Sic in hoc loco ponitur cum additamento pro conuersatione veteris hominis & pro mala doctrina: quia erãt apud Corinthios pseudoapostoli, qui prauam doctrinam seminabant inter illos, quam præcepit Apostolus spernere.

Vt sitis noua conspersio, sicut estis azimi. Fermentum græco vocabulo dicitur zima, inde latine vocatur azimus panis, id est non mixtus, sine zima, id est fermento: & est sensus, Ideo (inquit) præcipio expurgare vetus fermentum à vobis, vt in nouitate vitæ permaneatis, sicut estis azimi, id est sicut noui effecti estis ab omnibus peccatis originalibus & actualibus in baptismate, manentes sine zyma, id est sine peccato, inquantum humana fragilitas cum dei adiutorio valet. *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.* Pascha appellatur festiuitas, quam celebrabant Iudæi per singulos annos ob memoriam egressionis suæ de terra Aegypti: & agnus qui immolabatur in eadem festiuitate, appellabatur pascha, sicut discipulorum verbis ostenditur, qui dicunt domino: Vbi vis paremus com-
edere pascha? id est agnum. Secundum hunc morem *Matt.* 27.
loquitur Apostolus & hic, inquiens: Etenim pascha nostrum Christus est immolatus, ac si diceret: vultis scire quid sit pascha? Christus immolatus. Non est nobis immolatus agnus legalis vel typicus, sed verus agnus qui tollit peccata mundi, est pro nobis immolatus in ara crucis, de quo Ioannes ait: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Istius agni carnes quotidie immolantur in ecclesia, & comeduntur à fidelibus. Illi qui comederunt carnes typici agni, transitum fecerunt de Aegypto in terram repromissionis: & nos similiter transire debemus de tenebris infidelitatis ad virtutes, & de seruitute diaboli ad libertatem Christi, & de morte ad vitam. Illi septem diebus celebrabant festiuitatem paschalem, & nos nunc septem diebus celebramus pascha, si per omne tempus vitæ nostræ, quod septem diebus voluitur, transitum facimus à vitiis ad virtutes. *Itaque epulemur.* Alia æditio habet, Itaque festiuitatem celebremus. Et nos quibus immolatus est agnus verus Christus, celebremus festiuitatem, id est gaudeamus, & exultemus, & lætemur lætitia spiritali, *nõ in fermento veteri*, subaudis epulemur, vel simus. Legimus in Exodo, quòd quando fili Israel egressi sunt *Exod.* 18.
de Aegypto, non detulerunt inde fermentatam farinam, sed tantummodo conspersam. Cogẽtibus enim Aegyptiis ne moram facerent egrediendi, reliquerunt ibi fermentũ. Aegyptus (quæ interpretatur tenebræ) significat tenebras

infidelitatis, fermétum significat peccatum. Et nos Aegyptum relinquimus & fermentum peccati, quando per fidem deserimus infidelitatem, & relinquimus peccatum, transeuntes per aquam baptismatis ad terram repromissionis. Fermentum ergo vetus, appellat vetustatem peccati, & conuersationem veteris hominis. *Neque in fermento malitiæ & nequitiæ.* Malitia & nequitia proprie ad interiorem hominem pertinent, hoc est ad mentem. Sed Apostolus non curans de proprietate verborum, vnum retulit ad exteriorem, ad interiorem alterum: nam malitia est maleuolentia siue mala voluntas. Hic autem pro mala operatione ponitur. Nequitia est superbia vel audacia ad malum, siue mala cogitatio, & est sensus. Non epulemur neque lætemur in vetustate peccati, neque in conuersatione veteris hominis, neque in perpetratione mali operis, aut malæ voluntatis, aut in superbia vel audacia mentis aut mali, sicut solent amatores huius seculi agere, qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. *Sed in azymis sinceritatis & veritatis,* subaudis epulemur & lætemur. Sincera materia est quæ naturam suam perfecte seruat, & nulla corruptione interius fucata aut corrupta, semper in melius proficit, non in peius. Et nos tunc sumus sinceri, quando omnia in simplicitate & puritate mentis agimus, semper in melius proficientes, vel malum pro malo non reddentes, siue aliis offendiculum per malum exemplum non generantes. Et nos in azymis sinceritatis & veritatis epulamur, quando omnia in integritate & puritate mentis agimus, & sine corruptione, non duplicitate vel simulatione aliquid agentes, aut pro humana laude lucrisque temporalibus, sed pro remuneratione patriæ cœlestis, & vt deo soli placeamus. *Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis,* id est ne similes illis efficiamini, vel ne velitis interesse illorum societati. Miserat eis apostolus paruam epistolam, ne commiscerentur fornicariis talibus, qualis erat ille qui vxorem patris habebat. Sed Corinthij male intellexerant hoc, putantes quòd de infidelibus gentibus diceret, non de fidelibus. Ideóque repetit ista, & corrigit eos, inquiens: *Non vtique fornicariis huius mundi,* id est non dixi vel scripsi de fornicariis huius mundi, paganis videlicet, sed de illis qui

qui sunt inter vos. *Alioqui debueratis de hoc mundo exisse,* id est si paganis iterum commisceremini ad paganismum transeundo, melius vobis erat ab hac vita transisse, quàm illis misceri. Aliter, Alioqui debueratis de hoc mundo exisse, id est, si in talibus peccatis permanere vultis, melius esset vobis mori & exire à corpore. Commiscetur fornicario quis, aut fornicando, aut etiam illi in aliquo famulatu cibi & potus vel colloquio fauendo, vel non increpando. Idcirco autem melius est à vita exire, quàm in peccatis manere, quia quanto amplius vinit in illis, tanto maiorem pœnam sibi acquirit. *Si is qui frater nominatur inter vos,* id est fidelis dicitur esse, *est fornicator, cum huiusmodi,* id est, cum tali, *nec cibum sumere. Quid enim mihi est de his qui foris sunt iudicare?* id est, quid pertinet ad me, iudicare de his qui foris sunt, de paganis videlicet, qui extra ecclesiam sunt? *Nónne de his qui intus sunt* in ecclesia, *vos iudicatis?* siue discernitis, id est, nónne vos potestis satis discernere, cum quibus debeatis commisceri, ex his qui in ecclesia sunt? *Nam eos qui foris sunt,* id est, paganos & infideles, *dominus iudicabit.* Quoniam qui non credit, iam iudicatus est. *auferte malum ex vobismetipsis,* id est, qui malum opus fecit, à vestra societate expellite, ne eius miseria alij vitientur. Vel quicquid mali in vobis est, auferte à vobis, &c.

CAPVT VI.

Audet aliquis vestrum habēs, ò Corinthij, *negotium* quod dicūtur quasi nec otiosi, id est causam & accusationem, *aduersus alterum* fratrem fidelem, *apud iniquos,* id est, paganos, *iudicari,* id est, iudicium accipere, *& non apud sanctos,* id est fideles. Quidam Corinthiorum credentium, sed non recte viuentium, habentes accusationem & iudicium aduersus aliquem fratrem fidelem, ibant ad iudices paganos & infideles, vt illorum iudicio damnaretur & iudicaretur ille, contra quem falso aut veraciter causam habebant, lucrantes eos muneribus, quatenus falso aut veraciter illum diiudicarent. Qui iudices iniqui appellantur: vel, quia alieni erant à deo: vel etiam, quia leges diuinas

hominibus concessas, frequéter accipientes munera cum adulatione, aut spernebant, aut falsa interpretatione authoritatem illarum legum idolis suis deputabant, dicentes: Sic & sic dicit ille deus meus in lege, quam nobis sua cultoribus tradidit. Quapropter, quia Corinthij hoc faciebant, redarguit eos Apostolus, inquiens: Audet aliquis vestrũ hoc facere? Omnino non debuit tanta præsumptio esse in vobis, vt aliquis dimittens fideles, causa iudicij inter ad infideles, quærens iudicari fratrem suum ab illis. *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt?* id est, nescitis quòd sancti, amatores huius mundi iudicabunt ex exemplo fidei suæ, & comparatione melioris facti, non potestate sicut iudices seculi. *Et si in vobis*, id est, per vos & vestram comparationem, *iudicabitur mundus*, amatores videlicet mundi: *indigni estis qui de minimis iudicetis.* Hoc quidem non affirmatiue, sed potius increpatiue & interrogatiue legendum est: Est autem sensus huiusmodi: Si comparatione vestri damnabuntur seculares homines & mundi amatores, indigni estis, id est indignos vos iudicatis, vt de minimis iudiciis vel causis iudicetis, de equo videlicet aliquo, & aliquo furto, subaudis non estis indigni, ea videlicet iudicare quæ mundi sunt. *Nescitis quoniam angelos iudicabimus?* Malignos videlicet spiritus, eodem modo quo & mundum, *quanto magis secularia?* id est, amatores seculi. Hi qui dei auxilio freti, obedientiam & humilitatem seruarunt, comparatione sui iudicabunt malignos spiritus, qui per superbiam ceciderunt. *Secularia igitur iudicia si habueritis*, id est ad corpus pertinentia siue corporea, vt est de veste furata, vel equo, aut aliquid tale, *contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Hoc dupliciter potest intelligi. Secundum Augustinum contemptibiles appellantur simplices, qui nec notitiã diuinæ legis neque humanæ habebant, neque prudentiã discernẽdi in negotiis: & quorum personæ despicabiles habebantur, quos illi cõstituerant iudices, ideóq; illi qui aliquod negotium habebant Christiani, necessitate cogente, quia non habebant iudices vtiles sibi, pergebãt ad iudices paganorum, qui in circuitu suo erant. Secundum hunc sensum non dicit affirmatiue hoc, sed ironice præcipit quod illi agebãt, quod & sequẽtia manifestant. Secularia (inquit) iudicia si habueritis:

habueritis: illos qui nec possunt neque sciũt discernere illa, illos constituite ad iudicandum. *Ad verecundiam vestram dico*: quia non debueratis ita agere. Quasi diceret: Nõ imperatiue hoc præcipio, sed ironice & denegando, quia licet vos ita agatis, non debuistis taliter agere, sed debueratis tales constituere, qui aliorum causas discernere & diiudicare scirent: & quorum personæ honorabiles essent: vt non esset necesse aliquem propter hoc ad gentilium iudicẽ transire. Igitur nolite constituere amplius contemptibiles. Secundum Greg. contemptibiles possumus intelligere seculares homines, humanarum legum scientiam habentes, in personis quoque honorabiles: qui cõparatione illorum qui diuinas leges intelligunt, & mysteria sanctæ trinitatis penetrant, contemptibiles sunt & simplices: licet ipsi fideles sint. Et est secundum hũc sensum affirmatiue legendũ: quia tales constituendi sunt: & à canonibus filij ecclesiæ appellantur, & tales debuerant illi constituere. Vnde & subditur: Ad verecundiã vestram dico. Quia etiam me non præcipiente hoc facere debuissetis. Ideóque tales præcipit constitui: quia illi qui altario debent deseruire, & diuina eloquia meditari, & populis verbũ prædicationis exhibere, à secularibus negotiis & iudiciis alienos se debent reddere. *Sic non est inter vos*, id est, nunquid non est inter vos *sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? sed frater* fidelis *cum fratre* fideli *contendit*, subaudis, certe est. Et hoc interrogatiue atque increpatiue est legendum. Quem superius appellauit secundum Gregorium, contemptibilẽ, siue simplicem in diuinis legibus, cõparatione doctorum & prædicatorũ: modo appellat sapientem in humanis legibus, quẽ præcipit constitui. Secundũ Augustinum autẽ, quia illi despicabiles constituebant, dixit iste: Nũquid non est aliquis sapiens inter vos qui possit constitui, vt fratres inter se non contẽdant? & quod peius est, hoc etiam apud infideles faciunt, duplicántque peccatum, & quod litigant, & quod in præsentia infidelium litigant, à quibus blasphematur nomen Christianitatis. *Iam quidem omnino delictum*, id est, offensio & peccatum, *est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos*: quia accusatio litem, lis discordiam, discordia odium generat. Ne forte illi dicerent, omnino hoc peccatum non est, si mea requiro, ideo Apostolus

dixit:in veritate dico,delictū est in vobis, quia contra præceptum domini agitis,qui dixit:Si quis aufert quę tua sunt, ne repetas: & nobis pacem suam commendauit. *Quare non magis iniuriam accipitis?* id est,quare non magis damnum sustinetis,vt præceptum domini custodiatis? *quare non magis fraudem patimini?* quàm vos aliis fraudem faciatis, vel iniurias inferatis? *Sed vos* non solum repetitis vestra, sed etiam *iniuriam* aliis *facitis*, percutiendo illos: *& fraudatis.& hoc* subaudis facitis *fratribus* vestris in fide, cum quibus pacem habere debueratis. *An nescitis quòd iniqui*, id est,peccatores *regnum dei non possidebunt? Nolite errare*, id est,à rectitudinis via declinare. Errabant Corinthij, qui vno vitio non credebant hominem separari à regno dei, nisi omnibus fuisset implicatus.Ideo subdit,commemorando quæ vitia singula à regno dei separant,dicens: *Neque fornicarij*,subaudis regnum dei possidebunt, nisi pœnitentiam dignam in hoc seculo positi egerint,secundum quantitatem peccati, & eleemosynis illud redemerint:vel nisi pœnitentiā agētes,mors illos inuenerit: & post mortē hoc quod deest de pœnitentia,in locis purgatoriis deleatur, & per orationes bonorum hominum, & per oblationem sacrificiorū.Dicit etiā beatus Gregorius, quia aliter orationes & oblationes obtinere non poterunt bonorum operum nisi ille pro quo offeruntur, illud in hoc seculo positus bona intentione promeruerit,& eleemosynis: vt si tempus non esset cōcessum,illa plangeret,& alia plangendo non committeret. *Omnia mihi licent*, id est, omnia genera ciborum licitum est mihi sumere:quia omne quod intrat in os,non coinquinat hominem. &,Vidit deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona,Omnia quoque munda mundis, *sed non omnia expediunt*.i.non omnia sunt vtilia,quia quædam sunt venenata,& vsu horrida:vel non expediunt propter scandalum fratrū:quia melius est non manducare,quā fratrem scandalizare. Omnia mihi licent, subaudis quæ permissa sunt apostolis à domino Iesu, vt qui euangeliū prædicant de euangelio sumptus accipiant, ab his quibus prædicant. *sed ego sub nullius redigar potestate*.i.nullius potestati me subdam.Beatus Apostolus noluit se subdi Corinthiis, aliquod munus ex eis accipiens, vt omnia vitia libere redarguere posset, ne causa ventris vigor euangelicæ veritatis torpe-

Matth.15. Gene.1. Tit.1.

ceret, & ne occasionem pseudoapostolis daret expoliandi domos,effetque euangelium venale. *Esca ventri*,subaudis modo seruit, *& venter* seruit *escis:deus autem hunc* subaudis ventrem, destruet per mortem, cum cessauerit officium edendi,& redactus fuerit in puluerem, *& hanc* subaudis escam, *destruet*, cum homines nasci desierint. *Corpus autem* hominis *non fornicationi*, subaudis debet seruire, *sed domino, & dominus corpori*, subaudis immortalitatem dabit. *Deus verò* pater *& dominum suscitabit*, & vere sicut ipse suscitauit semetipsum, *Et nos suscitabit* deus pater cum filio, *per virtutem suam. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Generaliter tota ecclesia est corpus Christi, quia ipse est caput & princeps eius secundum humanitatem.eo ꝙ homo factus est propter nos,singuli autē electi, membra sunt eius.Si ergo dominus Iesus Christus tantummodo animam susciperet, membra eius non essent nisi animæ nostræ. Quia verò & corpus suscepit, per quod etiam nobis est caput.qui ex anima & corpore constamus, profecto & membra illius sunt corpora nostra. *Tollens ergo membra Christi,faciam membra meretricis? Absit.* quia mébra quæ meretrici adhærent & copulantur, desinunt esse membra Christi. *An nescitis quoniam qui adhæret meretrici* in coitu, *vnum corpus efficitur?* & per naturam, & per maculam peccati vnum efficiuntur. Per naturam masculus & mulier vnū corpus sunt, quia mulier de viro sumpta est. Per maculam verò peccati,concumbendo simul,in ipso amplexu coitus vnū corpus fiunt,sicut & ille qui legitimę vxori copulatur. Vel etiā qui adhæret meretrici,vnū corpus efficitur,quia similis ei efficitur per peccatū. *Erunt enim* (inquit) *duo in carne vna* in personis:vel quia ex viri corpore facta est mulier : vel etiam simul concūbendo vnum corpus efficiuntur. *Qui autem adhæret domino,vnus spiritus est.* Spiritussanctus per se deus est, & mens hominis,siue spiritus cū spiritaliter viuit,& voluntatē dei adimplet,per fidē & dilectione adhærendo summo spiritui, efficitur cū eo vnus spiritus. *Fugite fornicationem.* Non dixit, pugnate contra fornicatione,sed fugite.Cū enim multa sint vitia contra quæ pugnare debeamus,verbi gratia, sicut contra ebrietatē & gulositaē,abstinēdo à nimia potatione vini,& perceptione ciborū,similique modo contra alia,contra fornicationē nō

præcipitur nobis pugnare, sed fugere, quia nullo modo melius vitari potest. Debemus enim fugere locũ, & declinare personas, quibus facile fornicatio suggeritur: & quærere multitudinẽ hominũ, quorũ reuerentia timeamus fornicationẽ perpetrare, licet cõcupiscẽtia nobis suggerat. *Omne enim peccatũ quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Quæstio oritur in hoc loco. *Matt. 15.* Cum dominus dicat, De corde exeunt cogitationes malæ, adulteriũ, fornicatio, homicidiũ, furtum, cæteráque talia: & cum nullum peccatũ fiat, nisi corpore delectante, & anima cõsentiẽte, quare apostolus dicat omnia peccata extra corpus esse, solúmque peccatũ fornicationis in corpore consistere? Quæ hoc modo soluitur, quia ad exaggerandũ tantum malum hoc dixit Apostolus: quoniam comparatione istius peccati, omnia peccata quasi extra corpus sunt: dum enim facit furtum, homicidium, aut aliquid tale, dum illud agit, aliud potest cogitare. Verbi gratia. Vult facere furtũ, cogitat se pœnitentiam acturum: Profert falsum testimonium, forsitan de pœnitentia quam agere debet, cogitat. Dum autem fornicatur, ita præ omnibus peccatis tota mens absorbetur in coitu, totúmque animum voluptas corporis ita facit captiuum atque seruum sibi, vt totus sit homo carneus, nihil valens cogitare, præter quod delectatione corporis agit. *An nescitis quoniam membra vestra templum est spiritussancti, qui in vobis est?* à tempore baptismatis, *quem habetis à deo, & non estis vestri?* Superius dixit, templum dei, hic spiritussancti, quia in substantia idẽ est spiritussanctus, quod & deus. Et in quo habitat spiritussanctus, habitat pater, habitat & filius: quia sicut sunt vnius substãtiæ, vnius deitatis, ita inseparabiles sunt. Quãdocũque animus & delectatio trahit nos ad libidinẽ, vel ad aliquod vitiũ, debemus considerare ꝙ non sumus nostri, neque nostræ potestatis: sed Christi serui sum⁹, cuius volũtati obedire debemus, cuius sanguine redempti sumus, sicut sequẽtia manifestãt. Pulsatur corpus delectatione, vult anima consentire, debet rationabilitas animæ ad se redire, ac dicere: Quid cogitas? quid æstuaris? quo vis ire? Non es tuæ potestatis, sed Christi seruus es, qui te redemit preciosissimo sanguine suo, à diaboli captiuitate: vt quid iterum vis captiuari à diabolo, & ejus potestati subdi, qui tibi in primo parẽte omnem gloriã abstu-

abstulit? Dũ talia cœperit cogitare, omnipotẽtis dei gratia protectus, euadet laqueos incentiuę delectationis. *Empti enim estis precio magno*, non auro neq; argento, sed sanguine Christi. Ille qui emitur siue redimitur, captiuus tenetur, & seruus est illius à quo redimitur. Sic genus humanum captiuum tenebatur à diabolo, seruúsque erat diaboli, quoniam accipiendo dulcedinem pomi vetiti, vendidit semetipsum illi: Redemptus verò sanguine Christi, illius seruus est, eiúsque voluntati obremperare debet. *Glorificate & portate deum in corpore vestro.* Ille deum glorificat, qui mandata illius seruando, alios ad laudem dei excitat, iuxta quod dominus ait, Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum. Deum etiam portat, qui eius notitiam præceptáque in mente gerendo, operibúsque implendo, sancte viuit & iuste, secundum quod dominus præcipit: Sancti estote, quia & ego sanctus sum. Quicunque ergo sancte viuendo sanctus est, deum portat in mente sua, ad cuius imaginem est factus in anima.

CAPVT VII.

DE *quibus autem scripsistis mihi*, subaudis per vestras literas, *bonum est homini mulierem non tangere*, siue non accipere. Pseudoapostolis dicentibus ad Corinthios, Non debetis mulieribus adhærere, qui mũdi deo seruitis: sed qui creditis in Christum, vestras vxores debetis dimittere. Scripserũt Apostolo Corinthij super hac re, vtrum deberent vxoribus adhærere in coitu, nécne. Quibus Apost. respondit, Bonum quidem esse ab vxore abstinere: sed melius esse accipere, quàm cum alterius perpetrare adulterium, aut aliquo modo fornicationem. *Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro*, id est, non se subtrahant abinuicem: volente viro concumbere, locum det & licentiam mulier. Similiter & vir seruiat mulieri, reddens ei debitum concumbendi, illa volente. *Mulier sui corporis*, id est, sui genitalis membri *potestatem non habet*, vt prohibeat viro coitum, *Sed in viri potestate est. Similiter vir sui corporis*, id est, sui verendi siue genitalis membri *non habet potestatẽ*, vt mulieri prohibeat coitũ,

sed in mulieris potestate est. Sic sibi sunt inuicem debitores, & quod maius est, serui: vt vna debeat esse voluntas in lege naturæ. Dies festi, diésque purgationis, & ipsa ratio concepti & partus, iuxta legem cessari his debere monstrantur. *Nolite fraudare inuicem*, id est nolite vos subtrahere abinuicem, ne forte dissessio generet fornicationem: *nisi forte ex consensu*, id est communi voluntate & consilio, *vt vacetis orationi* ad tempus. Omni quidem tempore orādum est nobis, orationique insistere debemus: sed tunc acceptior est Deo nostra oratio, quando mundo corde & corpore profertur. Cum enim quis etiam concessa non tangit, ostendit se velle accipere quod prædicatur. *& iterum reuertimini in idipsum*, id est, ad licitū coitū. Consilium dat coniugatis, vt post dies orationis ad vsum naturalē reuertantur, exponēs causam quare hoc præcipiat, *ne tentet* (inquit) *vos Sathanas* siue diabolus *propter incontinentiam vestram*, videlicet ne vno se subtrahente, alter fornicetur, & sathanas locum tentandi inueniat. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*: quia non præcipio sed permitto. *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum*, id est, si fieri posset, vellem omnes homines esse, sicut ego sum, & amare virginitatem sicut ego amo. Sed quia non potest fieri, concedo secūdum indulgentiam infirmis, qui se nō possunt continere: non tamen præcipio perfectis secundum imperium: quia omnes homines vellent me in omnibus imitari, & in integritate corporis permanere, quia scio quantum valeat castitas apud Deum. *alius quidem sic*, vt virgo maneat, *alius verò sic*, vt sit cum coniuge. *Melius est enim nubere quàm vri.* Non dixit ideo comparatiuo modo, melius est nubere quàm vri, quasi bonum sit vri, ideóque est melius nubere, sed consuetudinē secutus est. Solemus enim dicere. Melius est lucrum facere quàm damnum. Melius est vnum oculum habere quàm nullum. Melius est vno pede inniti, & ex altera parte baculo sustentari, quàm fractis cruribus repere. Sic melius est nubere & vxorem ducere, quàm vri, quod est proprie calore corporis cogente libidinem explere, & quocunque modo nefas perpetrare. *His autem qui matrimonio iuncti sunt*, id est, vxori legitimæ: quæ coniunctio matrimonium dicitur, à matrona, eo quòd sit mater filiorum. *præcipio non ego*, ex mea sententia, *sed dominus*, euangelio

euangelio, *vxorem à viro non discedere*, excepta causa fornicationis. *Quòd si discesserit*, causa fornicationis, *innupta maneat, aut viro suo reconcilietur. Nam cæteris ego dico, non dominus.* Locutus est superius cum innuptis & viduis atque coniugatis fidelibus, modo dicit cæteris, id est, permixtis infidelibus cum fidelibus. Quare dicit, ego dico, nō dominus? nunquid dominus non loquebatur per eum? Vtiq;. Sed ideo dixit se dicere, & non dominum, quia hoc præceptum non continetur in euangelio dictum à domino, sicut illud superius, quòd non debeat vir dimittere vxorem suā, nisi causa fornicationis. *Si quis frater* fidelis *habet vxorem infidelem*, siue non credentem: *& hæc vxor consentit habitare cum illo*: id est, si nomini Christiano non detrahit: *non dimittat illam.* quia accidere solebat, vt viro credente mulier infidelis persisteret: & plerunque vxore credente vir infidelis maneret. Ideo talia præcepit Apostolus: vt si nomini Christiano non detraheret, non dimitteret aliquis sociam suam. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem.* Iam hoc euenerat in multis post domini ascensionem, vt per mulierem fidelem sanctificatus esset vir infidelis, credendo in Christum, illius prædicatione & bono exemplo, quæ de superba facta erat humilis & subiecta viro: & per virum fidelem mulier infidelis saluata est similiter quondam. *Alioqui filij vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt*, id est, si ambo infideles essetis, vel ille qui fidelis factus est, iterum reuerteretur ad paganismum propter illum qui noluit credere, vtique filij vos imitarentur. Vel etiam si fidelis dimitteret sociam suam infidelem, essentque separati abinuicem, filij forsitan immundi essēt: quia idolis deseruirent patre infideli, vel matre infideli adhortante, & immundi essent etiam ex cibis quos comederent idolis consecratis. Nunc autem dum simul morantur fidelis cum infideli, forsitan filij illorum fidelem imitantur, & sancti sunt. *Quòd si infidelis* vir aut mulier, à socio fideli *discedit*, nolens credere: *discedat*, id est, liberam habeat potestatem discedendi: tamen fidelis non proiiciat illum à se, neque propter illum discedat à fide. *Non enim seruituti subiectus est frater aut soror in eiusmodi*, id est in tali facto, id est infidelis si non vult manere cum fideli, ille qui fidelis non est ita subiectus illi vt debeat illum sequi, neque subie

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctus est culpæ, propter hoc si ille discedit. *in pace enim* id est ad concordiam *vocauit nos deus.* idcirco si vult discedere infidelis qui blasphemat nomen domini, recedat, vt pacem possit habere fidelis, id est, non oportet litigare cum eo qui discedit. *vnde enim scis mulier aut vir, si vnus alterum salvum faciet, nisi sicut vnicuique* viro & mulieri *dauit,* siue disposuit, *dominus,* subaudis tempora credendi, vt primum credat vir, deinde mulier, aut primum mulier, deinde vir? *vnumquemque sicut vocauit dominus* ad fidem, *ita ambulet,* ita maneat, id est si habes vxorem, tene eam: si non habes, ducere non compelleris. *Circumcisus aliquis vocatus est, non adducat præputium.* Quid est quod loquens Apostolus de vxoribus atque coniugatis, sic subito transiuit ad circuncisionem atque præputium? Et quomodo potest adduci præputium quod præcisum est: Notandum in hoc loco, quia non de circuncisione, id est expoliatione pellis genitalis membri loquitur, sed circuncisum appellat liberum ab vxore: & præputiatum, vxorem habentem. Circuncisus (inquit) vocatus est quis, id est, non habens vxorem, non adducat præputium, id est non ducat vxorem, vt non sit præputiatus sed alienus á coniugio. *In præputio aliquis vocatus est,* id est habens vxorem, *non circumcidatur,* id est non relinquat vxorem suam, nisi illa forte cãsta permanere decreuerit. *Circumcisio nihil est,* id est, castitas sine bonis operibus nihil est: & insuper fides sine operibus otiosa est. *& præputium nihil est,* id est, coniugium absque opere bono. Si fuerit quis circuncisus, id est castus siue cœlibatus, quod est sine vxore, caruerit quoque bonis operibus, nihil ei prodest sua castitas. Si etiam fuerit coniugatus, & non habuerit bona opera, coniugium illius nec prodest, nec obest ei, *sed obseruatio mandatorum dei* prodest. *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est* ad fidem, *in ea permaneat,* siue cum vxore, siue sine vxore. *Seruus* subaudis vxoris *vocatus es,* cuius voluntati seruire & parere debes: *non sit tibi curæ.* noli deficere neque dimittere eam, quia non ideo amittes regnum dei, licet coniugatus fis, si ita seruieris vxori, vt non displiceas creatori. *sed & si potes liber fieri,* subaudis ab vxore, id est, si tua coniunx obierit, aut etiam in castitate manere elegerit, *magis vtere* subaudis ista libertate, vt consentias ei, & aliam noli accipere.

Qui enim in domino, id est vt in domino crederet, *vocatus est seruus,* subaudis vxoris, *libertus est domini,* id est, liberatus est à peccati iugo, & quandam libertatulam habet à domino, vt seruiat vxori ita, vt non displiceat creatori. *Similiter qui liber vocatus est,* id est sine vxore, *seruus est Christi,* id est, non debet se occupare seruitio terreno & vxorio: sed ex toto debet seruire domino: quoniam maius seruitium requiritur ei à domino, quàm à coniugato. *Pretio empti estis,* id est, sanguine Christi, *nolite fieri serui hominũ,* id est, serui vxorum. Illi serui efficiuntur hominum, qui propter vxorem deserunt creatorem: & ei displicent, immode rate seruientes vxori. Tam charo ergo precio empti sumꝰ: vt nullo alio redimi possemus, nisi sanguine filij dei. Quapropter sicut ille qui emitur, magis seruire debet illi à quo emitur, vt aliquando vicem reddat emptori: ita & nos omni studio atque instantia seruire debemus Christo à quo empti sumus. *Vnusquisque frater,* id est fidelis, *in quo vocatus est* vt crederet, *in hoc permaneat.* videlicet si cum vxore vocatus est, non dimittat illam: si liber est ab vxore, si se potest continere, vtatur illa libertate. *De virginibus præceptum domini non habeo.* quia dominus virginitatem laudauit, non tamen præcepit, ne videretur nuptias damnare. sed dixit: Sant eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum, atque subintulit. Qui potest capere, capiat. *Consilium autem do,* quod non displiceat aliis, *tanquam misericordiam consecutus à domino, vt sim fidelis,* subaudis consiliator, & idoneus in dandis salutaribus consiliis. Paulus Apostolus consiliator Dei erat, quia spiritum dei habebat, sicut ipse aliàs dicit. Puto autem quòd & ego spiritum dei habeam. Idcirco dicit, Gratiam & misericordiam consecutus sum, vt sim fidelis consiliator dei: ideóque consilium meum non debeo vobis abscondere. *Existimo ergo hoc bonum esse,* id est, virginitatem seruare, *propter instantem necessitatem.* instantem siue præsentem necessitatem appellat tribulationem & angustiam, quam sustinent cõiugati, & maxime coniugatæ, fastidium videlicet in cõcipiendo, dolorem in parturiendo: quo dolore plerunq; solet mulier mori, curam multam & laborem in alendis & conuentis filiis, tristitiam de ægrotatione & morte eorum, maxime si omnibus filiis fuerit orbata, de amissione quoq; Mat. 19.

coniugis. Similiter etiã labores & dolores quos sustinet vir de amissione filiorũ, & morte vxoris. à quib⁹ omnibus sunt illi liberi, qui virginitatem seruant, imitantes illam vitam quæ post mortem erit. Quapropter subdit Apostolus: *quamobrem bonum est homini sic esse*, id est, in integritate corporis viuere, virginitatem seruare, vt possit esse liber ab his necessitatibus. Quod verò sequitur, *tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi*, illi tales, videlicet qui matrimonio copulantur, quod supra appellauit necessitatem instantem, in hoc loco appellauit tribulationem. *Ego autem vobis parco.* & est sensus, Suadeo vobis, & consilium do vt casti sitis, volens vos seruare, ne in tribulationem carnis incidatis. Aliter: Ego vobis parco, id est, dimitto, vel consentio accedere vos ad hanc tribulationem carnis, si non vultis integritatem corporis seruare. *Tempus* subaudis vitæ nostræ, *breue est*, quia in breui finietur: ideóque non est populus dei ita propagandus generatione carnali, sicut hactenus à principio mundi, sed est iam regeneratione colligendus. *Reliquum est*, id est hoc remanet, vel hoc superest, *vt & qui habent vxores* modo, *tanquam non habentes sint.* Vxorem nanque habet, sed quasi non habet, qui hodie videtur illam habere, sed crastina die moritur, & desinit postmodum vxorem habere. Ideóque debet in præsenti seculo futuram vitam imitari, in qua erunt electi similes angelis dei. Aliter, vxorem habet, sed quasi non habet, qui sic scit debita carnis exoluere, vt tamen per eam mundo tota mente non cogatur inhærere, videlicet sic reddens debitum vxori, vt non displiceat creatori. *& qui flent, tanquam non flentes* sint. Flet quilibet amissione proximorum & miserias huius seculi, sua quoque & aliorum peccata. sed quasi non flet, qui consolationem habet in spe cœlestis remunerationis, vt impleatur quod dominus dixit, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *& qui gaudẽt, tanquam non gaudentes.* Multi sunt qui gaudent de temporalibus commodis: sed quasi non gaudent, quia sic gaudent in temporalibus bonis, vt semper tormenta perpetua considerẽt, & æternum dei iudicium timeant. *& qui emunt, tanquam non possidentes.* Emit aliquis prædia terrena, boues, seruos, & ancillas: sed quasi non possidet, dum repente ab hoc seculo transit per mortem corporis. Aliter: Emunt mundi bona

Matt. 5.

ti bona temporalia, atque ad vsum suum aliorũnque præparant, quæ in hoc seculo necessaria sunt: sed quasi non possident, dum sic adhærent terrenis, vt non amittant æterna, cauta cõsideratione præuidentes, quia hæc omnia in proximo relicturi sint: spémq; suam in terrenis & trãsitoriis rebus & possessionibus non ponunt, *& qui vtuntur hoc mũdo, tanquam non vtantur.* Multi vtuntur bonis huius seculi, sicut reges & principes: sed quasi non vtuntur, dum insperatõ munus & concupiscentiam eius relinquunt per mortẽ corporis. Multi etiam vtuntur his quæ in hoc mũdo sunt, sicut boni reges & principes diuitésque, vt fuit Abraham, Iob, & Dauid, qui propter dignitatem honoris & principatus quã obtinent, non possunt his non vti: sed quasi non vtuntur, dum non fiunt serui diuitiarum, neq; permittunt hæc eadẽ suæ menti dominari, cogitantes cuncta transitoria esse. *Præterit enim figura huius mundi*, id est, transibit figura & species mundi per ignem, remanebit substantia renouata per ignem & melior, ad hoc vt in æternum maneat. iuxta quod Salomon dicit, Terra in æternum stat. *Volo autem vos sine solicitudine esse*, id est, sine multa & superflua cura, quam habent coniugati. *Qui cum vxore est, diuisus est.* quoniã ex parte seruit coniugi, ex parte domino. *& mulier innupta & virgo*, quod vnum est, *cogitat vt sit sancta corpore & spiritu*, id est, mẽte. Ideo addidit, mẽte siue spiritu, quia multæ sunt quæ habẽt integritatem corporis, sed non sunt virgines mente: quoniam si possent, iam nupsissent. *Hæc ad vtilitatem vestram dico*, quoniam sanctum est apud deum, & leue in hoc seculo, in virginitate permanere. *non vt laqueum vobis iniiciam*, id est ideo ista non dico, vt æternam perditionem vobis immittam: *sed ad id quod honestum est*, subaudis prouocans. Virginitatem seruare honestum est, ergo omne honestum sanctum, ideóque virginitas sancta, honesta, & deo accepta est. *Si quis autem existimat & putat turpem se videri* ab aliis, *super virgine sua, quòd sit superadulta*, id est, eo quòd ad nubiles annos peruenerit, timet illam fornicari cum aliquo seruorum suorum, nec potest illam seruare virginem, *quod vult faciat*, id est, tradat illam cuicunque vult: *non peccat* virgo *si nubat: quòd si dormierit*, id est, si mortuus fuerit *vir eius, nubat* mulier *cui vult, tantum in domino*, id est, fideli se misceat viro. *Beatior autem erit, si sic*

Eccle. 1

permanserit secundum meum consilium, id est, si in castitate & viduitate permanserit.

CAPVT VIII.

De his autem cibis & potibus, *quæ idolis immolantur*, subaudis scripsistis mihi. Inter cætera quæ Corinthij Apostolo scripserunt per epistolam, etiam super hoc scripserunt, vtrũ deberent omnia comedere, necne: & vtrũ essent omnia munda, quia quidam illorum habetur scientiam, cuncta esse à deo creata bona, manducabant in templis idolorum, & scandalizabant simpliciores fratres, qui dicebant: Nisi iste qui maioris scientiæ est quàm ego, sciret aliquid numinis & deitatis esse in hoc idolo, & in carnibus ei consecratis, nequaquã in idolio id est in templo idolis consecrato residens, carnes, aliósque cibos, & vinum idolis consecratum sumeret. De hoc multa dictutus est hic Apostolus. *Scimus quoniam omnes scientiam habemus*, subaudis, omnia esse munda per naturam, sed immolatio illorum, & consecratio qua illis consecratur, facit eos immũda. *Scientia*, subaudis qua credimus omnia munda esse dis, & omnia sanctificari per inuocationẽ nominis Christi, *inflat*, id est per superbiæ tumorem mentem eleuat: *Charitas verò ædificat*. i. dilectio fraterna qua cõsulimus fratribus simplicioribus, quatenus eos in aliquibus non scandalizemus, ædificationẽ habet. In qua virtute. i. charitate etiã aliæ virtutes cõprehenduntur, patientia videlicet, humilitas, concordíaque simplicitas. Sicut enim vinum non temperatum aquæ mixtione alicuius dulcedinis, aut etiam aquæ, mẽtem eleuat: & sicut omnia mera & pura non ita delectant sicut commixta: sic scientia diuina vel humana non est vtilis, quando mentem in superbiã eleuat, nisi tẽperata fuerit dilectione proximi, humilitate quoque, patientia, atque simplicitate. Tunc autẽ scientia magna est & sibi vtilis, si charitate humilietur, cũ qua etiam amplius crescit. *Si quis autem existimat se scire aliquid*. i. omnia munda esse, & quòd licita fidelibus sint ad vtendum, *nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire*. i. nondum considerat quòd expedit etiã multis licitis abstinere propter scandalum fratrum. *Si quis autem diligit deum*, & causa charitatis scientiam mitigat, *hic cognitus est ab eo*, id est, hic est electus ab eo. *De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo.* Idos græcè, latinè dicitur species vel forma, inde diminutiue idolum, id est, formula ex aliquo metallo, aut ex lignis, siue lapidibus. Ideo ergo idolum nihil est, quia videtur imaginem hominis habere, & non est homo: videtur imaginem alicuius bestiæ habere, & non est bestia: videtur aures, oculos, nares, & os habere, sed ideo nihil est: quia non videt, non audit, non olfacit, non loquitur. Dicitur homo esse, non est homo: dicitur deus esse, nõ est deus, ideóque nihil est, quia quod dicitur esse non est. Adoratores quoque, cultorésque eius, atque cibi qui illis consecrantur, nihil sunt, quia illius cultura & consecratio facit eos nihil esse. Ex hoc etiam homines idola colentes nihil sunt, quia omnis creatura quæ nõ adhæret ei qui semper habet esse, nihil est, sicut propheta dicit: Omnes gentes idola colentes, sic sunt quasi non sint, & quasi nihil & inane reputatæ sunt ei. Idola quoq; propterea nihil sunt, quia facit homo formam habentem caput hominis ex vna parte, caput bouis ex alia parte, caput leonis ex tertia, caput aquilæ ex quarta, reliquũ corpus serpentinũ, pedes equinos, quod nihil est, quia deus aliquam creaturã talem non fecit. *Nã & si sunt qui vocantur* à paganis *dij in cælo*, vt Saturnus, Iupiter, Mercurius: aut certe à Christianis, vt angeli & sancti nuncupatiue, & nõ substantialiter, *siue in terra* à paganis, vt Neptunus, Pluto, aut certe iusti homines. *siquidem sunt dij multi* paganis vel Christianis nũcupatiue, vt Moyses, cui dictum est, Constitui te deũ Pharaonis: & de quibus dicitur, Ego dixi dij estis. *nobis tamen* apostolis aliisq; fidelibus, *vnus est deus pater*, substantialiter, *ex quo omnia* cõstant, & à quo origine cuncta sumpserunt. *& nos in illo* subsistimus, siue in illũ, quasi intra illũ subsistimus: quia omnis creatura intra illum consistit, & ipse est extra omnia, & intra omnia. *& vnus dominus Iesus Christus*, cũ patre & spiritu sancto, *per quẽ* dominũ Iesum, *omnia* facta sunt subaudis, *& nos per ipsum* creati sumus & redẽpti: *Sed non in omnibus est scientia* subaudis ista, vt credant vnum verum deum solummodo esse, qui trinitatem habet in personis, & vnitatem in substantia.

Quidam autem cum conscientia vsque nunc idoli quasi idolothytum, id est, idolis datum & consecratum *manducant: & con-*

Esaiæ. 60.

Exod. 7.

Psal. 81.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scientia ipsorum cum sit infirma, polluitur: quoniam dũ firmio-
res in fide viderint recumbere idolo, & comedere idolothy-
ta, aliquid numinis & religiosum putant esse in idolis. Et
in hoc est illorum conscientia infirma, vel quia putantes o-
mnia esse munda, comedũt idolothyta, vel quia aliquid nu-
minis credunt esse in idolis. *Esca autem nos non commen-
dat deo.* subaudis quam credimus mundam, id est, non facit
nos acceptabiles deo, & laudabiles apud illum. *neque enim
si non manducauerimus,* subaudis de sacrificiis idolorum, *defi-
ciemus,* vt alios cibos non habeamus, quos possimus mandu-
care. *neque si manducauerimus* carnes idolis consecratas, *a-
bundabimus,* subaudis vt aliorum ciborum refectionem nõ
quæramus. *Videte autem ne forte hæc licentia vestra,* qua credi-
tis omnia munda mundis, & per inuocationem nominis
Christi omnia sanctificari, *offendiculum fiat infirmis* in fide,
vt credant aliquid deitatis esse in idolo: & comedant pro-
pter hoc carnes illi consecratas. *Si quis enim viderit eum
qui habet scientiam,* id est, qui perfectus est in fide, & credit
omnia munda, *in idolio recumbentem,* id est, recumbendo mã-
ducare. Sic peccatis in fratres, dũ comeditis corã illis car-
nes idolis consecratas, recũbentes in idolio. *Si esca scanda-
lizat fratrem meum,* quemlibet credentẽ, simplicem & adhuc
infirmum in fide, *non manducabo carnem* idolis consecratã
in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Erant quidã apud
Corinthios, qui scientiam habẽtes omnia munda esse, co-
edebant cibos idolis consecratos, & prouocabant simpli-
ces & infirmos in fide ad similia. qui dicebant: Nisi isti qui
prudentiã & scientiã habent, scirent deitatem esse in his
idolis, nequaquã hoc agerent. Manducabo ergo & ego, vt
consecrer per has carnes. Ecõtra erãt alij perfectiores, qui
licet scirent omnia esse munda à deo facta, nolebant car-
nes idolothytas comedere, quia sciebant illas per inuoca-
tionem dæmoniorũ esse immundas, & ne scandalizarent
fratrem suũ, prouocando eũ ad comedendũ, dicebant ista
quæ Apostolus ex persona illorum loquitur: Ante (inquit)
moriar fame, quã vt fratrem meũ scandalizem, manducan-
do carnes idolothytas. Et non solum abstinebo ab illis: sed
etiam ab omnibus, pro quibus ille potest scandalizari. Po-
test tamen ex persona Apostoli esse dictum, vt Apostolus
ex se talia diceret, prouocans eos ad charitatem.

CAPVT IX.

N*On sum liber?* Verba irascentis sunt, &
quod videtur negare confirmat. Sunt au-
tem increpatiue legenda: Non sum liber?
Sum vtique. Liber erat Apostolus secun-
dum carnis prosapiam, vtpote de genere
patriarcharum descendens. Liber quoque erat ab omni
debito ipsorum, quia nihil ab eis acceperat. *Non sum
Apostolus?* Dicebatur à quibusdam Iudæis nõ credentibus
& insuper à Corinthiis seductis à falsis Apostolis, ꝙ Pau-
lus non esset Apostolus, eo ꝙ Christum non viderit, quos
increpat Apostolus, inquiens: Nunquid non sum Aposto-
lus à Christo missus? Sum vtique, quia ipse mihi dixit, Lon-
ge mittam te ad gentes. *nónne dominum Iesum vidi?* Vtique
vidi illum dum pergerem Damascũ, & postea in templo.
nónne opus meum, id est, operatio & plantatio mea, *vos estis* *Actu. 17.*
in domino? Estis omnino. *Et si aliis,* subaudis gentibus & Iu-
dæis, *non sum Apostolus, sed tamen vobis* Corinthiis *sum* Apo
stolus, quos spatio vnius anni & sex mensibus ad fidẽ Chri
sti mea prædicatione adduxi. Non solum ergo Corinthiis
erat Apostolus. sed pene omnibus gẽtibus, sicut ipse dixit,
Qui operatus est Petro in apostolatum circuncisionis, ope-
ratus est & mihi inter gentes. *nam signaculum.* i. signum &
indiciũ *apostolatus mei vos estis* & vestra credulitas, qui per *Gala. 2.*
meam prædicationem credidistis in domino, *Mea defensio
apud eos qui me interrogant,* subaudis vtrũ sim Apostolus, néc-
ne, *hæc est,* quia vos estis signũ apostolatus mei in domino,
& per hoc defensor esse Apostolus. vos enim estis defensio
mea, quibus euangelium prædicaui. *Nunquid non habemus,*
ego & Barnabas, *potestatem manducandi & bibendi?* subau-
dis ex officio prædicationis: & à vobis accipiendi quæ ne-
cessaria sunt, secundum quod nobis dominus potestatem
dedit, sicut & aliis apostolis? *nunquid non habemus,* ego &
Barnabas, *potestatem sororem mulierculam,* id est, quamlibet
fidelem, *circunducendi,* id est, de loco ad locum ducendi, vt
ministret nobis: *sicut & cæteri apostoli, & fratres domini* fa-
ciunt, Iacobus videlicet, & Ioannes Zebedæi, & materteræ
domini, necnon etiã Iacobus Alphæus, & Iudas, & Ioseph
filij similiter materteræ domini, necnon etiam *& Cephas?*

qui & Petrus. Cephas Hebræum est & Syrum, Petrus græcum & latinum. Simon græcum est. Quidam non intelligêres proprietatem græcæ linguæ, fefellit eos ambiguitas verbi græci in hoc, quod dicit sororem mulierē, quasi vxores habuerint apostoli, quas secum ducerent, nam gyne vtrumque significat, & vxorem & mulierē. Vnde gynecęum appellatur locus vbi plurimæ residentmulieres. Fideles enim mulieres habentes terrenam substantiam, ibant cum Petro aliisque apostolis Iudæorum, ministrantes eis de substantia sua, quæ necessaria erāt: sicut Maria Magdalena, & Martha, aliæque mulieres, quæ secutæ erant dominū de Galilæa, sequebantur illum ministrantes ei, quod beatus Paulus Apostolus non faciebat, qui gentibus prædicauit, licet potestatem haberet. tamen non ducebat mulieres secum, ne scandalum oriretur apud gentes, quarum magistri & præpositi hanc consuetudinē non habebant. *Quis* miles *unquam* pro vita regis, & pro defensione patriæ, *suis stipendiis* vnquam id est, propriis substantiis, subaudis nullus. Tamen ego militio meis stipendiis, labore manuū meārū victum & vestitum acquirens. *Quis plantat vineam, & fructus eius*, id est, racemos *non edit*? Vinea apostoli, erant Corinthij, quos plantauerat ipse in fide Christi, sed fructum eius non susceptum videlicet vnde viueret. *nunquid secundum hominem hæc dico*? id est, nunquid secundum humanum intellectum & ex proprio sensu ista loquor? *An & lex hæc non dicit*? *Scriptum est enim in lege Moysi, non alligabis os boui trituranti*, id est, os prædicatoris alienum à mercede non facies. Recte ergo prædicatores bobus comparantur, quia sicut illi vomere exarant terrā, ita prædicatores vomere sue ligone verbi dei excolunt corda auditorum, vt ferant fructus salutis æternæ. *nunquid de bobus cura est deo*? Est vtique deo cura de bobus, qui omnium quæ fecit, curam habet, sicut ei dicitur, Nihil odisti eorum quæ fecisti. Et non solum de bobus, verum etiam de passeribus cura est illi, sicut in euāgelio ostenditur, vbi dicitur pascere illos. Sed nō erubescebat ita de bobus: vt inter præcepta quæ homini dedit ad salutem sui, præciperet curā bouis habere. Nec enim necesse est per scriptam legem monere hominem, quomodo bouis suo consulat. *quoniam debet in spe*, subaudis fructus percipiendi, *qui arat, arare. Si nos vobis spiritalia*, subaudis *bona*, *seminauimus*, prædicando gratiam videlicet fidei & doctrinæ, *magnum est, si nos vestra carnalia metamus*? id est, vt à vobis accipiamus temporalia, quibus contulimus æterna? Non est hoc magnum, increpatiue legendum est & interrogatiue. *Si alij*, id est pseudoapostoli, *potestatis vestræ*, hoc est, facultatis vestræ bonorumque temporalium, *participes sunt, quare non potius nos*? subaudis, debemus participare bonis vestris, qui sacra monita euangelij vobis prædicamus? Verum omnia incommoda sustinemus ego & Barnabas, sitim videlicet, famem, nuditatem, omnémque indigentiam: *ne quod offendiculum demus euangelio Christi*, id est nedicatur de nobis, quòd causa quæstus & lucri temporalis potius prædicemus euangelium, quàm causa salutis animarum & remunerationis æternę, habeaturq; euangelium venale. *Nescitis quoniam qui in sacrario*, id est in templo idolorum, *operātur*, excoriando victimas, & coquendo, *quæ de sacrario sunt edunt*? id est de his viuunt, quæ ibi offeruntur, & quæ pertinent ad sacrarium, *& qui altario* subaudis dei, *deseruiunt* in lege, id est veteri testamento, *cum altario participant*? Si quando holocaustum offerebatur in altari domus domini, totum animal sibi vendicabat altare: si quando verò victimæ aliáque sacrificia offerebantur, partim cremabātur in altari, partim sumebant seruitores in suos vsus. *Ita & dominus ordinauit*, id est, disposuit & potestatem dedit. *Ego autem*, licet potestatem haberem de euangelio viuere, *nullo horum* quæ superius dixi, *vsus sum*, quia nullos sumptus à vobis accepi, vt euangelium non facerem venale, & vos libere possem redarguere. *Non autem scripsi hæc vt ita fiant in me*. Poterant illi dicere: Vere ideo Apostolus talia scripsit nobis, vt quod antea non accepit à nobis, modo accipiat, vt demus ei quæ necessaria sunt. Ad hæcille. Non ideo (inquit) ista dico, vt quod hactenus non feci, nunc facere incipiam, sed vt vos ad charitatem prouocem. *Bonum est enim mihi magis mori* fame, siti, nuditate, *quàm vt gloriam meam*, quam spero me recepturum pro mercede prædicationis, *quis euacuet* siue destruat, dando mihi munera. Tunc enim gloria illius euacuaretur, si mercedem accipiens in præsenti, non speraret mercedem aliam accipere in futurum, nec redargueret

Luc. 12.

delinquentes. *Nam & si euãgelizauero*, subaudis solummodo propter hoc, vt propter assiduitatem prædicationis mercedem in præsenti accipiam, & laudem ab hominibus, *non est mihi gloria*, subaudis æterna in futuro. *Necessitas enim* subaudis manducandi, bibendi, vestiendi, *mihi incumbit*. Ideóque prædico, quoniam vnde viuam, aliunde non habeo. Hæc in quibusdam fiebant, sicut in pseudoapostolis, sed in Paulo non erãt, qui neque mercedem, neque laudem ab hominibus quærebat in præsenti, timens audire in die iudicij, Recepisti mercedem tuam si laborasti: *Væ enim mihi est*, id est indigentia me opprimet, penuriam famis sustinebo, *si non euangelizauero*, non ex sua persona talia dicit, sed potius ex illorum, qui ideirco prædicabant, quia non habebant vnde viuerent, nisi ex prædicatione, ideóque fauebant suis auditoribns. *Si enim volens* siue sponte *hoc ago*, id est si non prædicauero propter sumptus carnales, & administrauero euangelium sine mercede temporali, *mercedem habeo* paratam à Christo, remunerationem videlicet æternam, auditurus ab ipso, Intra in gaudium domini tui. *Quæ est ergo merces mea?* interrogat Apostolus seipsum quæ sit merces prædicationis eius in præsenti, & dicit: Iam (inquiens) volo sponte prædicare euangelium, quæ est merces mea in præsenti? Et respondet ipse sibi aut alicui interroganti, quæ est merces tua? Hæc est merces mea in præsenti & intentio, vt euangelium prædicans fidelibus, omnibúsq; audire volentibus, *sine sumptu ponam euangelium*. Subaudis in cordibus eorum: *vt non abutar* siue non vtar, *potestate mea in euangelio*, quam cum aliis Apostolis habeo, id est ne accipiam aliquid ab audritoribus, quoniam magna merces mihi reseruatur à Christo. *Nam cum liber essem*, non solum secundum naturam, vtpote de genere patriarcharum descendens, verum etiam, *ex omnibus* negotiis hominum, nihil ab eis accipiendo, *Omnium* subaudis hominum, *me seruum feci*, supportando omnes, veluti bonus procurator supportat infirmos, maxime vos ò Corinthij per meam patientiam. Feci autem hoc non calliditatis astutia, sed compatientis affectu, vt *plures lucrifacerem* Christo. *Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus*, subaudis legis obseruator, adhuc tondendo caput in Cenchris, quæ est portus Corinthij, offerendo munera

munera in templo Hierosolymis, secundum quod in Actibus Apostolorum habetur, quando purificatus ascendit in templum, & circuncidendo Timothæum propter Iudæos: *vt Iudæos lucrarer* Christo, à cultora videlicet legis, ad gratiam perducendo euangelij. *His qui sub lege sunt*, id est, à Samaritanis, quinque libros legis habentibus, veniens ad illos factus sum eis, *quasi sub lege essem*, id est, quasi carnaliter legi seruirem, *cum ipse non essem sub lege* Moysi animo, sed sub gratia euangelij, vt eos Christo lucrarer. Feci autem hoc, non simulandi versutia, sed compatiendi misericordia. *His qui sine lege erant*, id est gentibus, factus sum, *Tanquam sine lege essem*, consentiendo gentilium philosophis apud Athenas, vnum deum esse qui cuncta fecerat: & animas immortales esse, & homines ab vno deo principiũ sumpsisse, visus est eis quasi vnus ex ipsis, licet idola non adoraret: paulatimque trahebat eos ad illa quæ minus credebant, suadens vt in eũ crederent, per quẽ omnia facta sunt, id est in filiũ dei. *Factus sum infirmis* Iudeis & gentibus in sensu & intellectu, qui magna non poterãt capere, *infirmus*, comparando & coæquando me illorũ infirmitati & pusillanimitati: *vt infirmos* sensu & intellectu, *lucri facerem*, talia prædicando, quæ eorum capacitati congruebant, & quæ ipsi capere poterant. *Omnibus* subaudis genti bus Iudaeisq;, *omnia* superi⁹ dicta, *factus sum*, infirmus videlicet infirmis, Iudæus Iudæis, Samaritanus Samaritanis, qui repromissionẽ de Christo expectabant, gẽtilibus gentilis, *vt omnes saluos facerem*, prædicando illis verbum dei. *Omnia autem facio propter euangelium*, id est propter Christum, cui euangelium testimonium perhibet, *vt particeps eius*, id est particeps euangelij, *efficiar*. Sic videntur hæc verba sonare, & sic loquitur Apostolus, quasi euangelium rationis capax sit, ac si diceret: vt particeps euangelij efficiar, id est vt præmia quæ in euangelio promittuntur, in regno cœlorum consequi merear. *Nescitis quòd hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium?* Voleus & desiderans egregius prædicator Corinthios omnésq; fideles prouocare ad cursum bonæ operationis, quatenus fortiter in sudãdo pertingere ad brauium æternæ vocationis mereantur: dat inde comparationem, cuius exemplo accendantur ad victoriam æternam captandã, inquiens: Nesci- *Actu. 16.*

tis quòd hi qui in stadio currunt, &c. Fuit quodam tempore gygas quidam nomine Hercules, apud Græcos fortissimus, omnique virtute corporis robustus, agilitate quoque seu velocitate pedum in cursu velocissimus atque peritissimus, qui vno anhelitu cucurrit, atque (vt ita dicamus) peruolauit centum vigintiquinque passus, sicque subdit vno in loco, quod spatium sui cursus stadium appellauit, à stando: & est octaua pars miliarij. Inde postmodum inoleuit mos apud Græcos & consuetudo diuturna, vt ex singulis vrbibus, castellis, oppidis, necnon & villulis, iuuenes se præpararent, quatenus aduenientе festiuitate deorum, possent currere ad illud stadium, quod mensurabatur centum vigintiquinq; passibus. Post cuius metam ponebatur aurum vel argentum, aut equus, siue pallium, aut aliquod præmium, quod brauium græco vocabulo dicebatur, latine verò palma victoriæ appellari potest, vel corona: cunctisque astantibus viris & mulieribus, ad spectaculum illud currebant omnes: sed vnus qui prior currebat, accipiebat brauium, cæteris in vanũ currẽtibus: quia nihil vtilitatis præstabat eis suus cursus, nisi q̃ risum & cachinnum populis excitabant, sibi autem verecundiam magnã. Altiori verò intelligentia, per stadium, per quod illi currebant, debemus intelligere fidem nostrã, intra cuius metam currere iubemur, ab exordio fidei nostræ vsque ad terminum huius vitæ, quousque perueniamus ab brauium re-

Matt. 10. promissum, de quo dominus dicit: Qui perseuerauerit vsq; in fidem, hic saluus erit. Hoc tamẽ distat inter illorum cursum & nostrum, quòd ibi omnes qui ad hoc erant parati, currebant: sed vnus qui præ cæteris currebat, prior perueniendo ad brauium, accipiebat solus remunerationem suæ victoriæ. In nostro autem cursu, omnes qui bene cucurrerint, præmium sui laboris percipient, nec dolebunt se incassum cucurrisse, cum omnes qui peruenerint, remunerationem acceperint. Ille verò vnus significat numerũ electorum, qui comparatione reproborum paruissimus est, licet in se sit perfectus. Vnde dominus dicit: Multi sunt vo-

Matt. 20. cati, pauci verò electi, quasi diceret: Multi incipiũt currere, sed ante deficiũt & lassescunt, quàm perueniãt ad brauiũ: paucique sunt qui perueniunt ad palmam victoriæ. Significat enim vnus ille, vnitatem sanctæ ecclesiæ, quæ est corpus Christi. Quicunq; etenim vnitati ecclesiæ fide bonisq; operibus atque perseuerantia iunguntur, illi perueniẽt ad palmam. De qua vnitate dicit dominus: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo, cum corpore videlicet suo, quod est ecclesia. *Sic currite* ò fideles, in fide, recte credendo, & bene viuendo, *vt comprehendatis* palmam perennis remunerationis. Solicite ac virilter vult Apostolus vt curramus, quia magna est promissio ad quam tendimus: *omnis enim qui in agone*, id est, in certamine & pugna, *contendit* siue desudat, *ab omnibus se abstinet*, quæ contraria sunt cursui illius. Illi iuuenes qui se ad cursum præparabant, ab omnibus escis & potibus, omnibúsque rebus abstinebant, quæ impedire poterant cursum illorum. Nec solum à nimia comestione, & superflua potatione corpus refrenabant, sed etiam lamminas plumbeas noctibus ponebant circa lumbos, ne fluxum libidinis per somnum paterentur, quoniam libido nimium debilitat corpus. Et si illi omnes ita se præparabant, cũ scirent vnum coronandum, & illi solummodo repromissum brauium qui prior veniret, licet omnes post illum ad eundem locum peruenissent, quanto magis nobis est abstinendum ab omnibus quæ cursum nostrum impedire possunt, cum omnibus nobis promissa sit salus æterna? Si quærimus ergo à quibus rebus debeamus abstinere, & quæ cursum nostrum incipiendo superent & retrahant à promisso brauio, interrogemus Apost. & ipse nobis demonstrabit illo *Gal. 5.* in loco vbi dicit: Manifesta autem sunt opera carnis, adulterium videlicet, fornicatio, immũditia, luxuria. Ista & his similia contraria sunt nostro cursui. *Et illi quidem*, qui currunt intra stadium, ideo currunt, *vt corruptibilem coronã accipiant: nos autem* ideo currimus intra metas fidei nostræ, vt coronam *incorruptam* accipiamus. Quod superius appellauit brauiũ græco vocabulo, nũc vocat latine coronã. illorũ corona & remuneratio corruptibilis erat, id est tẽporalis, quia cum tẽpore transibat. Verbi gratia. Accipiebãt aurum aut argentũ, quod corruptibile erat, quia de terra sumebatur, & in terrã reuertebatur. Accipiebãt vestes, quæ vetustate & tineis consumebantur. Accipiebant equũ, qui corrumpebatur per mortẽ, & consumptus à vermibus in pulueren tranſibat. Dabatur eis corona terrenis & marcescibus

Ioan. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bilibus floribus conserta,sed quasi ventus transibat.Nostra autem corona & remuneratio incorruptibilis est, quæ nulla immutatione corrumpetur.Nec erit adornata marcescibilibus floribus nostra corona,sed in modum regalis diadematis æternis gemmis conserta,in æternum spiritualiter nobisseruabitur.Nostra ergo corona & remuneratio ipse deus omnipotens erit,& contemplatio totius trinitatis,videtes deum sicuti est:in quo habebimus vitam sine fine manſuram,omnémque beatitudinem atque satietatem: quoniam videntes fulgidum,erimus fulgidi:videntes beatum,erimus beati:videntes immortalem,erimus immortales,fœlicesq; per omnia secula.Quapropter debemus currere credendo,sperando,desiderando,corpus castigando, eleemosynis insudando, ambulando de virtute in virtutē, donec videatur à nobis deus deorū in Sion.Nec debemus desperare de præmio promisso,sicut Apostolus non desperabat,cum diceret: *Ego igitur sic curro*, infra terminos fidei bene viuendo, *non quasi in incertum.* quia non dubito de remuneratione,certum habēs quid sit mihi promissum. Illi qui currebant in stadio, in incertum currebant, quia non erant securi de præmio.Sed vt nos certi simus de remuneratione,exempli causa ponit se Apost.in medium quatenus illum imitemur. *Sic pugno,non quasi aërem verberans.* eleuando & deponendo gladium, velut stultus miles,qui non positus contra hostem,verberat aërem , agitando brachium & gladium,volens apparere præliator. Paulus ergo pugnabat contra aëreas potestates , de quibus loquitur in epistola ad Ephesios,pugnabat contra philosophos & magos & bestiales homines,de quibus in epistola prima dicit ad Corinthios:Si ad bestias pugnaui Ephesi.Pugnabat autem non materiali gladio:sed prædicando, miracula faciendo,orando,ieiunando,bonis operibus insistendo.Ille prędicator verberat aërem,qui sine affectu prædicationis prędicat,videlicet verba tātummodo proferens.non operibus exornans.qui aliud prædicat,atque aliud agit:& hoc quod prędicat,miraculis & exemplis non roborat.Apostolus autem aërem non verberabat,quia in vanum verba nō proferebat,complens & roborans opus quod prædicabat ore. *Sed castigo corpus meum*, subaudis in labore & ærumna, in fame & siti,in ieiuniis & vigiliis multis,& cæteris talibus:

Psal.45.

1.Cor.15.

& in seruitutem redigo, id est,seruum illud facio mihi: vt quod prædico verbis,non destruam operibus:sed potius seruiam verbis & exemplis his quibus prædico.Castigare corpus est multis tribulationibus , quæ superius enumeratimus,affligere:& illa ei dare,quæ ad vitam æternam proficiunt,non ad luxum.Seruituti verò subducitur, dum non suam delectationem perficit,sed voluntatem spiritus,id est rationabilitatis animæ.Sic debet vnusquisque fidelium agere,castigando videlicet corpus suum , & seruituti subiiciendo,implens quod Apostolus aliàs ait,Spiritu ambulate, & desideria carnis siue corporis ne perficiatis.Ex cuius rei causa Apostolus corpus suum domabat,refrenans illud à prauis delectationibus.quod protinus manifestat, subdens: *ne forte*(inquit)*cum aliis prædicauerim,ipse reprobus efficiar.* Probus dicitur laude dignus,& approbatus,vnde cōtrà improbus laude indignus dicitur,& non probatus.Sic dicet dominus reprobis:Nescio vos,id est non approbo ad meam partem pertinere,vel non approbo vos dignos laude esse.Timens igitur Apostolus reprobari & indignus laude apparere,dicebat:Ideo castigo corpus meum , & subiicio seruituti:ne forte alij percipiant palmam victoriæ prædicatione mea edocti , & egoipse alienus existam à laude & præmio remunerationis,audiens à domino : Recepisti mercedem tuam:ne forte etiam aliis curatis,ipse remaneā in vulnere.

Gal.5.

Mat.23.

CAPVT X.

Nolo enim vos ignorare fratres, subaudis mysterium hoc quod vobis ex parte narrabo, *quoniam patres nostri*, Iudæi videlicet,de quorum progenie originē duco, *omnes sub nube fuerunt*, quæ præcedebat eos desuper per diem: *& omnes mare transierunt*,quia mortem euaserunt, *& omnes in Moyse*, id est,per Moysen ductorem *baptizati sunt in nube & in mari*, id est,à morte sunt liberati.Quantum ad veritatem historiæ pertinet,Iudæi egredientes de Aegypto,sub nube fuerūt,quia nubes per diem gradiebatur siue ferebatur super eos.Altiori autem sensu,secundū Ambrosium,sub nube fuerūt , quia omnia quæ gesta sunt illis,in obscuritate & in figura facta

Num.6.

sunt. In hoc verò quia nube tecti sunt, aduersariis suis Aegiptiis, quando nubes se interposuit inter illos & Aegyptios, & aquæ fuerunt à dextris & à sinistris, & postmodum protecti sunt per diem ab ipsa nube à calore solis, dum à morte præsenti liberati sunt. Baptizati dicuntur fuisse per Moysen in nube quæ erat post ipsos, & in mari, per cuius medium transierunt. Siue etiam in hoc dicuntur baptizati per Moysen in nube & in mari, quia omnia quæ facta sunt in illis in figura, nobis eueniunt in veritate. Nam sicut illi per Moysen ducem ex Aegypto liberati sunt, & mortem euaserunt per nubem & mare, ita & nos per Christum, & per gratiam sancti spiritus in baptismate à morte originalis peccati & actualis liberabimur. Moyses enim Christum significat, nubes spiritum sanctum, mare rubrum, per quod illi transeundo à morte sunt liberati, baptisma significat, quod rubore sanguinis Christi consecratur, per quod nos à morte æterna liberamur. *& omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt.* Manna quod de cælo, id est, de isto aere eis datum est, & aquam quæ de petra fluxit, dicit spiritalia esse, vel quia spiritaliter intelligenda sunt: significabant enim corpus & sanguinem domini, quod modo consecratur & percipitur in ecclesia: vel quia non mundana lege, & consuetudine parata sunt, sed virtute dei sine commixtione elementorum, aquæ videlicet & farinæ. Ad tempus videlicet creata est illa esca atque eis data, & aqua similiter non consuetudine mundana, sed virtute spiritali omnipotentis dei, eis profluxit ex petra. Ideirco & ille panis angelorum dictus est, quia virtute omnipotentis dei, qua angeli viuunt & subsistunt sine labore aliquo, ea virtute creatus est ille cibus, & appositus est eis sine aliquo labore illorum. Hoc etiam significans, quia de cælis venturus erat Christus spiritualis panis, qui spiritualiter pasceret. Vnde & Manna prima feria, siue prima sabbati (quæ nunc ob reuerentiam dominicæ resurrectionis dies dominica vocatur) primum venit de cælo ad saturitatem populi. *Bibebant autem, de spiritali* subaudis petra, *consequente eos* eadem *petra.* Iudæi & quidam simplicium doctorum ex hoc loco fabulose disputant, volentes affirmare quòd postquam Moyses percussit virga bis silicem, populúsque bibit ac iumenta, semper

per secuta sit eos illa petra, & vbicunque figebant tentoria, voluebatur in medium castrorum, nullo hominum impellente, emittens largissimos riuulos ad satietatem populi & iumentorum. Dicunt autem tandiu hoc factum esse per quadraginta annos, vsque dum venirent in terrã Madian, vbi foderunt puteos, & inuenerunt aquam dulcem satis abundéque. Quidam etiam somniando fingunt quòd tãtæ paruitatis fuerit ille lapis, vt Maria soror Moysi, ferret illum in pectore suo per illam vastam solitudinem. Sed illi qui talia confingunt, dicant vbi, & quando, vel quomodo secundum literam impletum sit, quod secundum septuaginta interpretes in cantico Moysi habetur. Quia suxerunt mel de petra, oleúmque de firma petra, & tunc præbendus assensus quòd secuta sit eos petra. At cum nusquam in veteri testamento hoc factum reperiri poterit, submittant vocem & inclinent aurem, vt spiritaliter ista penetrare valeant, quoniã literam in his sequi non possunt. Nam sicut doctores tradunt, Oreb petra quam Moyses percussit, mons est lapideus, cuius latus percussit Moyses. Quapropter melius est vt spiritaliter ista intelligamus, sicut & superiora. Vnde & Apostolus spiritalem appellat eandem petram, quia spiritaliter est intelligenda. Significat enim Christũ, sicut sequétia manifestant: *petra autem*, inquit, erat *Christus.* Non dixit petra significabat Christum, sed tanquam in veritate esset petra Christus, cum vtique per substantiam non esset, sed per significationem. Similiter loquens de duobus filiis Abrahę, non dixit, hæc significant duo testamenta, sed hęc sunt duo testamenta. Christus ergo per significationẽ propter firmitatem est petra, non per substantiam. & aqua illa quæ fluebat ex petra, significabat doctrinam Christi, & gratiam spiritussancti, de qua ipse in Euangelio, Qui sitit, veniat ad me, & bibat &c. Spiritalis quoque & consequens petra dicitur, quia Christum subsequentem spiritaliter significabat. De qua petra spirituali consequente bibebant illi, quia vbicunque deficiebat eis humanum auxilium, adherat Christus, præstans suffragium, cuius potentia (qui est verbum dei patris) liberati sunt de terra Aegypti, & in terram repromissionis introducti. ideóque dicitur, consequente eos, quia subueniebat eis. Nec enim petra aquã dedit illam vna vice: sed Christus per potentiam suam. Notan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum ab Apostolo omnia ista idcirco esse dicta: ne quis sibi in baptismate confidat, aut in esca & potu spiritali: vt deum putet sibi parcere si peccauerit criminaliter: nisi penitentia digna hoc promeruerit. Quapropter omnibus est vigilandum & laborandum. quoniam tempus vitæ nostræ breuissimum est. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est deo.* quoniam multi propter infidelitatem mortui sunt in eremo: non intelligentes beneficium dei, quadraginta videlicet milia. *Hæc autem* omnia quæ dicimus de nube, mari, Moysi, esca, potu, & petra, *in figura facta sunt nostri*, id est nostræ veritatis, quibus in veritate contigerunt, & manent modo: quia in exemplum illorum educti sumus de Aegypto, de errore videlicet huius mundi. *vt non simus concupiscentes malorum.* subaudis ciborum & vitiorum. *Sicut & illi*, id est Israelitæ *concupierunt* carnes & pepones & ea quæ in Aegypto habuerunt in vsum comedendi. Ista in superioribus Apostoli verbis pendent, vbi dicit omnia quæ ludæis contigerunt, in nostra figura præcessisse, sicut & sequentia manifestant, & in nostraum salutem scripta esse, vt non simus concupiscentes malorum ciborum vitiorúmque. Quæstio est, cum Iudæi multitudinem animalium & pecorum secum haberent, quare desiderarent carnes, & quare non comederent carnes animalium? Quæ hoc modo soluitur, quia non desiderabant illi carnes pecorum, sed carnes auium concupiebant, quibus soliti fuerant vesci in Aegypto. Nilus enim fluius in littoribus suis & palustribus locis multa genera auium habet: & talia qualia non habentur in circuitu aliorum fluminum. Fugiamus ergo concupiscentiam malam, & pugnemus contra eam inquantum valemus: quia (vt beatus Augustinus dicit) & in nobis quæque experimento probare possumus, quia per concupiscentiam malam omnia mala fiunt atque patrantur. Concupiscentiam autem malam ideo dixi, quia est & concupiscentia bona, de qua dicit Salomon: Fili concupisce sapientiam. Et Psalmista, Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas. Concupiscentia autem mala est quæ suggerit nobis vt concupiscamus cibos illicitos, & vltra modum, vt homicidium, furtum: vt perpetremus adulterium, & cætera huiusmodi. Ideóque Apostolus volens nos scilicitos reddere, donat nobis exemplum illorum Iudæorum,

Eccl.1.

Psal.118.

qui per concupiscentiam offenderunt Deum in eremo, & perierunt, *neque idololatræ efficiamini, sicut quidam illorũ*, subaudis qui vitulum adorabant ad montem Sinai: *quemadmodum scriptum est* in Exodo. Idos græce, dicitur species siue forma, inde diminutiue dicitur idolũ, formula ex aliquo metallo, siue ex lapidibus vel lignis. Latria quoque Græco vocabulo dicitur seruitus, quę omnipotenti deo soli competit. Ex quibus nominibus componitur, & dicitur idololatra, ille qui honorem & seruitutem quam omnipotenti Deo soli debet exhibere, idolis impendit. Vnde & idololatria ipsa res est. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Veterem historiam hic tangit Apostolo. Egressi filij Israël de Aegypto dum peruenissent ad Sinai montem, Moyse ascendente monte ad deum, & morante aliquot diebus, conuenerunt ad Aaron, petentes vt faceret eis deos, qui illos præcederent, dicentes: Fac deos qui præcedant nos. Moysi enim qui eduxit nos de Aegypto, nescimus quid acciderit. Tunc (sicut historia narrat) accipiens Aaron ab eis armillas in aures, fecit inde vitulum conflatilem, quem colebant Aegyptij, statimque ædificantes aras ante illum, immolauerunt ei hostias, dicentes: Isi sunt dii tui Israël, &c. Completóque sacrificio, sederunt ad manducandum & bibendum, ac postmodum surrexerũt ludere ad diuersa ioca & ad choros, & insuper cœperunt fornicari. Quapropter multitudo illorum interfecta est à fratribus suis, iubente Moyse, & domino volente. Quod factũ ideo replicat Apostolus, vt non crederẽt Corinthij se immunes esse ab hoc crimine, qui in idolio epulabantur. Idololatra quoq; est omnis auarus, qui nummum quasi deum colit, timens illum amittere. *Neque fornicemur, sicut quidam eorũ ipsis fornicati sunt*, subaudis cũ Madianitis, *& ceciderunt vna die viginti tria milia.* Hoc in terra Madian factum est, & hoc retributum est illis, quando se cum Madianitis cõmaculauerunt, adorantes primum idola ante ostia domorum illarũ. Nam Balaam ariolus filius Beor, cernens animos Iudæorum pronos ad libidinẽ, & proclines ad idola colenda, seductus & captus amore pecuniarũ, dedit Balaac regi Moabitarum atque Madianitarum consilium, vt constitueret puellas iuuẽculas & meretrices in domorum ostiis, comptas ornamẽto meretricio, & ante ostia domo-

Exod.32.

rum idola & aras, vt venientes Israelitæ, caperétur amore illarum, & coirent cum illis: ita tamen, vt primũ adorarẽt idola: quo facto cognouit ipse iram dei cõtra illos excitadam. Vnde factum est vt vigintitria milia ab igne cælesti cõsumerẽtur: & pene omnes periissent: nisi Phinees zelatus zelo dei, cõfodisset cuspide virum Hebræum cum Madianitide scorto in locis genitalibus, cuius rei causa quieuit ira dei à populo. Notandum quoque, quia non solũ illi dicuntur esse fornicatores, qui quocunq; modo libidinem suam explent, sed etiã illi qui per alia vitia à deo recedunt, de quibus dicit Psalmista, Perdes omnes qui fornicantur abs te, id est qui recedunt à te. *Neque tentemus Christum, sicut quidam illorum tentauerunt*, subaudis Moysen, qui Christi figuram gerebat, vel etiam ipsum Christum tentauerunt, qui erat in Moyse, sicut ipse Moyses dicit: Nos quid sumus? Non contra nos est murmur vestrum, sed cõtra dominũ. Christus enim qui est verbum patris, ipse erat in Moyse, & ipse loquebatur per os eius. Et quando tentabant Moysen, & quando murmurabant cõtra illum, contra deũ murmurabant. Sed quid cõtigit illis? *& à serpentibus perierũt* ignitis: qui vtrunq; faciebant & mordebant, mordendo quoq; venenũ infundebãt. Reducit ergo ad memoriã talia Apostolus, & cõmonet, ne nos in eadẽ causa inuẽti tradamur diabolo, cuius figurã serpentes habebãt. *Neque murmuraueritis*, subaudis contra deum, neq; cõtra prælatos & rectores suos, *sicut quidam illorum murmurauerunt*, Dathan videlicet, & Abiron, socíq; eorum, cõtra Moysen & Aaron. *Et perierunt ab exterminatore* deo vel igne. Dathan enim & Abiron cum omni domo sua exterminati sunt de superficie terræ à deo, quia præcipiente deo, viuos deglutiuit eos terra: fuerunt ergo ante sepulti quàm mortui: quoniam sicut scriptura narrat, viui descenderunt in infernum: socij verò illorum, qui in ipsa conspiratione similes extiterũt, ab igne cælesti exterminati sunt, murmurare autem est plerunq; falso adinuicem de præpositis atque rectoribus queri & causari. Plerunque etiã solet murmur fieri iusta ex causa, quando prælati non simpliciter rectéq; erga subditos incedunt. Tamen quocunq; modo nascatur & fiat, malum est, & væ illi qui excitante prouenit, vtrum sit prælatus an subiectus. Dicit enim Beatus Augustinus, quia in nulla alia causa ita offendunt

Psal.77.

Exod.106.

derunt Iudæi deum in eremo, sicut in murmuratione: quoniam semper murmuratores extiterunt. Quapropter cauẽdum est omni modo ab huiusce modi vitio, ne similia nobis eueniant. *Hæc autem omnia*, superius dicta de serpentibus & de igne, qui eos deuorauit, *in figura contingebãt illis.* Videamus quomodo serpentes igniti quibus illi traditi sunt, in figura fuerunt: & serpens æneus qui suspensus est à Moyse: quem qui aspiciebant, sanabantur. Serpentes illi qui mordendo venenum infundebant, dæmones significabant, qui suggerendo nobis venenum mortiferæ delectationis infundunt. Quibus etiam tradimur, si serpentem æneum in ligno pendentem non aspiciamus, id est Christum. Serpens æneus qui similitudinem serpentis habebat, sed tamen venenum nõ habebat, quẽ qui aspiciebãt, mortem tẽporalem à morsibus serpentium euadebant, Christũ significabat, sicut ipse dixit: Sicut Moyses exaltauit serpẽtem in deserto, ita exaltari oportet filiũ hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat. Similitudinem ergo serpentis habuit ille serpẽs, sed veneno caruit, quia Christus similitudinem quidem carnis peccati habuit, sed peccati veneno caruit. Per hoc enim q̃ æneus fuit, significat æternitatẽ Christi, quia æs durabile metallũ est. Suspẽsus est in ligno, & Christus in crucis patibulo. Qui illum aspiciebat, sanabatur à morsibus & veneno serpentũ: quoniam quicunque Christi passionẽ cũ reuerentia ad memoriam reducunt, & aspiciunt illum, ad hoc vt mortificent corpora sua cũ vitiis & concupiscentiis saluantur à suggestionibus dæmonum, & veneno prauæ delectationis, & insuper à morte æterna. Ignis verò ille qui deuorauit murmuratores, significat ignẽ æternum, qui deuorabit omnes similia agentes. *Scripta sunt autem ad correptionem nostram*, id est, ad emendationem & meliorationem nostram, vt nos per talia corrigamur: *in quos fines seculorum deuenerunt.* In nos fines seculorum deuenerunt, quia iam nos in fine seculi positi sumus, in vltima scilicet ætate: non sunt propter illos scripta, vt ipsi legerent, qui talia agentes, talia meruerunt recipere, qui iam olim mortui erant, sed pro nostra salute & vtilitate: vt si in timore & in seruitio dei manserimus, gloriam illis promissam accipiamus, terram videlicet repromissionis, quæ significat cælestem patriam. Sique minus aut aliter egerimus

Num.21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus, geminabuntur nobis pœnæ illorum: quoniam maior notitia legis plus facit hominem reum. *Itaque qui se existimat stare,* in rectitudine fidei, bonisque operibus, & in scientia, qua credit omnia esse munda, *videat ne cadat* in superbiam, aut scandalum fratris. Isto in loco tacite ac specialiter percutit eos, qui præsumentes de sua scientia, licitum esse putant omnia edere, quia omnia munda sunt mundis, recumbebant in idoliis, & edebant carnes idolothytas: vnde scandalizabantur infirmiores fratres, videntes illos talia agere, putabant aliquid numinis esse deitatis in idolis, atque in cibis illis consecratis. Generaliter autem ad omnes pertinet, quod dicit, Qui stat in fide & bonis operibus, videat ne cadat. *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana,* id est, quæ opere non perficitur. Tentatio humana est malum cogitare, & in corde tentationes multas perpeti. Diabolica verò tentatio est certamen tentationis in opere superari, & malum perficere. Concupiscere mulierem, humana tentatio est, adulterium verò siue fornicationé perpetrare, diabolicum est. Sic de cæteris vitiis intelligendum. *Fidelis autem deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis,* subaudis sustinere. Fidelis dicitur deus esse, quoniam quicquid promisit fidelibus suis, opere compleuit: complet quoque quotidie, & complebit. Promisit diligentibus se regna cælestia, complet illud, quia dabit eis. Ideóque non permittit eos tentari supra id quod humana fragilitas potest ferre: *sed faciet cum tentatione etiam prouentum,* id est auxilium, *vt possitis sustinere,* id est illud faciet prouenire, quod potest humana fragilitas, videlicet à tétatione & tribulatione citius liberando, sicut legimus factum de beato Abraham, quando liberatus de vrbe Chaldæorum, necnon de tribus pueris in camino, & de Daniele, quando missus est in lacum leonum, & de innumerabili multitudine martyrum, aut etiá in tentatione tolerantiam præbendo & victoriam, sicut præbuit beato Iob, Petro quoq; in cruce, & Andreæ, Laurétio super craticulam, multisq; aliis martyribus. Quis enim hominum posset credere, quód homo mortalis talia posset sustinere, qualia sustinuit Laurentius per adiutorium dei? Quapropter dum tales & huiusmodi nobis tentationes afflictionésq; proueniunt, debemus ista ad memoriam reducere

Gene. 2.
Dan. 5.

ducere, animémque spem nostram in deum iactare, vt ipse nobis faciat prouentum euenire, citius liberando, aut etiá victoriæ tolerantiam præbendo. *Vt prudentibus loquor, vos ipsi iudicate,* id est, discernite *quod dico:* vtrum verum & bonum dicam, nécne. *Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est?* Idcirco primo calicem nominauit, quia postea de pane plus erat disputaturus. Calix autem benedictionis dicitur, quia benedicitur à sacerdotibus in altari: Appellatur & ipse calix communicatio, quasi participatio, quia omnes communicant ex illo, partémque sumunt ex sanguine domini quem continet in se. *Et panis quem frangimus* in altari, *nonne participatio corporis domini est?* Vtique. Primum consecratur & benedicitur à sacerdotibus & spiritusancto, & deinde frangitur, cum iam licet panis videatur, in veritate corpus Christi est. Ex quo pane quicunque communicant, corpus Christi edunt. *Quoniam vnus panis,* subaudis Christi, *& vnum corpus* Christi, *multi sumus,* qui comedimus illum panem, caro quam verbum dei patris assumpsit in vtero virginali in vnitate suæ personæ, & panis qui consecratur in ecclesia, vnum corpus Christi sunt. Sicut enim illa caro corpus Christi est, ita iste panis trãit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed vnum corpus. Diuinitatis enim plenitudo quæ fuit in illo, replet & istum panem, & ipsa diuinitas verbi quæ implet cælum, & terram, & omnia quæ in eis sunt, ipsa replet corpus Christi, quod à multis sacerdotibus per vniuersum orbem sanctificatur, & facit vnum corpus Christi esse: & sicut ille panis & sanguis in corpus Christi trãseunt, ita omnes qui in ecclesia digne comedunt illud, vnũ corpus Christi sunt, sicut ipse dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Tamen illa caro quam assumpsit, & iste panis omnisque ecclesia, non faciunt tria corpora Christi: sed vnum corpus: & sicut qui corpori & sanguini domini communicãt, vnum corpus cum eo efficiuntur: sic & qui communicant scienter de idolothytis, vnum cum diabolo corpus existũt. *Omnésque qui de vno pane,* id est, de vno corpore Christi, *& de eodem, vno calice* siue sanguine, *participamus,* id est, partes accipimus, vnum corpus Christi efficimur. *Videte* (inquit) id est, considerate, *Israel secundum carnem,* id est, quia

Ioan. 6.

carnaliter viuit, & carnales hostias adhuc offert. Tunc temporis quando Apostolus ista loquebatur, adhuc erat templum Hierosolymis: in quo offerebat Israel carnaliter viuens hostias deo. Carnalem autem illū appellat, quia legem carnaliter volebat obseruare: vel ad differentiam Israel spiritalis, qui iam veteres vmbras non sequebatur: cuius numero erat idem Apostolus. Vult autem ostendere Corinthiis, quia sicut illi erant socij & participes altaris qui comedebant ea quæ in altari offerebantur: ita & isti Corinthij comedentes carnes idolothytas, socij erant dæmoniorum. Vnde & sequitur: *Nonne qui edunt hostias, similes audis victimarum in lege, participes sunt altaris?* Sunt vtique. Ita & vos qui editis in idolio carnes idolis consecratas, participes estis idolorum. *Quid ergo? dico quòd idolis immolatum sit aliquid, aut quòd idolum sit aliquid?* Non hoc dico, quòd aliquid sit, quia idolum nihil est, & quod ei offertur, nihil est. Quicquid in illo non est, vel illi nō adhæret qui habere esse, nihil est, In hoc idolum nihil est, quia habet imaginem hominis, sed non est homo, quia neque sensum neque motum habet: vel quia dicitur deus, & non est deus: dicitur Hercules esse, sed nō est. Et sicut idolum nihil est, ita quod illi immolatur, nihil est. *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum.* Tunc fiebant socij dæmoniorū, quando comedebant idolothyta, & quando voluntatem illorum implebant. *Non potestis calicem*, id est, sanguinem *domini bibere*, subaudis recte sicut bibendus est, *& calicem dæmoniorum*, qui idolis libatur: *non potestis mensæ domini*, id est corporis domini, participes *esse* recte, *& mensæ dæmoniorum* cibos comedere. Sicut non potestis recte duobus dominis seruire: sic nec potestis vtrumque recte agere, & diabolo seruire, & Christo placere, & corpus eius digne sumere. *An emulamur dominum?* Iungit se Corinthiis, & loquitur ex persona illorum qui dicebant: Nunquid non imitamur dominum? In hoc ergo quòd pergimus ad templa idolorum, & comedimus ibi cum infidelibus, quos volumus lucrari ad Christum, imitamur dominum, qui ad domos publicanorum & peccatorum veniebat, vt occasionem haberet docendi, *numquid fortiores illo sumus?* Quasi diceret. Numquid fortiores illo estis in hac parte? non estis. In hoc volebāt fortiores esse Christo, quia volebāt agere quod ipse non fecit. Illi enim ibant ad domos paganorum, Christum non legimus perrexisse ad domum alicuius gentilis. *Omnia* subaudis alimenta, *mihi licet* edere secundum naturam. *sed non omnia expediunt*, id est, non omnia sunt vtilia. *Omnia mihi licent sed non omnia ædificant* alios in fide, sed potius destruunt simplices per scandalum. *Nemo quod suum est* tantummodo, *quærat* in hac parte, comedendo omnia. *sed quod alterius*. i. quod simplicioribus prodest, sicut Christus non quæsiuit sua, sed nostra. *Omne quod in Macello*. i. in mercato *vænit* siue venditur, *manducate, nihil interrogantes propter conscientiam* illius quem interrogaueritis. Macellum dicitur à mactando, eo quòd ibi mactantur carnes. Ideo autē Apostolus prohibuit, vt non interrogarent aliquid de carnibus, vtrum consecratæ essent idolis, necne: quia si interrogarēt, diceret ille insultando & deridendo qui interrogatus fuerat: Omnes istæ carnes quas cernitis in macello, idolis dedicatæ sunt. Si aliquis fideliū hæc audiens postea emeret, derideret eum ille paganus in sua mente & conscientia, dicens: Ecce, quid fecit ille Christianus, qui me prohibebat offerre idolis victimas quasi malū, modo emit carnes consecratas idolis. & comedit vt sanctas. Nisi aliquid numinis in idolis cognosceret, nequaquā hoc ageret. Quandiu talia videro eū facientē, non transibo ad Christianismū. *Si quis infidelium vocat vos ad cœnam, & vultis ire*, subaudis ad domū eius. Non præcipitur ire, nec prohibuit, sed præstitit licentiam. Cœna vocatur à cōmunione vescentium, quasi cōmune conuiuiū, & communis esca siue refectio. Cœnon dicūt Græci commune. Vnde & cōmunicāres dicuntur, eo quòd communiter, id est pariter comedebant, apud veteres enim consuetudo erat hora nona cœnare, nō in abscondito, sed in propatulo, ne singularitas luxuriam gigneret. *Si quis autem dixerit, hoc immolatum est idolis*. i. idolis est consecratum, *nolite comedere* propter conscientiam alterius qui indicauit, & circunstantium, ne vos derideant, sicut supra dictum est. *Vt quid enim libertas mea*, qua credo omnia esse munda, *diudicatur*, id est, reprehenditur *ab aliena conscientia?* id est, si ego manduco omnia, quid pertinet ad aliquē vt me reprehendat: vel quid nocet eius reprehensio? *Si ergo cum gratia*, subaudis dei *participo* siue manduco, *quid blasphemor pro eo quòd gratias ago?* deo. Ex persona illorum loquitur, qui

Luc. 22.

talia dicebant,quasi subiungeret Apostolus : Non debetis hoc dicere,licet sanctificetis illud quod sumitis , signaculo crucis,& inuocatione nominis domini:tamẽ non ideo debetis comedere , quia blasphematur exinde nomẽ domini, & vos blasphemamini. *Omnia in gloriam dei facite.*i.in inuocatione nominis dei , & cũ honestate , vt deus glorificetur per vos. Legimus quodam in loco, q̃ cũ quodam tempore quidam homũcio prę nimia tristitia voluisset se laqueo suspendere , & dixisset,Deus adiuua me (quod verbũ semper in vsu habebat)astitit B.Paulus apost. inquiẽs : Infelix, temetipsum illaqueare vis,& nomen domini inuocare presumis?Sed illud quia inuocasti,esto liber ab hac tristitia,& morte præsenti, quia omnia prospere tibi succedẽt *sine offensione*,id est sine scandalo & apprehensione *estote Iudæis* qui idola execrantur,*& gentilibus*,fidelibus , & etiã infidelibus:*sicut & ego per omnia*,subaudis quæ facio,*omnibus placeo*.Cũ Apostolus aliàs dicat:Si hominibus placerẽ, Christi seruus non essem , quærẽdum est quare modo hic dicat se omnibus per omnia placere?Ad quod dicendũ,quia vbi dicit,Si hominibus placerem, homines ibi voluit intelligi hæreticos, Iudæos incredulos , paganos , & persecutores. Hic autem vbi dicit omnibus se placere , subaudiendũ est bonis & religiosis viris.Si hominibus(inquit) infidelibus placerem,Neroni scilicet,hæreticis , Iudæis incredulis,& persecutoribus Christi,Christi seruus nõ essem, quia Christum negassem.Tamen licet illis non placeam, hominibus tamen bonis & religiosis placeo, *non quærens quod mihi sit vtile est*, quia non accipio à vobis victum & vestimentum, *sed quod multis, vt salui fiant*. sicut Christus non quæsiuit sua,quia pro se flagellatus non est, consputus, passus, & mortuus: nec quæsiuit sua , sed nostra , ita Paulus non erat propria salute contentus: quia non quærebat quod soli sibi vtile erat,sed quod aliis, sustinens pro aliorum salute libenter multa aduersa & probra.

Gala.1.

Mat.14.15

CAPVT XI.

1 *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* sicut ego imitator Christi sum , non quærens solummodo quod mihi vtile est,sed quod alteri, ita & vos me imitamini.Sicut enim deus pater misit Christum,vt apostoli eius essent imitatores,ita Christus misit ad nos Apostolos vt eorũ imitatores simus. *Laudo autem vos fratres,quòd per omnia mei memores estis*, Ironice ista dicit: & quod vidꝫ detur affirmare,increpat & denegat,quasi diceret: Nõ laudo vos,quia non estis mei memores, neque tenetis præcepta quæ tradidi vobis. *Volo autem vos scire , quòd omnis viri caput Christus est*. Omnis viri caput est Christus.i.princeps & origo,quia ab illo qui est verbum dei patris, creatus est: & non solum secundum diuinitatem, sed etiam secundum quod homo est,& carnẽ nostram assumpsit, caput & princeps est omnibus hominibus. *caput autem mulieris.*i.initium & princeps mulieris,*vir* est, quia de costa eius facta est , & eius potestati subiecta, *caput verò Christi.*i. origo & principium illius, *deus* pater est , quia ab illo habet originem & principium,tam secundum diuinitatẽ quã secundum humanitatem.*Omnis vir* in ecclesia,*orans aut prophetans*.i.docens prophetias vel explanans, *velato capite,deturpat*.i. dehonestat *caput suum*,vel orans.i.dominicã orationem dicẽs,prophetans.i.symbolum apostolorum recitans,vbi prophetatur aduentus Christi ad iudiciũ.*si non velatur mulier*, id est si non vult operire caput suum linteo,*tondeatur*. Quare præcipit hoc Apostolus?quia mala cõsuetudo erat tunc tempꝭris,qua nolebant capillos ligare,& caput cooperire. Et ne ipsa profluxio capillorum prouocet homines ad moꝛẽ libidinis,ideo præcepit velare capillos & ligare. *Vir quidem non debet velare caput,quoniam imago & gloria dei est*. Homo imago est dei,quia sicut ab vno deo omnia originẽ sumpserunt,& ab illo facta sunt,ita ab vno homine Adam , omne genus humanũ profluxit:gloria quoque dei est,quia glorificatur deus per hoc q̃ hominẽ rationabilem fecit. Ideoq; non debet velare caput,vt ostendat non esse subditũ mulieri,sed potestatẽ habere super eam . Mulier autẽ subiecta est viro,sicut sequentia manifestant..*mulier autem gloria viri est*,quia ex ipso facta est,vel quia subiecta est ei: & in hoc gloriam habet vir. *Non enim vir* primus Adam,ex muliere est *factus*,sed mulier ex viro. *Etenim non est creatus vir* Adam *propter mulierem*, quia necdum erat mulier creata. *Sed mulier propter virum*, id est, ad auxilium viri. *Ideo* subaudis vt recognoscat se mulier sub viri esse potestate, *debet mulier velamen habere super caput suum propter angelos*. Angelus

Universidad de Deusto
Biblioteca

græcè,latinè dicitur nuntius: quo vocabulo vult ostendere Apostolus episcopos,sacerdotes, omnésque ordines altaris,qui angeli debent esse, annuntiando populis quid debeant petere,& quid vitare. Propter istos angelos debent mulieres stantes in ecclesia velata habere capita,ne respiciens aliquis illorum ad populum, capiatur ad amorem pulchritudine illarum. Dicamus & aliter iuxta Augustinum & hoc quod dicit,vir non debet velare caput,quoniam imago est dei, mulier autem debet velare caput propter angelos: virum in hoc loco vno modo possumus intelligere quemlibet prædicatorem,spiritalem, & viriliter agentem, cuius caput est ipsa eius sapientia: quia sicut caput regit cætera membra,ita illa regit mentem. Istud caput, id est sapientiam non debet velare vir prædicator talis,quia non debet celare illam & abscondere,sed aliis manifestare,docendo, prædicando, bonísque operibus insistẽdo,debet se imitabilẽ præbere. Per mulierem autẽ debemus intelligere quemlibet in ecclesia muliebriter & stulte agentẽ. Cuius caput est ipsa eius ignorãtia & stultitia:quã non debet illa in propatulo manifestare,ne se imitabilem reddat, sed debet illã tegere,& ad angelos(qui & viri appellantur) id est ad prædicatores referre, vt illorũ exhortatione & doctrina saluari possit:vel debet suã insipientiam & ignorantiã velare propter prædicatores, quia illis se debet humiliare. Aliter:Homo ex corpore,anima,& mẽte cõsistit, quæ & rationabilitas animæ dicitur. Cũ vnũ sit anima & mens, & dicamus hic animã quæ viuificat corpus,& mentẽ quæ regit animam, quia facit differentiam inter bonum & malũ, inter vitia & virtutes. Per virum in hoc loco debemus intelligere(secundum Augustinum) rationabilitatem animæ nostræ.i.mentem,quæ imago dei est:quia sicut deus scit differentiam inter bonũ & malũ, ita & mẽs pro modulo loco. Cuius viri caput.i.mẽs seu rationabilitas quod vnũ est,ipsa bona eius intentio est,quam non debet velare: quia nõ debet illam refrenare à cõtemplatione dei,sed quãto amplius de deo intelligit, tanto amplius debet illam permittere, vt se eleuet ad contẽplationem dei, donec perueniat ad hoc vt quod modo videt in spe & in speculo,quãdoq; videat in re,contemplans deum sicuti est. Per mulierem possumus intelligere animam,cuius caput est intentio, qua plerunq; intẽ-

dit terrenis rebus vltra modum. Quod caput, id est, quam intentionẽ debemus velare,quia debemus illã refrenare,ne vltra modũ in terrenis rebus se occupet. Anima enim quæ viuificat corpus, plerunq; ea desiderat vltra quàm necesse sit,in quibus delectatur corpus,quod terrena quærit. *Veruntamen neque vir sine muliere*.subaudis creatus est in præsentia dei,*neque mulier sine viro*,subaudis creata est,*in domino*.i.per dominum. *Nam sicut mulier* Eua *de viro*.i.de costa Adæ, *ita & vir* Cain *per mulierem* extitit. *Omnia autẽ* Gene.2. subaudis genera hominum *ex deo* creata sunt, videlicet Adam,Eua,& Cain,vel omnia,id est,corpora virorũ & corpora mulierum, animæ videlicet virorum ac mulierũ. *vos ipsi iudicate*:i. discernite quæ dicturus sum. *Mulieri pro velamine*,id est pro ornamento, *dati sunt capilli. Si quis autem videtur contentiosus esse*,vt dicat,ego sum Pauli, ego Apollo,nec vult nostris admonitionibus parere:*nos* Iudæi credentes & Apostoli,*talem consuetudinem non habemus*,vt contendamus, quia lex iram & contentionem prohibet, *neque ecclesia dei*, quæ euangelium habet. *Hoc autem præcipio non laudans*,subaudis quòd contenditis. *Primum quidem conuenientibus vobis in ecclesiam*,id est,conuentum fidelium in dominicis diebus, *audio* ab his qui sunt Chloes,*scissuras*, id est,dissensiones & discordias, *esse inter vos: & ex parte credo* ita esse vt audio.

Nam oportet, id est, necesse est *hæreses esse*,*vt qui sunt inter vos probati* in fide bonísque operibus, *manifesti fiant*. & appareant etiam qui sint imperfecti & duplices. Sic dominus dicit in euang. Necesse est vt veniant scandala,i. nõ Matt.5. potest aliter esse. Et reuera magnam vtilitatem præstiterunt hæreses sanctæ ecclesiæ,non per se,sed dum doctores excitauerunt,qui quasi dormierunt. Nequaquam enim tãtam copiam librorum haberet sancta ecclesia, & tantã cognitionem de deo,nisi hæreses exortæ essent, à quibus excitatus est Hieronymus,Augustinus,Hylarius, Gregorius, aliique sancti doctores,qui multa cõscripserunt cõtra hæreticos. *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est dominicam cœnam manducare*. Cœna dominica dicta est eo q̃ ipso die saluator cum discipulis cœnauerit,cõplens veteris testamẽti pascha, & mysterium corporis & sanguinis sui tradens Apost. Corinthij,qui & Achaici vel Achæi, venientes ad fidẽ Christi per prædicationẽ Apost. Pauli,à quo inter cæte-

ra quæ dominus fecit,etiam ſacramentum cœnæ dominicæ perceperunt, poſt diſceſſum illius in memoriam cœnæ dominicæ ſingulis annis quinta feria ante diem Paſchæ.cõueniebant omnes ad eccleſiam. ac nobiles quique & potentes,diuitéſque,veniebant,& deferebant ſinguli panem & vinum,& dabant ſacerdoti,vnde conſecraret corpus & ſanguinem domini.Conſecratis autem myſteriis à ſacerdote domini,vnuſquiſque quod detulerat accipiebat de ſuper altari:ſumebátque tacite cum ſuis,vt ſuperuenientes non inuenirent quod ederent,& vnde communicarent,aut etiam deferebat omne quod attulerat ad domum ſuam, vt cum ſuis illud ſumeret.Ob cuius rei cauſam magnæ diſſenſiones inter illos erant,quas ſeminauerant pſeudoapoſtoli,ita vt cum vna benedictione omnium oblationes conſecratæ eſſent,ſinguli ſuas accipientes,quæ communes debuerant eſſe,maximam verecundiam inferrét his qui(vt aſſolet) non attulerant,licet haberent:aut his etiam, qui non habebant quod afferrent.Hoc autem faciebant multi,poſtquam ab aliis cibis crapulati erant. Iſtámque acceptionem euchariſtiæ,dominicam cœnam vocauit Apoſtolus vno modo.Aliter:Soliti quoque erant conuenire eodé die ad eccleſiam omnes diuites,potentes,& nobiles,& præparare ſibi in eccleſia & in foribus eccleſiæ atque atriis illius epulas & conuiuia, & crapulari & inebriari vſque ad veſperam,manducantes & bibentes in conſpectu pauperum & egenorum,qui non habebant vnde ſibi præparare ſimilia,& nihil accipiebant ab illis diuitibus & potentibus, ſed præſtolabantur ieiuni tempus cum verecundia,quo placeret illis diuitibus & potentibus benedici corpus Chriſti à ſacerdotibus,vnde communicarent.Impleti autem illi diuites omnibus cibis & potibus vſque ad vomitum,accipiebant ad vltimum ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti,dicentes:Sic tradidit Chriſtus diſcipulis ſuis,noſtris doctoribus & magiſtris,corpus & ſanguinem ſuum poſt aliorum ciborum perceptionem,& ſic nos volnmus illud ſumere.Quod audiens Apoſtolus, ſcripſit eis inter cætera iſta quæ in præſenti habentur,volens eos conuenire,inquiens:Conuenientibus vobis in vnum in eccleſia,iam non eſt dominicam cœnam manducare,id eſt,non eſt vobis licitum dominicam cœnam taliter manducare,qualiter vos

manducatis.

manducatis.Cœnam autem dominicam dupliciter poſſumus intelligere appellatam eſſe ab Apoſtolo,vel perceptionem videlicet euchariſtiæ,de qua ſinguli ſibi vendicabant partes proprias,quas attulerant,aliis non communicantibus, aut etiam eandem euchariſtiam poſt alios cibos ſumentes.Vel alio modo,cœnam domini appellat,illas præparationes conuiuiorum & epularum, quas ſine charitate ſumebant,non dantes inde pauperibus.Sacramentum igitur corporis Chriſti à communione cœna appellatur,quia conmune debet eſſe omnibus fidelibus & iuſtis.Vno enim pane vniuerſitas eccleſiæ deſignatur.Per id enim quod vnum ſumus,de vno pane omnes nos ſumere oportet.Licet enim à multis partibus deferatur ille panis,& à multis ſacerdotibus per vniuerſum orbem conſecretur,diuinitas tamen quæ replet omnia,replet & illud,facítque vt ſit vnũ Chriſti corpus.omnéſque qui digne percipiunt illud,vnum corpus Chriſti faciunt,non duo,quia ipſe dixit:Qui manducat carnem meam,& bibit ſanguinem meum,in me manet,& ego in eo.Quicunque ergo cœnam domini vult imitari,percipiendo corpus illius,vel etiam percipiendo alios cibos,communiter debet ea vti:quia cœna domini omnibus recumbentibus communis fuit,non ſolum bonis, ſed etiã proditori Iudæ.Sed nõ immerito quærit aliquis , quare ſaluator noſter poſt cœnam corporis & ſanguinis ſui ſacramenta Apoſtolis tradiderit,vel vnde proceſſerit iſta cõſuetudo vniuerſalis Eccleſiæ, vt ieiuni doceamur eadem ſacramenta percipere,cum apoſtoli iam cœnati ea perceperint,& dominus hoc ita non ordinauerit,ſicut modo tenetur? Cui reſpondendum eſt,ideo tunc cœnatos communicaſſe Apoſtolos, quia neceſſe erat paſcha illud typicum antea conſummare,& ſic ad veri paſchæ ſacramenta tranſire.Ideo quoque dominus per ſe non conſtituit ieiunos accipere nos ſacramẽta Euchariſtiæ,vt haberent eius Apoſtoli honorem aliquid ordinãdi in ſancta eccleſia , qui poſt eius aſcenſionem à ſancto ſpiritu edocti,ordinauerunt in honorem tanti tãmque terribilis ſacramenti , primo nos ieiunos dominicæ paſſionis participtione muniri , primò quæ ſpiritalibus epulis , interius exteriúſque ſacrari,ac deinde terrenis dapibus & vilibus eſcis corpus refici,cum gratiarum actione & cum temperantia atque ſobrietate,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnusquisquo enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et hoc similiter duplici modo intelligi potest, vt intelligatur cœna sacramentum eucharistiæ,quod illi singuli sibi vendicabant:vel illa præparatio conuiuiorum,quam vtrique illi vt propriam mãducabant,non communicantes exinde pauperibus. Diximus superius breuiter cœnam vocari communione vescentium,quasi commune conuiuium,cõmunémque escam atque refectionem. Cœnõ quippe Græci dicunt commune. Vnde & communicãtes dicunt, quòd communiter siue pariter comedant. Apud veteres enim cõsuetudo erat hora nona cœnare,non in abscondito,sed in propatulo,ne singularitas luxuriam gigneret. *Et alius quidem* vestrum *esurit*, ille videlicet qui paupertate premẽretur pane triticeo,& vino,quod deferat ad cõsecrandum, vnde communicetur, vel vnde præparet sibi conuiuium. *alius autem* diues quilibet & potens, *ebrius est*, & crapulatus tam ex aliis cibis,quàm etiam ex sacramentis corporis & sanguinis domini. *Nunquid domos non habetis* ò Corinthij *ad manducandum & bibendum*? communes cibos, *Aut ecclesiam dei contemnitis*, id est,despicabilem facitis, & pro nihilo ducitis, parantes vobis turpia conuiuia in ea, *& confunditis eos*, id est verecundari facitis, *qui non habent* alimenta,ex quibus consecretur corpus Christi & sanguis, vel vnde sibi præparent cœnam in ipsa ecclesia, sicut vos qui diuitiis abundatis. *Quid dicam vobis*? ò Corinthij,id est quid possum vobis dicere præ nimio dolore? *Laudo vos*, subaudis in hoc quòd bene agitis in quibusdam rebus, *in hoc* tamen *non laudo* vos,quòd ecclesiam dei despicabilem facitis,& taliter iam ebrij,corpus domini percipitis,& facies pauperum confunditis. *Ego enim accepi a domino quod & tradidi vobis*, id est,mysterium corporis & sanguinis domini,quomodo debeatis sumere,sicut mihi reuelauit,ita tradidi vobis. Insuper etiam quid significet illud sacramentum, sicut in sequentibus dicturus est quando pergebat Damascum,& cæcatus est. Vel tunc manifestauit ei dominus hoc inter cætera. Vel quando positus est in extasi mentis,dum esset in templo: Ac sic demum tradidit Corinthiis,quando moratus est apud eos anno vno & mẽsibus sex. *quoniam dominus Iesus in qua nocte tradebatur*, id est,ipsa nocte qua erat tradendus à Iuda, *accepit panem, &*

Actu.9.

& gratias agens,fregit & dixit discipulis suis.Finitis solem niis veteris paschæ,quæ in commemorationem antiquæ liberationis populi dei de Aegypto agebantur omnibus annis,transiit statim ad nouum pascha, sicut supra diximus,quod in memoriam suæ passionis & nostræ redẽptionis ecclesiæ suæ reliquit frequentandum.Fregit ipse panem,quem discipulis porrexerat,vt ostenderet corporis sui fractionem & passionem sua sponte venturam,sicut ipse antea dixerat:Potestatem habeo ponendi animam meã. *Accipite & manducate, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Sicut caro Christi quam assumpsit in vtero virginali,verum corpus eius est,& pro nostra salute occisum:ita panis quem Christus tradidit discipulis suis, omnibúsque prædestinatis ad vitam æternam,& quem quotidie consecrant sacerdotes in ecclesia cum virtute diuinitatis quæ illum replet panem,verum corpus Christi est:nec sunt duo corpora illa caro quam assumpsit,& iste panis, sed vnum verum corpus faciunt Christi,intantum vt dum ille frangitur & comeditur,Christus immoletur & comedatur, & tamen integer maneat & viuus. Et sicut illud corpus quod in cruce deposuit,pro nostra salute & redemptione est immolatum, ita quotidie ad nostram salutem & redemptionem iste panis deo offertur:qui licet panis videatur,corpus est Christi. Dominus enim & redemptor noster consulens nostræ fragilitati,quia cognouit nos fragiles esse ad peccandum,tradidit nobis hoc sacramentum vt quia ipse iam non potest mori,& nos quotidie peccamus,habeamus verum sacrificium, quo possimus expiari. Ideóque vnum corpus faciunt, & pro nostra redemptione offerumtur, dixit eũ:Hoc est corpus meum,quod pro vobis tradetur:& addidit. *Hoc facite*, id est,corpus hoc sanctificate,*in meam commemorationem*,videlicet passionis meę,vestręque redemptionis,quia ego vos redemi sanguine meo.Relinquẽs domin° hoc sacramentum salutiferũ omnibus fidelibus,vt illud infigeret cordibus & memorię eorũ,more cuiuscunque hominis egit,qui appropinquãs morti,aliquod munus prætiosum dimittit alicui amico:dicens, Habe hoc cũ omni diligẽtia penes te in memoriam mei,vt quotiescũq; illud videris,recorderis mei. Qui amicus admittens munus illud amici sui charissimi,si eũ toto corde dilexit,non potest non

Ioan.10.

Mat.25.

condolere ei,& tristari de morte amici,quotiescunque ad nos sibi dimissum conspicit.Similiter nos quotiescunque accedimus ad consecrandum vel percipiendum sacramentum muneris æterni,quod nobis dominus passurus in memoriam sui dimisit tenendum,cum timore & compunctione cordis,omnique reuerentia debemus accedere, recolentes quanto amore dilexit nos,qui pro nobis seipsum obtulit vt nos redimeret. *Similiter & calicem,* subaudis tradidit eis, *postquam cœnauit,dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine,* id est,calix quem vobis trado,nouum testamentum significat,vt Fulgentius dicit,vel nouum testamentum confirmatum in meo sanguine,siue per meum sanguinem. Calicem noui testamenti dicit,ad distinctionem veteris testamenti,quod confirmatum est sanguine hircorum & taurorum,sicut habetur in Exodo, dicente Moyse ad populum,quando collegit sanguinem hircorum in calice vel patena,& aspersit eundem populum: Hic est sanguis testamenti,quod mandauit ad vos dominus:id est,Hic sanguis est testis verborum & promissionum Dei ad vos, & testis verborum vestrorum ,quod promisistis esse vos obedientes illi.Similiter nouum testamentum,id est,euang. quod continentur promissiones nostræ redemptionis & patriæ cælestis,confirmatum est sanguine passionis Christi,qui quotidie celebratur in ecclesia. Omne enim testamentum in morte confirmatur testatoris: Quod autem addidit, *hoc facite* siue sanctificate, *quotiescunque biberitis,in meam commemorationem,* Idem sensus est,vt de corpore supra dictum est. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis,mortem domini annuntiabitis donec veniat.* ipse ad iudicium.Duobus modis annunciamus mortem domini nostri esse celebratam pro nostra redemptione,vel ipsum mysterium celebrando,vbi iteramus passionem illius, vel etiam prædicando aliis.quod vtrunque agere debemus,& sumendo,& prædicando. Hoc quoque sciendum est,quia caro nostri saluatoris ,p salute nostri corporis,sanguis verò pro anima nostra fusus est,quia sedes animæ in sanguine consistit. In cuius memoriam corpus & sanguinem illius sumimus, quoniam ipse,vt totum hominem saluum faceret & redimeret,sanguinem suum fundi permisit. *Itaque quicunque manducauerit panem hunc,& biberit calicem,* id est,sanguinem

*domini indigne,*id est quicunque sanguinem & corpus domini sumpserit indigne , *reus erit corporis & sanguinis domini.*i. pœnas æternas inde exoluet, nisi pœnitentia digna hoc expiauerit, aliisque bonis operibus.Indigne dicit.i.ordine non obseruato.videlicet qui aliter mysteriū illud celebrat vel sumit,quàm traditum est à sanctis patribus: vel qui nullam differentiam credit inter illud corpus Christi , & reliquos cibos : vel qui grauioribus criminibus cōmaculatus, præsumit illud sumere. Qui taliter,vt diximus , illud comedit & bibit.indigne illud sumit,ideóque pœnas inde exoluet . Apostolus igitur exponit quomodo debemus illud percipere.*Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.*i. Probet se.i.discutiat se,& vtrum dignus sit,necne : & probabilem se reddat,ne forte vnde alij sumunt remediū, accipiat ille iudicium & damnationem , indigne illud percipiens,sicut fecit Iudas proditor.Nam cū alij Apostoli sumpsissent illud terribile sacramentum ad remediū & salutē suam,ille qui indignus erat tanto mysterio,accepit illud ad damnationem suam:quia quem diabolus ante tenebat per suggestionem & tentationem , postea tenuit ad possidendum plenius,vt nihil aliud posset cogitare aut facere , nisi quod eius voluntas erat.Dicit enim euangelista,quia post bucellam statim introiuit in eum sathanas,vt malum quod illo instigante tractauerat,eo concitante perficeret.*Qui enim manducat & bibit indigne,*sicut supra diximus,*iudicium sibi manducat & bibit.*i. ad damnationem suam illud sumit, *non dijudicans corpus domini,* id est non discernens à reliquis cibis . Cum timore & tremore debemus accedere ad illud sacramentum terrible, vt sciat mens reuerentiam se debere præstare ei,ad cuius corpus sumēdum accedit. *Ideo,*subaudis quia indigne præsumitis percipere salutiferum sacramentum,ideirco sunt *inter vos* ô Corinthij, *multi infirmi,* id est,languentes, *& imbecilles.*id est,febricitantes, *& dormiunt multi,*non somno pacis & quietis, sed morte damnationis.i. mortui sunt morte æterna propter hoc peccatum. Volens demonstrare quia qui corpus dominicum indigne percipiunt,iudicium inde sumunt & damnationem.ostendit quosdam apud Corinthios vindictam in præsenti iam percepisse, qui inconsiderate & irreuerenter illud accepe-

rant, quia febribus & infirmitatibus multis correpti sunt, & quidam etiam mortui, vt illorum exemplo cæteri discerent non debere indigne & negligenter corpus domini sumere. *Quòd si nosmetipsos diudicaremus*, id est, discuteremus & examinaremus vitam nostram, vtrum digni essemus necne, & nosmetipsi errores nostros corrigeremus: *non vtique diudicaremur*, id est, non damnaremur à Christo neque in hoc seculo, neque in futuro. *Dum iudicamur autem*, non in paucis, in illis videlicet qui infirmantur & febricitant in hoc præsenti, & in illis etiã qui moriuntur, *à domino corripimur*, & flagellamur corpore per illos, vt ipso timore perterriti, *non damnemur* æternaliter, *cum hoc mundo*, id est, cum infidelibus & amatoribus huius mundi. Nihil enim differt ab infideli, qui irreuerenter cũ omnibus peccatis criminalibus cõmaculatus, ad mensam domini præsumit accedere, sed potius deterior est illo, & maiori pœna dignus: quia melius est viam veritatis non cognoscere, quàm post agnitionem retrorsum abire. *Itaque fratres mei, cũ conuenitis ad manducandum* corpus & sanguinem Christi in ecclesia, *inuicem expectate*, vt multorum oblatio simul celebretur, & omnes cõmuniter ex vno pane cõmunicetis. quia illa oblatio vnus panis est, & communis debet esse omnibus. *Si quis esurit, domi manducet*, id est qui impatiens est nec vult ieiunare cum cæteris, domi terreno pane vescatur: *vt non in iudicium conueniatis*, id est, ne corpus Christi reprehensibiliter percipiatis ad damnationem vestram. *Cætera autem*, subaudis quæ restant inordinata, *cum venero disponam.*

CAPVT XII.

De spiritualibus autẽ, subaudis mysteriis, *nolo vos ignorare fratres.* i. nolo vos ignorantes reddere. *Scitis autem quoniam cum gentes essetis.* Reducitur ab apostolo Corinthiis vitæ pristinæ cõuersatio in memoriam, vt ex eius consideratione crescant in nouã conuersationẽ. quoniam sicut gentiles viuẽtes feruebant in mendacio & errore, quia illa cultura nihil erat, sic iam Christiani effecti, diuinis præceptis cũ feruore animi debebãt obsequi. Gentes autem siue gentiles appellantur, qui ab errore patrum suorum, in quo nascuntur, in religione melioris

vitæ non commutantur. Vnde & gens, quæ sic manet vt genita est, vocatur. hi sunt pagani, qui ad diuinũ cultũ nõ accedunt: quos gentes nunc appellat, non q̃ tunc tẽporis pagani essent quando ista dicebat, sed quòd ante notitiam fidei fuerant. Hoc est quod ait, quoniam cũ gentes essetis, & subauditur iã non estis. Legitur & gens in bono, sicut est, non tantũ pro gente, sed vt filios dei congregaret in vnũ. *Ioan.11.*
ad simulacra muta, prout ducebamini euntes, subaudis eratis. Simulacra (quæ à simulando dicuntur, eo q̃ simulant hominem, & non sit homo: equum, & non sit equus: cæteráq; huiusmodi) ideirco muta appellãtur: quia (vt Psalmista ait) os *Psal.113.*
habent, & non loquentur: oculos, & non videbunt, neque enim est spiritus in ore ipsorum. Si quod autem verum ab idolis auferatur, dæmonum deceptioni, & non simulacrorũ insensibilitati asscribitur. Ad hæc adoranda tam à dæmonibus, quàm etiam ab aruspicibus & philosophis insipientibus impellebantur, & est sensus: Sicut cum gentes essetis, dæmonum templa sine reluctatione, prout ducebamini, frequentabatis: sic modo cum agimini spiritusancto, secũdum sanam doctrinam, ad ecclesiam dei accedite: & præceptis salutiferis cũ omni humilitate obtẽperare cõtendite. Et quod dicit prout ducebamini, ostẽdit eos tantã veneratione exhibuisse simulacris, vt eorũ cultum nequaquã abhorrerent, à quibuscunque hortarentur vel monerentur & ducerentur personis, ita & conuersos deũ diligere admonet, & coapostolos eius spernere nõ debere suæ salutis amatores. *Ideo*, subaudis, quia deum cognouistis, & quia de spiritalibus mysteriis nolo vos ignorantes reddere, *notum vobis facio, quòd nemo in spiritu dei loquens*, id est, nemo spiritũ sanctum habens, & per spiritum sanctum loquens, qui linguas infantium facit disertas, *Dicit anathema Iesu.* In decretis Iustiniani imperatoris, anathema, separat' à deo vocatur. Legitur & in canonibus pro maledictione. Legitur & pro occisione, sicut ipse Apostolus ait in epistola ad Romanos: Optabã ego anathema esse pro fratrib', id est opta- *Roma.9.*
bam interfici pro eis secundum carnem. Ponitur & pro abominatione, hic verò pro separatiõe ponitur. Itaq; nullus spiritu dei afflatus dicit ipsi Iesu, Tu es anathema .i. separatus à deo patre & spiritussancto, & aliqua parte inferior. Hoc quidã hæreticorũ vesani insaniendo dicere nõ timue-

runt. Idcirco anathemate .i. separatione à deo & ecclesia perculsi sunt. *Et nemo potest dicere dominus Iesus, nisi in spiritu sancto.* In sacra scriptura dicere aliquãdo pro simplici sermone accipitur, vt est, nõ omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnũ cœlorũ. Aliquando pro ipsa re & facto, sicut ait Ezechias rex ad Isaiam: Nõ fuit verbũ .i. res in domo mea, quod non ostenderim eis. Sic & in hoc loco pro re & facto ponitur. Nemo (inquit) potest dicere .i. corde & ore confiteri, & digna opera fidei exercere, Iesum diligere, & dominũ asserere, nisi spiritussancti gratia fuerit intrinsecus edoctus. Nã ille dicit Iesum dominum esse, qui credit eũ patri & spiritui sancto coequalẽ & coomnipotẽtem: & hunc confitetur, seruando precepta illius, quibus vera dilectio cõprobatur. Dicemus & hoc ipsum breuiter cũ cõclusione. Nemo potest dicere, Dominus Iesus, subaudis, sicut est dicendus, corde, ore, & opere, nisi per spiritũ sanctum fuerit illuminatus. *Diuisiones verò gratiarũ sunt,* subaudis non meritorũ, *idem autem spiritus* sanctus manet semper vnus in omnibus & indiuiduus. Notandũ quod non ait, diuisiones meritorum sunt, sed gratiarũ: quia dona dei gratis dantur, non humanis meritis tribuuntur. Vnde ad Romanos ait: Quis prior dedit illi, id est, deo fidem suam, aut aliquid: & retribuetur ei? Spiritus nãque sanctus in seipso vnus idémq; manet. i. immensus, indiuisus, inseparabilis cũ patre & filio: sed dona illius diuisa sunt, quia non omnibus æqualiter conferuntur. Vnde fatendum est quia cum deus per diuinitatis potentiã vbique sit, non tamẽ vbiq; est per inhabitationis gratiam, & in quibus habitat per gratiã, nõ æqualiter habitat. Sicut ergo mare immensum est: & aduenientes secundum capacitatem vasorum suorum & differentiam hauriunt, & non exinanitur mare, neq; euacuatur: & sicut eriã ex vna lucerna plures accenduntur, ipsa tamẽ non decrescit: sic spiritussanctus cũ sit immensus, distribuit ipse iustis gratiam suam, secundum quod ipsi videtur: ipse tamen omnipotens in immensitate sua perseuerat, & quã tum vult, & cui vult, & quando vult, & quomodo vult, dat: & nihil minus habet, quia extra se nulli erogat. *& diuisiones ministrationum sunt.* Verbi gratia, vt in episcopis, presbyteris, diaconibus, cæterísque ordinibus, qui spiritussancto distribuente ecclesiæ ministri constituantur, non per propriã

propriam hominis deliberationem, sed per spiritussancti efficientiam. *idem autem dominus,* subaudis manet indiuisus in omnibus. *& diuisiones operationum sunt,* quia alius operatur per spiritum sanctum maxima, alius mediocria, alius verò minima. *Idem verò deus, qui operatur omnia in omnibus,* Quem superius appellauit spiritum, modo vocat dominum & deum: & ter idem dicendo, manifestat se loqui de spiritu sancto, sed non separat inde patrem & filium: quia quorum vna est virtus naturæ, & substantia vna, borum vna est operatio indiuisa. qui videlicet deus, operatur omnia bona in omnibus. Quibus verbis tollitur humana arrogantia, cum sine spiritu sancto nec magna, nec minima bona operari possit nostra fragilitas. Altius monet Apostolus, in trinitate nullos faciendos gradus, dum primũ ponit spiritum sanctum, secundo dominum Christum, tertio deum patrem, qui vnus deus distribuit dona sua, manẽs in se indiuisus. *Vnicuique autem,* subaudis fidelium, *datur manifestatio spiritus ad vtilitatem,* & illius videlicet qui percipit donum spiritussancti: & aliorum, qui aut ab illo eruditur, aut exemplo illius in meliorem vitam instruuntur, & in dei laudem excitantur, sicut dominus monet: Luceat lux vestra coram hominibus &c. Manifestatio verò spiritussancti ipsum eius donum intelligitur, quod ipsi homini manifestat datum esse ad vtilitatem suam, vt recte credat, sancte viuat, & vt alij ex eo vtilitatem percipiant. Siue manifestatio spiritus idcirco dicitur, quia vbicunque per dona sua fuerit, illico per operationem iustitiæ manifestatur. Hinc scriptum est: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? *Alij quidem per spiritum sanctum datur sermo sapientiæ.* Modo incipit exponere diuisiones gratiarũ & ministrationum, quæ per spiritum sanctum dantur. Intelligitur sapientia in vitaudis malis, & appetendis bonis, scientia verò in disponendis ordinandísque humanis. Etenim fundos siue agros excolere, domũ prudẽter ædificare, familiã competeter ordinare, ad scientiam videtur pertinere. Aliter, Sapiẽtia pertinet ad cognitionẽ æternã, qua credimus deũ trinitatem habere in personis, vnitatem in substantia. Scientia verò humanarum rerum (sicut supra diximus) siue sapientia est, secundũ Gregorium, quando quis veteris testamenti & noui legit volumina, & intelligit, &

ad vtilitatem aliorum exponit, ſicut Hieronymus; Auguſtinus, Hilarius, & ipſe Gregorius. Scientia verò quando illorum expoſitiones leguntur & intelliguntur, & ſecundum eas vetus teſtamentũ aut nouum traditur. Eſt etiam ſapientia qua abſtinet quis à prauo opere: ſcientia verò, quando à praua cogitatione. Itaque ſiue ſapiẽtiam diuinarum, ſiue ſcientiam humanarũ rerum habeamus, non ex nobiſipſis, ſed ex dantis ſancti ſpiritus gratia percipimus. Quod verò dicit, *ſecundum eundem ſpiritum*, nihil eſt aliud, niſi quaſi diceret: Alij datur ſermo ſcientiæ ſecundum volũtatem eiuſdem ſpirituſſancti, vel per eundem ſpiritum. *alteri*, ſubaudiatur datur, *fides in eodem ſpiritu*, id eſt, per eundem ſpiritum. Dominus loquitur in euangelio de perſona patris: Hoc eſt opus dei, vt credatis in eum quem miſit ille. Et Apoſtolus fidem dicit dari per ſpiritum ſanctum. Vnde datur intelligi, quia quod dat pater per ſpiritum ſanctum, dat & ipſe ſpirituſſanctus cum patre & filio, quia vnius eſt poteſtatis & operationis cum illis. Fides ergo qua credimus in deum, & à patre & à filio & ſpirituſancto datur: nec eſt in homine naturaliter, ſed à deo datur: quoniam ſi eſſet, omnes haberent fidem. *Alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu.* De gratia ſanitatum dicit, qua ſanantur infirmi vel ægri. *alij operatio virtutum*, in eiiciendis dæmonibus & patrandis aliis miraculis. *alij prophetia*, qua ſpiritu ſancto repletus, futura prædicit: vel prophetarum libros exponit. *alij diſcretio ſpirituum*, vt nouerit quis loquatur ex ſpirituſancto, vel quis ex ſpiritu humano, ſiue maligno: ſicut loquebatur puella, quæ magnum quæſtum præſtabat dominis ſuis: de qua Paulus ſpiritum phytonicum expulit: & ſicut loquebãtur magi & incantatores. *alij genera linguarum*, id eſt, varietates ſermonum, vt apoſtolis & credentibus in exordio fidei. *alij interpretatio ſermonum*, vt Hieronymo, qui diuinas ſcripturas ex Hebræo in Latinum tranſtulit. *Hæc autem omnia* quæ enumerauimus, & etiam plura quàm enumerauimus, *operatur vnus atque idem ſpiritus*, ad vtilitatem ſcilicet Eccleſiæ, in quo intelligitur pater & filius, quia inſeparabilis eſt eorum operatio, *diuidens ſingulis* electorum dona ſua, non tamen ipſe diuiſus: *prout vult*, quia omnipotens eſt. *Sicut enim corpus vnum eſt, & habet multa membra*, & cætera vſque, *ita & Chriſtus*: ſubaudis

audis, cum Eccleſia vnum corpus eſt. His verbis docet non deberi inflari quẽlibet aduerſus alterum, quia etſi non magnum tamen paruum eſt Eccleſiæ membrũ. Et ſicut omnia mẽbra, ſiue ſint magna, ſiue parua, ue honeſta, ſiue inhoneſta, corpus humanum formant: ita homines diuerſi meriti, vnam Eccleſiam ædificant, & vnum corpus Chriſti faciunt. Cum Chriſto enim qui eſt caput Eccleſiæ, ipſa eccleſia intelligitur, quæ eſt corpus eius. *Etenim in vno ſpiritu*, ſubaudis ſancto, de quo ſcriptum eſt: Ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto, & igne. &, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, *omnes nos in vnũ corpus baptizati ſumus*, id eſt ad hoc baptizati ſumus, vt eſſemus vnũ corpus cum capite noſtro Chriſto, *& omnes in vno ſpiritu potati ſumus.* Quaſi diceret, potionati ſumus, vel vnum ſpiritum potauimus: quia tempore baptiſmatis omnes vnum ſpiritum ſanctum accipimus. *Nam & corpus non vnum eſt membrum, ſed multa.* Quia vnum membrum non facit corpus, ſed multa ſimul neruis conglutinata. ſic omnes credentes, ſiue ſint ſublimes vitæ merito, ſiue parui, vnum corpus efficiunt, conglutinante eos virtute ſpirituſſancti. *Si dixerit pes, quoniam non ſum manus, non ſum de corpore: non ideo non eſt de corpore?* Interrogatiue eſt legendum, & ſubaudiendum, Vtique de corpore eſt. Caput corporis ſui, id eſt Eccleſiæ Chriſtus eſt. Oculi huius corporis, Apoſtoli ſunt intelligendi, de quibus dicitur: Pulchriores ſunt oculi eius vino: ſed & prædicatores, qui ſibi aliiſque ſpiritualia proũidet. Aures, ſunt fideles auditores. Nares, qui vim diſcretionis habent inter odores virtutum, fœtoréſq; vitiorum. Os, qui diuina eloquia aliis eructant, id eſt, doctores. Manus, qui operantur vnde alij viuant: Pedes, qui in negotiis ſecularibus ad vtilitatem cæterorum diſcurrunt. Si dixerit talis pes, non ſum manus, quia non habeo quod tribuam, vel non poſſum operari vnde aliis victum tribuã, propterea non ſum de corpore Chriſti, num ideo non eſt de corpore? ſubaudis, vtique eſt de corpore Chriſti. Sic intelligẽdum de aure & oculo, licet dicat bonus auditor: Non ſum oculus, id eſt prædicator, & propterea non ſum de corpore Chriſti, nõ ideo nõ erit? Sed erit de corpore Chriſti. Mẽbrũ erit Eccleſiæ. *Nũc autẽ poſuit deus mẽbra, vnũquodq; eorũ in corpore ſicut volut.* Quibus verbis tollit preſumptionẽ, ne

quis donum dei putet suum meritum. Quisquis enim in ecclesia est oculus, à deo & non à se, factus est oculus Sic & de cæteris intelligendum membris. Hinc enim ait: Quid enim habes quod non accepisti? *Quòd si essent omnia* subaudis membra, *vnum membrum, vbi corpus?* subaudis esset, quod non vno membro, sed varietate membrorum constat. Et si omnes essent auris aut oculus, id est auditores tantum aut prædicatores, quomodo esset ecclesiæ corpus, cum non constaret membrorum varietatibus? *Non potest autem dicere oculus manui, Opera tuo non indigeo.* Quoniam prædicator quilibet victu eget ex labore illorum, qui defigpantur per manus. *Aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarij*, & ille qui præest subditis, non potest dicere in temporali discursu suis subditis, cum eorum opera indigeat: Non estis mihi necessarij. *Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse*, sicut pedes suis & manus, quæ vilibus quibusque ministeriis deseruiunt. *Necessaria sunt.* Quia pro toto corpore operantur. *Et quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorem circundamus.* Ignobiliora membra quibus abundantiorem honorem circundamus, sunt manus & pedes, quibus ornamenta calceamentorum armillarúmque adhibemus. *Et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.* Inhonesta nostra sunt verenda, quæ verecundamur videri nuda: quibus abundantiorem honestatem præbemus diuersorum colorum vestibus. *Honesta autem nostra*, id est, oculi, nares, & cætera talia, *nullius egent* ornamenti. *Sed deus temperauit*, id est, fabricauit *corpus*, tribuendo honorem *ei* membro, *cui deerat*, subaudis honor, *abundantiorem tribuendo*, id est, extrinsecus adhibuit membro *honorem*, per additamentum vestium & ornamentorum: quoniam non habet insitum per naturæ decus. *Vt non sit schisma*, id est diuisio *in corpore*, quibusdam membris pulchris, quibusdam manentibus inhonestis: sed sit corpus iam totum honestum, tam natura, quàm ornamentorum gratia. *Sed in idipsum*, id est alterutrum, *pro inuicem solicita sint membra.* Sicut oculus roti corpori videt, & pes toti corpori ambulat, &c. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Sicut de humero procedit cubitus, manus, & digiti, & de coxa tibiæ,

biæ, pedes, & articuli: sic sunt sumpta membra de membro, id est pendentes ex sibi prælatis. *Primum posuit Deus Apostolos* in ecclesia, qui vice Christi positi sunt in ecclesia, sicut ait Apostolus: Obsecramus per Christum, id est vice Christi, reconciliamini deo. Horum vice subrogati sunt episcopi. Sed apostoli ex præcepto domini compellebantur transire de regno in regnum: episcopi verò suis in ecclesiis authoritate canonica residere iubentur ob vtilitatem sibi commissorum. *Prophetas* vocat, qui futura prædicunt, sicut Agabus, & ipsi apostoli, siue qui prophetarum dicta edisserunt. *Doctores*, qui paruulos erudiunt, *Virtutes* qui dæmones eiiciunt, aliáque miracula faciunt. *Gratias curationum*, qui infirmos sanitati restituunt, *opitulationes*, qui verbis aut factis auxiliantur aliis, *gubernationes*, sicut in prælatis & regibus, episcopis aut ducibus, *genera linguarum* sicut in exordio fidei. *Nunquid omnes interpretantur* scripturas, vt Hieronymus? *Aemulamini autem charismata meliora.* Quibus verbis ostendit Apostolus bona esse supradicta, id est prophetiam, doctrinam, eiectionem dæmonum, &c. Sed ista quæ subsequuntur, meliora sunt, quantum ad vtilitatem electorum attinet: quia per illa superius posita tantum dei demonstratur potentia, per cuius nominis virtutem & inuocationem fiunt. Per hæc autem, id est charitatem, fidem, & spem, hominis iustitia constat. Gloriabantur Corinthij quasi summam iustitiæ haberent, eo quòd quidam illorum dæmonia eiicerent, gratiam curationum infirmis impartirét, sed ostendit Apostolus meliora deesse, & idcirco perfectos nondum esse: atque ideo hortatur eos, dicens: Aemulamini charismata meliora, id est, dona gratiarum meliora: nã superius præmissa possunt habere mali cũ bonis, sicut Iudas apostolus fuit, Caiphas, sicut & Balaam, cum esset malus, prophetauit. Multi in die iudicij dicturi sunt, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo multas virtutes fecimus? & dæmonia eiecimus? sed audituri sunt: Amen dico vobis, nescio vos. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Per quam intelligitur charitas, in quo præcepto vniuersa lex pendet & prophetæ. Quæ nobis via efficitur, quia per eam ad patriam cælestem peruenitur. Cuius magnitudinem amodo incipit exponere, inquiens.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XIII.

Supra. 12.

SI linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, inutilis sum. Hæc verba ex superioribus apostoli verbis pendent, vbi dicit, Aemulamini charismata meliora, &c. Si linguis omnium hominũ loquar, septuaginta scilicet duabus, quæ diuisæ sunt in ędificatione turris: & si linguis etiam angelorum loquar, & charitatem non habeam, dilectionem videlicet dei & proximi, nihil sum. Quod dicit loquor angelorum linguis, intelligitur ad exaggerandum hoc quod volebat ostendere, posuisse charitatis scilicet vim. Siquidem angeli nec linguam nec palatum vel dẽtes habent, vtpote spiritus, quibus verba forment. Quando verò apparent hominibus, sumptis corporibus aeriis, secũdum eorũ linguam loquuntur quibus apparent. Nã loqui illorum ad deũ, nihil est aliud quàm in præsentia ei⁹ esse: & deũ loqui ad illos, nihil aliud est, quàm pręsentia vultus sui qua fruitur, attendentes quid velit illis manifestare: & ipsorũ vox in laude conditoris, ipsa est admiratio intimæ cõtemplationis. Inter se quoque angeli loquuntur ineffabiliter, seu eorum adinuicem collocutio, bonæ voluntatis est concordatio, nec est necesse, vt ibi sonent verba, vbi in dei contemplatione omnium angelorum concors est voluntas bona. Inde ergo Apostolus dicit, Si linguis etiam angelorum loqui possem, nihil mihi prodesset sine charitate. Possunt intelligi & per angelos, scholastico more loquentes, qui liberalibus artibus instructi, politis disserunt verbis quæ norunt. per homines verò, simpliciter loquentes. Siue ergo simpliciter quis disputet, quod multi quærunt, quia ibi omnium ædificatio esse potest: siue liberaliter, quod multi ambiunt, charitatem autem non habeat, fit *velut æs sonans aut cymbalum tinniens*, Quoniam sicut æs sonans aut cymbalum, nihil eis prodest, quia nullam vtilitatem sibi præstat, sic est homo qui loquitur linguis absque charitate. Reuera sicut æs sonat, & sibi nihil confert, iuuat autem, id est delectat audientes, ita lingua charitate priuata. Aes quoque & cymbalũ non à se sonant, nisi ab aliquo tangantur, aut alicuius rei impulsione cõmoueãtur. Sic & qui linguis loquitur,

tur, non à se loquitur, sed potẽtia spiritussancti per eũ loquitur. Qui verò charitatis præceptum exercet, iuuante se deo operatur. *Et si habuero prophetiam*, videlicet vt futura prædicẽ, sicut Balaã, qui prophetauit de Christo: Orietur stella ex Iacob, & exurget homo de Israel. *Et nouerim mysteria omnia*, id est secreta veteris & noui testamenti, *& omnem scientiam*, id est notitiam tam diuinarum quàm humanarum rerum. *Et si habuero omnem fidem*, id est perfectam & integram, quæ à domino grano sinapis cõparatur, nõ propter modicitatem, sed propter feruorem, quia tritũ manifestat cuius sit vigoris. Sic & fides trita aduersitatibus, ostẽdit cuius sit fortitudinis, *ita vt montes transferam* de loco ad locum, vel dæmones à patientibus eiiciam, *si charitatem*, id est si dilectionem dei & proximi, *non habuero*, *nihil sum*, id est nihil vtilitatis mihi præstabit. Intelligitur quòd quidã Corinthiorum per inuocationem dei hoc agebant, & propterea quasi perfectos se putabant. Sed exhortatur ad id quod est præcipuum, id est ad charitatem. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*, iuxta pręceptum domini, dicentis: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, *& si tradidero corpus meum, ita vt ardeam*, sicut B. Laurentius est vstus: & hoc non fecero causa dilectionis, dei videlicet & proximi: *nihil mihi prodest*. Se ponit Apostolus pro omnibus. *Charitas patiens est*. Quomodo potest charitas patiens esse, quæ virtus est? Sic videtur loqui, quasi de re animam habente. Nam charitas virtus est, quæ per se non patitur, ideóque patiens per se non est. Quapropter per charitatẽ debemus intelligere hominem charitatem habentem. Itaq: qui habet charitatem, patiens est, tolerando aduersa: quia per tribulationes nouit peruenire ad gaudia regni. *Benigna est*, id est, valde bona, quia non solum non reddit malum pro malo, sed insuper bonum pro malo, cibando inimicũ & potando. *Charitas nõ æmulatur*, superius ait Aemulamini charismata meliora, id est æmulari studete, hic autẽ dicit, Aemulamini, id est persequimini: ibi accipitur in bono: hic autem in malo. Non æmulatur dicit, id est nulli inuidet, aliena fœlicitate nõ torquetur. *Nõ agit perperã*, id est non agit aliquid peruerse. Quicquid extra rectitudinẽ fit: quia quod prauũ est, perperã dici potest aduerbialiter. *Nõ*

Universidad de Deusto
Biblioteca

inflatur, id est, non extollitur, & in superbiam non erigitur. *non est ambitiosa*. Ambire est desiderare: & omnis qui charitate est plenus, non desiderat, neque cupit potestatē super alios exercere, quia maior cæteris non vult apparere. *non quærit quæ sua sunt*, id est, quod sibi solummodo vtile est, sed aliis, vel certe patiens est, non quærit quæ sua sunt, id est, vindictam, quia inimicis talionem non reddit. Quæstio hoc loco oritur: Cū Ioannes dicat, Deus charitas est, quia

1. Ioan. 4. Apostolus dicit, Charitas non quærit quæ sua sunt? quæ tripliciter intelligi potest. Aliter enim intelligenda est charitas secundum Ioannis verba, aliter secundum Pauli. Charitas secundum Ioannem, ipse deus intelligitur, qui charitatem infundit in cordibus fidelium, iuxta quod Apostolus ait, Charitas dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctū qui datus est nobis. Secundum Paulum vero

Roma, 5. per charitatē intelligitur homo charitatem habens, qui non quærit solummodo quę sua sunt, & quod sibi vtile est, sed quod aliis. Vnde etiam ipse deus, qui charitas est, non quærit quæ sua sunt: quia veniens in mundum per incarnationis mysterium, non quæsiuit quæ sua erant, id est, non quæsiuit iustos, sed peccatores, quia sub diaboli imperio tenebantur, vnde ipse dicit, Non veni vocare iustos, sed peccatores.

Luc, 5. Dicamus & tertio modo: Charitas, id est, ipse deus veniens in mundum, non quæsiuit quę sua erant. Quid erat suum? Vt ab omni creatura adoraretur, glorificaretur, veneraretur, sicut deus creator omnium. Sed ipse nō quæsiuit ista quæ sua erant, & sibi competebant: quia non quæsiuit honorem, non regnum, non timorem ab hominibus: sed quæ erant latronum, homicidarū, atque maleficorum hominum, sputa videlicet, colaphos, alapas, irrisiones, verbera, crucem, & mortem. Et sicut ipse non quæsiuit quæ sua erant, ita & nos nō debemus quærere nostra, sed quæ sunt aliorū. *non irritatur*, id est, etiam si læsa fuerit, non prouocatur ad iracundiam siue furorem, non cogitat ad vindictam, vt malum pro malo reddat. *non cogitat malum*, id est, non solum non facit, sed nec cogitat vt alij noceatur. *non gaudet super iniquitate*. sed potius tristatur, cum viderit quemlibet per aliquod scelus ruere. *congaudet autem veritati*, id est, operibus iustitiæ, vel etiam illi qui in veritate & non ficte fidelis est. *Omnia suffert*, subaudis aduersa patienter. *omnia*

omnia credit, quæ continentur in veteri testamento & nouo, vel quæ promittuntur electis in futuro regno à deo, vera credit esse. Idcirco *omnia sperat*, quia nisi crederet, non speraret. Siquidem spes est futurorum bonorum expectatio, quorum consideratione *omnia* aduersa *sustinet*. *Charitas nunquam excidit*, id est, ab homine se habenti nunquam labitur, nunquam cadit, *siue prophetiæ euacuabuntur*. Prophetia est quæ de futuro loquitur: quod cum venerit, non erit iam necesse vt prophetetur. Ponatur vnum exemplum pro omnibus. Prophetatur Christus ad iudicium vēturus, eo veniente non erit necesse vt hæc prophetia recitetur amplius: sic de cæteris intelligendum. *siue linguæ cessabunt*, quoniam sicut ante turrim Babel vna erat lingua Hebræa, sicut quidam putant doctores, expleto iudicio, ipsa remanebit vna. Reuera in multis linguis varietas est: & vbi est varietas, ibi dissensio. In sanctorum regno nō erit dissensio, ergo nec linguarum varietas. *siue scientia destruetur*. Præsens scientia, quæ ex parte nunc habetur, cū plenitudo scientiæ venerit, eo quòd sit imperfecta, destruetur, id est, in melius commutabitur. *ex parte enim cognoscimus*, non ex toto, de deo, & de beatitudine sanctorum. *& ex parte prophetamus*. Quia quod ex parte scimus, etiam ex parte prophetamus. *Cum autem venerit quod perfectum est*, id est, quod totum est & integrum, quando reuelata facie ipsum deum contemplabuntur electi, sicuti est, quasi exinanietur & annihilabitur *quod ex parte est*. sicut ait Ioan. 1. Ioan. 3. Charissimi, filij dei sumus, & nondum apparuit quod erimus. Scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. *Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus*. Comparationem dat naturalis incrementi, & adhibetur exemplum humanum, quo ostendit scientiam, quam habemus in præsenti esse quasi infantiā, & futuram esse, quasi virile robur quod habiturum sit perfectam abundantiam. Cum essem (inquit) paruulus, loquebar vt paruulus balbutiendo, & imperfecta verba promēdo. *sapiebam vt paruulus*, leuia scilicet & inconuenientia. *cogitabam vt paruulus*, de iocis scilicet & risui habilibus. Quando autem factus sum vir, & cœpi sapere perfectius, *euacuaui*, id est, contempsi *quæ erant paruuli*, quia quæ antea expetebam, abhorrere cœpi. In hac ergo vita paruu-

li sumus ad comparationem futuræ vitæ: quia sicut vita hæc imperfecta est: ita & scientia. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ad hoc tendit præmissa comparatio, sicuti qui videt per speculum vultum suum, & in de discedens obliuiscitur qualis fuerit, sic & nos de hac & vita futura parú quid perspicimus. Et hoc in ænigmate, id est in obscuritate, quia cum simus carnei, ea quæ sola spiritalia sunt, ad liquidum capere nequimus. Tunc autem est, in futuro, facie ad faciem, id est, præsentes præsentem deum videbimus. *Nunc cognosco ex parte* deum, *tunc autem cognoscam* ex toto, *sicut & cognitus sum* modo à deo, qui interius exteriúsque totum me nouit. Et sciẽdum quia (sicut) non semper pro æqualitate ponitur. Aliter enim cognoscimur à deo: & aliter cognoscimus eum: quia ille cognoscit cuncta vt deus, nos cognoscimus illum, vt creatura. per eius donum, veruntamen sicut ille nouit nos ex toto, sic & nos ex toto cognoscemus illum. Ille cognouit nos, vt deum decet, nos cognoscemus illum, vt glorificatæ creaturæ conueniet. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.* Hæ tres virtutes modo iunctæ sunt adinuicem, & ita in hac vitæ tempore copulantur, vt vna sine altera stare non possit. Qui enim credit in deum, sperat quæ ab ipso promissa tuntur se percepturum: & quo magis sperat, eo magis credit in illum: & ideo habet charitatem: quia diligit deum & proximum. Ea enim quæ credimus esse nobis promissa, etiam nos accepturos speramus. His verò delectati, ampliùs in charitate feruemus. Veraciter enim credere non possumus, nisi ea quæ promissa sunt speremus: nec poterimus sustinere promissa, si desit fidei fidelitas firma, Nec adest fructus spei, vel stabilitas fidei, nisi fuerit perfecta charitas Christi in nobis, quæ & fidem vt præcedat adiuuet, & spem expectatione corroboret. *maior autem his,* subaudis virtutibus, fide videlicet ac spe, charitas est: minorum filius dei charitate, id est, dilectione, & non nostris meritis, homo factus est, & redemptor mundi, qui dilexit nos: & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo in odorem suauitatis. Per hanc deus pater facit eundem filium suum in mundum, hanc spiritussanctus infundit cordibus electorum. Fides nanque est, qua deum trinitatem habere in personis, & vnitatem in substantia

Ephe. 5.

credimus, mysteria quoque incarnationis & passionis filij dei. Spes verò est expectatio futurorum bonorum, quę nec dum aspeximus, nec consecuti in re sumus. Charitas, qua deum proximúmque diligimus. Cum deum in quo sunt præmia, quæ præstolantur electi, facie ad faciem viderint, nihil remanebit quod de futuris credant, aut vltra sperent. Diligent verò per charitatem datorem omnium bonorum operum, diligent & proximum, gaudentes de illis, sicut & de seipsis. Ideo ergo charitas maior est fide ac spe, quia illis cessantibus ac deficientibus, ipsa remanebit. In præsenti seculo cum ipsis est, & ipsa sola in æternum perseuerabit. Ipsa sola perducet nos ad Christum, ipsa sola fruetur gaudio sempiterno, & præsentissimo vultu omnipotentis dei, &c.

Sermo & tractatio superiorum.

AM qualis & quanta sit charitas non pe lum via, sed morum, Apostolo docente, discamus. Si linguis, inquit, hominum loquar & angelorum, &c. Hominum & angelorum linguas, inanem facundiam quorundam hominum significantes debemus accipere, qui omnia quæcunque voluerint, acurate quidem atque eloquenter enuntiant. Sed quanuis ornate copioséque dissertent, tamen docendi officium vanitate placendi magis quàm consulendi charitate suscipiunt, non vt alios doceant, sed vt se doctos ostendant: nec profectum, sed vt plausum à suis auditoribus quærant: si totam scientiæ diligentiam transferant mendaces ad linguam, & studiosius velint eloquentiam curare quàm vitam, supercilio vanæ loquacitatis elati, licta sua magis cupiant laudari, quã fieri: nec sint de sanctitate operis, sed de sermonis elucubrati venustate soliciti. Nunquid merito tales æramento sonãti aut tinnienti cymbalo comparantur, qui in modũ tinnientis æramenti vel cymbali, præclara quæq; magis appetunt sonare quàm facere? vel erubescũt à seipsis, aliter viuendo quàm prædicant, discrepare? Qui vt quoquo modo turpitudinem suæ cõuersationis obnubilet, honesta prædicare nõ cessant, non vt auditores sui eorum prædicatione proficiant, sed vt & ipsi videãtur curare quæ

prædicant. Sed videamus quæ his annectat Apost. Si habuero (inquit) prophetiam, & nouerim mysteria omnia, &c. non hoc ita dicitur, quasi aliqua bona sine charitate aliqui habere non possint, sed quia nihil prosint habentibus ea, si à charitate defecerint. Ipsa autem & hinc necessaria est, vt omnia bona, summum bonum, id est, charitatem habentibus prosint. Ipsa enim perfecta permanebit, cum omnes perseuerantes in se, ad visionem dei perduxerit. Cæterum prophetia & mysteriorum omnium notitia, vel scientia, non non & ipsa fides, & cætera talia, quæ non solum perfectioni fidelium, sed etiam fragilitati necessaria iudicantur, illa perfectione sanctorum, qua in charitate radicati remanebunt, peruenientibus necessaria esse non poterũt, cum illis incomparabiliter meliora ac perfectiora successerint: quia nec prophetia ibi opus erit, cum ad illud quod futurũ præmittebat, impleta perduxerit: nec scientia, quæ velut lucerna quædam in huius seculi nocte fideles illuminat, cum ipsa illius vitæ die perpetuo sol viuas effulserit. Nec mysteriorũ notitia, aut ipsa fides necessaria erit, quando ad eã quæ per mysterium significabantur & credebantur ex fide, perfectio Christiana peruenerit. Charitas verò hic quidem necessaria est, quæ nos separat à diabolo, purificat à peccatis, reconciliat deo: sed ibi perfecta erit, cum perfectos deo, à quo est eis donata, coniunxerit. Adhuc Apostolus laudem diuinæ charitatis amplificans, adiungit, inquiens: Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Nec quidẽ immerito: Si enim non quid, sed propter quid faciamus, in illa vltima examinatione quærendum est, eleemosynæ, vel traditio corporis proprij in mortem, quid proderunt non habentibus charitatem? Ipsa ergo habenda est, ipsa est sectanda, sine qua nec eleemosynæ, nec mortificatio siue occisio corporis, nec illa omnia superius dicta, vel alia quamuis bona, perducunt aliquos ad salutem, quia quælibet actio bona vel passio, si ex ea quæ per dilectionem operatur, non extiterint, non habebit prodesse non poterunt. Qui propter nil eis peccati damnabilis remanere poterit, nec deerit aliquid boni, quibus charitas, omnis inquinamenti mundatio, & bonorum omnium mater, affuerit. Quoniam quidem charitas patiens est,

est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, nõ inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, eis in quibus fuerit, omnia ista quæ habet impartit. Et quid illis esse potest in hac vita perfectius, qui tantis abundant charitate in se regnante virtutibus? Merito proinde, quando videmus aliquos patientiæ mole fundatos, incõcussum pectus sæuientibus malis opponere, abundantia sanctæ benignitatis locupletatos, bonum suum velle cum omnibus habere commune, non aliquibus ardẽtis inuidiæ facibus coqui, nõ agere perperam: sed simpliciter cum omnibus quibus debet vnitas charitatis exhiberi, nullo fastu perniciosæ vanitatis inflari: nihil eorũ quæ sunt aliena crimine cupiditatis ambire: quæ sunt sua, quia cõmunionis bona, non quærere, nulli malum quibuslibet irritatus iniuriis cogitare, non super alicuius iniquitate, sed de virtute gaudere, omnes inquietos vel inquietudines fundata animi trãquilitate sufferre, post hanc vitam diuinitus pœnas comminas credere non metuendo, promissa præmia sperare gaudendo, reuelationem filiorum dei desiderare, fortiter sustinendo. Quando ergo videmus ista & his similia bona aliquos posse, nouerimus non eos magnitudine virtutis suæ posse, quod volunt ardenter & faciunt, sed beneficio illius charitatis, quæ non est ex nobis, sed diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.

CAPVT XIIII.

Ectamini autem charitatem, id est persequimini. Hoc verbum continuationẽ rei significat: sicut & ibi, Hospitalitatem sectantes, *æmulamini spiritalia*, subaudis dona, id est imitamini, studete inquirere dona spiritalia, quæ per spiritum sanctum dantur, vt virtutes operemini, linguis loquendo, Demones eiiciendo: sed magis Aemulamini & diligite, *vt prophetetis*, id est vt aperte prophetas cæteróque libros veteris & noui testamenti exponatis. Hoc quisquis agit, propheta est: quoniã per charitatem qua consulit cæteris, habet spiritum sanctum, qui locutus est in prophetis. *Qui enim loquitur lingua*, subaudis incognita & peregrina, vel in obscuritate

Roma. 12.

sermonis: *non hominibus loquitur*, quia non intelligitur quod ab eo dicitur, *sed deo*, qui nouit omnes linguas, & insuper nouit non prolatas. *Nemo enim audit*, id est, nemo astantium intelligit quæ ille loquitur. *Spiritus enim*, sanctus subaudis, *loquitur mysteria*, id est occulta per illum hominem in quo habitat, qui peritiam & notitiam illius linguæ contulit: audientes autem quòd non norunt illam linguam, latent eadem mysteria. *Nam qui prophetat*, id est qui prophetas aliásque scripturas aperto sermone docet, *Hominibus loquitur ad ædificationem* intellectus, quia intelligunt quæ proferuntur à doctore, & solutionem quæstionum addiscunt, *& exhortationem*, quia exhortatur alios, vt desiderium habeant explanandi, & possint aliis exponere. *Et consolationem*, quam accipiunt in lingua sibi cognita, vnde alij extolluntur in ignota, *qui loquitur lingua*, subaudis incognita aliis, aut in obscuritate sermonis, *semetipsum ædificat*, & non alios: quia ipse tantummodo intelligit quid loquatur. *Qui autem prophetat*, manifeste loquens, prophetas explanando, *ecclesiam dei ædificat*, id est conuentum fidelium. ne dicerent Corinthij: Inuides nobis Apostole Paule loqui linguis, subdit idem Apostolus: *Volo autem vos omnes loqui linguis*, subaudis variis, *magis autem* volo, *vt prophetis*, id est vt dicta sacrarum scripturarum obscura in lucem producatis, aperte explanando. *Nam maior est qui prophetat*, id est qui aperte docet exponendo prophetas, *quàm qui loquitur linguis*, *nisi forte interpretetur* plano sermone hoc quod loquitur in alia lingua, *vt ecclesia ædificationem accipiat*, ex eius interpretatione. Si interpretari potest ille qui loquitur linguis, non erit minor illo qui explanat prophetas, quia & ipse similiter ecclesiam ædificat. Hoc enim maius est, quod omnibus prodest. *Nunc autem fratres si venero ad vos linguis loquens, quid prodero vobis?* subaudis si locutus fuero lingua incognita, *nisi vobis loquar aut in reuelatione*, id est interpretatione manifestóque sermone, *aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina?* hæc quatuor vnum significant. *Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, siue tibia, siue cythara*, id est ista, *nisi distinctionem sonituum dederint*, vt secundum acumen aut grauitatem vocis sonitus distribuatur: *Quomodo scietur id quod*

canitur, aut quod citharizatur? De instrumentis musicis hoc dicit, quia sicut sonitus citharæ & tibiæ non suauis est, nisi distincte personuerit, ita vox prædicatoris siue doctoris nullam vtilitatem præstat, neque delectat audientes, si non intellexerint quæ loquitur. *Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?* Fuit mos apud Iudæos, vt in initiis mensium clangerent tubis, & in solennitate tabernaculorum. Vnde & festiuitas Tubarum appellatur, sicut ait Psalmista: Buccinate in neomenia tuba, & insigni die solennitatis vestræ. Erat etiam mos vt imminente bello tubis buccinarent: & erat in sonitu differentia, quando ad bellum, & quando inuitabant ad diem festum. Si ergo confuse quis tubas audisset insonare, ad quid debuisset se præparare quomodo poterat scire? sic doctore lingua incognita loquente, aut in obscuritate, quomodo auditor poterit intelligere? ac si diceret: Sicut cum vox tubæ incerta fuerit, vtrum solennitatis vox sit an belli, nemo discernit: *ita & vos*, si cœperitis loqui variis linguis, ignorabũt auditores vestram prædicationem. Vester autem sermo intelligi debet, vt possit ad spiritale bellum Christi se miles præparare. *Eritis enim in aëra*, id est inaniter *loquentes. Tam multa, vt puta, genera linguarum sunt*, id est, quot genera sunt linguarum *in hoc mundo, & nihil sine voce est*, id est sic erit auditori, si lingua ei incognita locuti fueritis, quasi omnes linguas proferatis: quia sicut quod omnibus ei loqueretur non prodesset, sic & vos nihil prodestis vna aut duabus linguis incognitis loquentes. In quibus linguis nihil sine voce est: & tamen illarum vox capitur ab illis, qui notitiam linguæ non habent. Ideóque inaniter profertur sermo qui non intelligitur. *Si ergo nesciero virtutem* siue intellectum *vocis* auditæ, *Ero ei cui loquitur, barbarus, & qui loquitur mihi, barbarus.* Verbi gratia: Ego sum Græcus tu Hebræus, si tibi loqui cœpero græcè, videbor barbarus: similiter & te loquente mihi Hebraice, videberis barbarus. Aliter. Profero symbolũ græcè, quia sic reperi illud scriptum, & sum latinus, non Græcus, barbarus tibi sum. Iterum si tu græci sermonis aliquid didicisti, & cœperis similiter loqui, qui primum videbar tibi barbarus, cernes te quasi barbarũ mihi. *Sic & vos quoniam æmulatores estis spirituum*, id est, quia studium

Universidad de Deusto
Biblioteca

habetis spiritualium donorum, *ad ædificationē ecclesiæ quærite*, ipsa dona spiritussancti habete, *vt abundetis*, fructificiter aliis, quoniam *qui loquitur lingua* subaudis obscura & incognita, *oret vt interpretetur*, id est, oret deum vt det illi virtutem interpretandi, vt quod loquitur in vna lingua, possit exponere aliis in alia. *Nam si orem lingua*, subaudis incognita, & in obscuritate sermonis, *spiritus meus orat*, *mens autem mea sine fructu est*, id est, vis animæ meæ, id est, ipsa anima quæ viuificat corpus, profert verbum. Intellectus autem animæ meæ sine aliqua vtilitate est, quoniam non intelligo quæ dico. Quòd per spiritum intelligatur anima, ostendit euangelista, inquiens de domino: Inclinato capite, emisit spiritum, id est animam. Manifestum est, ignorare animum nostrum siue intellectum, si lingua loquatur quod nescit, sicut adsolent latini homines græce cantare, oblectari sono verborum, nescientes tamen quid dicant. Quæ cantilena sine fructu intelligentiæ est, quem non habere potest, qui ignorat quæ loquatur. *Quid ergo* mihi *est?* subaudis faciendum, vel quid est vtile & necessarium? *Orabo spiritu*, id est, loquar anima, *orabo & mente*, id est, loquar intellectu: quia illa sunt dicenda, quæ & proferātur vtiliter, & intelligantur manifeste. *Cæterum si bene dixeris spiritu*, *quis supplet locum idiotæ* id est si spiritu sancto illuminatus bene docueris, & bene locutus fueris audientibus in lingua incognita: quis supplebit, vel quis adimplebit locum illius qui te audit, & non intelligit verba tua? Idios dicitur proprius: vnde dicitur idiota, propriam linguam tantummodo sciēs, in qua natus & nutritus est. Si igitur talis astiterit tibi, dum aut mysterium missæ solenniter celebras, aut sermonem facis, aut etiam benedictionem tribuis: *quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem*: cum nescit quid dicas, id est, quomodo respondebit verbum confirmatorium quod dicitur Amen: cum ille tantum linguæ propriæ peritus, ignoret quòd tu barbare illi loquaris? Non aderit alius pro illo, sciens quid tu dicas, qui respōdeat Amē, id est verum est quod tu dixisti, vel fiat ita. Nescit quippe vbi sermonis clausus finiatur. *Quoniam quid dicas nescit. Tu quidem bene gratias agis*, subaudis deo in lingua tibi nota, *sed aliter non ædificatur*, qui nescit quid dicas. Et ne diceret Corinthij de Apostc. quòd ipse non haberet varietatem linguā-

Ioan. 16.

linguarum, non vult vt nos habeamus, subiunxit. *Gratias ago deo quòd omnium vestrum lingua loquor.* Quinq; sunt differentiæ græcæ linguæ, sicut in Prisciani dictis prudens lector inuenire potest. Omnes has nouerat Apostolus, & plures alias. *In ecclesia volo quinque verba meo sensu loqui, vt & alios instruam, quàm decem milia verborum in lingua*, subaudis incognita aliis, vel in obscuritate sermonis. Simpliciter accipe: Malo (inquit) sic quinque verba proferre in conuētu fidelium, vt intelligantur ab aliis, quàm decē milia sine profectu aliorum. Vtilius dicit paucis verbis in apertione sermonis loqui, quod omnes intelligant, quàm prolixam orationem habere in obscuro. *Nolite pueri effici sensibus.* Puerilis est sensu, id est, pueriliter agit, qui obscuro & polito sermone propter iactantiam loqui quærit. *Sed malitia paruuli estote*, id est alieni sitis à malitia, sicuti sunt paruuli. *Sensibus autem perfecti estote.* Sensu perfectus est, qui sic alterius vtilitatem, sicut suam quærit. *In aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic.* Vnum significat quod dicit linguis & labiis. Hoc in Isaiæ libro, qui nunc lex appellatur, scriptum est, & hæc prophetia super nouo testamento prædicta est. In lege Moysi peccantes variis modis puniebantur ex præcepto domini. Alia lingua loquitur deus in Euangelio: quia peccatores non præcipit occidi, sed ad pœnitentiam hortatur, dicens: Pœnitentiam agite, & reliqua. Ibi commendabat circumcisionē, in Euangelio baptismum, dicēs, Ite, baptizate omnes gentes, ibi sabbatum, hic diem dominicum, & otium à peccatis: ibi sacrificia peccorū, hic corporis & sanguinis sui mysterium. *Et nec sic exaudient*, increduli Iudæi dominum, id est, non obedient illi. Vel aliter secundum præcedentem disputationem Apostoli: Die penthecostes venit spiritussanctus super credētes in Hierusalē, & cœperūt loqui variis linguis, prout spiritussanctus dabat eloqui illis, Aderant Iudæi ex omni natione quæ sub cælo est, & qui prædestinati erant, versi in admirationem, crediderunt in Christū, & salui facti sunt. Cæteri verò, licet tā mira audirent, noluerūt Christo credere per apostolos eius linguis loquentes. *Linguæ in signum sunt*, id est in miraculum sunt, *non fidelibus* qui sciunt nihil deo impossibile esse: *sed infidelibus*, qui de dei potentia dubitāt. Verbi gratia: Paulus loquebatur omnibus lin-

Isaiæ. 28.

Matt. 3.

Mat. 28.

Actu. 2.

guis, non propter se, sed propter incredulos diuersarum gentium, quos Christo lucrari volebat. *prophetiæ autem*, id est, scripturarum expositiones, *non infidelibus* sunt, qui non audiunt scripturas, *sed fidelibus*, qui diligunt eas. *si ergo conueniat vniuersa ecclesia in vnum, & omnes linguis loquantur*, & singuli sua lingua, *Intrent autem idiotæ*, id est, propria lingua contenti, & intrent *infideles* siue pagani: *nónne dicent, quid insanitis?* id est, quid in amentiam vel in phrenesim versi estis? Et hoc ideo, quia omnes loquimini confuse, & quod dicitis non intelligunt. *Si autem omnes prophetent*, id est, scripturas prophetarum exponent: *intret autem quis infidelis vel idiota*, rustica tantum lingua contentus, *conuincitur ab omnibus*, subaudis infidelis esse aut idiota, *diiudicatur ab omnibus*, & quòd nisi pœnitentiam agat, damnandus sit. *occulta cordis eius manifesta fiunt*, id est, cogitationes prauæ & vitia, quæ illos prædicatores putat latere: quia dum ipsi disputant contra vitia, manifesta sunt ab ipso, quia dicit, In veritate ista omnia cognosco in me esse. Sic refert beatus Augustinus quodam in loco, quòd aliquando dum faceret sermonem ad populum, introiuit quidam scelestus homo, statimque se non attendente, sermo suus versus est cõtra illius hominis vitia. Ille autem considerans se pontifici à deo reuelatum, cõuersus est, & pœnitens salutem obtinuit. Sic & in vita sancti Cæsarij Arelatensis episcopi legitur, quòd spiritusanctus ita sermonem eius disponebat, vt omnium cõscientias verbis suis concuteret, quasi sibi eas omnes auditores intelligerent, aut præ manibus haberet scriptas. *& cadens in faciem* infidelis vel idiota, humilians se, *adorabit deum, pronuntians quòd vere deus in vobis sit.* qui etiam suam conscientiam reuelauit vobis. *Vnusquisque vestrum psalmum habet*, de quo debet disputare. *doctrinam habet*, id est, expositionem librorum, *apocalypsin habet*, id est, reuelationem à deo sibi in corde manifestatam, per quam valet intelligere diuinas scripturas, *Linguam habet* quam proferat, *& interpretationem*, dicens: Sic dicitur iste sermo in illa lingua, & sic resoluitur in nostra. *Siue lingua*, videlicet ignota, *quis loquitur secundum duos*, subaudis fiat illa allocutio, *aut ad multum tres*, id est, aut quod multum est, secundum tres fiat, *& per partes*, subaudis loquantur, non simul, ne videantur esse amentes, si omnes cœperint, *& vnus interpretur*. id est, vnus sit interpres, qui exponat & interpretur illorũ linguam obscuram: vel etiam ideo præcipit loqui per partes, vt interpres possit interpretari per singulos: & est sensus: In conuentu, vnus, aut duo, vel tres loquantur, nec ipsi simul, sed per partes: ita vt quod vnusquisque loquitur, ab interprete manifestari possit astantibus. *Si autem non fuerit interpres, taceat*, subaudis doctor, qui habet linguam incognitam. *Sibi autem loquatur & deo*, orando & legendo: quia ipsi cuncta nota sunt linguarum verba. *prophetæ*, id est, explanatores *aut ẽ duo aut tres dicant*, siue loquantur, quia in ore duorum vel trium stabit omne verbum. *cæteri verò*, subaudis prophetæ & doctores, siue explanatores prophetarum, *diiudicent*. si quid amplius aut minus loqui necesse sit: & discernant etiam vtrum secundum veritatem fidei illi doceant. *Quòd si alij sedenti reuelatum fuerit* à sancto spiritu aliter quàm ille dicat, aut aliud, *prior* qui loquebatur, *taceat* ad horam. Secundum moré Iudæorum loquitur, qui hoc ordine residebant in synagogis suis, videlicet vt scribę & pharisæi doctoréque legis sederent in cathedris: qui minoris dignitatis erant, in subselliis & in scannis: Vulgaris verò populus & simplices quique in pauimento & super mattas residebant. Inde dicit Apostolus: Si illi fuerit reuelatum qui sedet in cathedra, aliter quã expositor loquatur, aut alicui horum qui sedent in subselliis vel in pauimento, taceat qui antea loquebatur. *Potestis enim omnes per singulos prophetare, vt omnes discant, & omnes exhortentur.* Sicut doctores non æquali peritia imbuti sunt, ita & auditores quadam inæqualitate capacitatis differri probantur. Ideóque perfecte docti, perfectos auditores in sensu docent: minus edocti, minus capaces instruant. Sic singuli possunt prophetare, id est, docere per singulos, vt vnus post vnum loquatur, & sic per ordinem prædicatio ab omnibus expleatur. *Spiritus prophetarum prophetis subiectus est.* Spiritussanctus qui locutus est per Isaiam, Ieremiam, & reliquos prophetas veteris testamenti, per prophetas quoque noui testamenti, sicut fuerunt Apostoli & explanatores prophetarũ, qui prophetę nõ immerito appellantur, illis in omnibus spiritussanctus subiectus est quodammodo, quoniam non cogit subito in vocẽ prorum-

Matt. 18.

pere, sicut malignus spiritus energumenos & arreptitios, sed eorum potestati tribuit quando loquantur, & quando sileant. Verbi gratia, Propheta, id est, prædicator quilibet vult sermonem ad populum facere, veluti Hieronymum licuius prophetæ librum exponere, adest ei spiritus, vt instruat & loquatur per illum, vt cœperit loqui, non tamen illico vt tetigerit librum, facit eum erumpere in vocem velut phreneticum. Et bene idé spiritussanctus, qui fuit olim in prophetis, dicitur esse in explanatoribus illorū, quoniam aliter non valuissent explanare verba spiritussancti, neque in lucem producere obscuritatem illorum. Aliter: Si legerimus in plurali numero, spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt, necesse est vt intelligamus per spiritum, dona spiritussancti, id est, linguas, virtutes, iectiones dæmonum, sapientiam, consilium, & reliqua. Hæc autem dona sunt electis subdita, vt quando volunt, exerceant illa: & quando volunt, retineant quasi occulta. His verbis datur intelligi, quòd licet multi simul doctores sint, qui nouerunt per spiritum sanctum quid loqui debeant, non tamen ita ab ipso spiritusancto impelluntur, vt vno loquente, tacere alij non valeant. *Non enim dissensionis est deus, sed pacis.* quia deus pacem, & non dissensionem docuit. Quando vnus aduersus alterum tumens, illo adhuc loquente loqui tentabat, dissensionem faciebat: & ideo execrabile erat *sicut & in omnibus ecclesiis,* sic subaudis & vos *doceo,* vt vnus vel duo, aut certe tres in cōuentu doceāt: & per partes, vt vnus interpretetur: & si interpres defuerit, taceant. *Mulieres in ecclesia taceant:* ne seminent errorem: sicut Eua prima mulier fecit. *Gene.2.* *sed subditæ debent esse viris:* quia mulier de viro sumpta est, non vir de muliere: & quia per eam vir seductus est: *sicut & lex dicit,* id est, deus in Genesi inquiens: *Gene.3.* Sub viri potestate eris. *An à vobis* ô Corinthij. *Verbum dei processit?* subaudis ad alios. Inflabantur Corinthij, quasi exemplo illorum cæteræ gētes inuitæ credidissent in Christum, & ab illis esset diffamatum. Ideo ait Apostolus: an à vobis verbum dei, id est, fidès Christi vel eius euangelium processit ad alias gentes? Inflammabantur etiam in hoc quasi solis illis salus quæ in Christo est, per patriarchas & prophetas fuisset promissa: & hoc est quod dicit, *aut in vos solos peruenit?* verbum dei. *Si quis videtur propheta esse,* id est, sapiens

sapiens doctor & explanator scripturarum, *aut spiritalis* id est, qui spiritalia capere possit, *cognoscat quæ scribo, quia domini mandata sunt,* id est, intelligat & approbet quia domini est mandatum. Pseudoapostoli à seipsis & à diabolo loquebantur, Apostolus autem Paulus & reliqui, dei mandata proferebant. Ideóque his verbis tangit eos, qui pro lucris temporalibus & desideriis hominum non diuina, sed terrena docebant. *Si quis autem ignorat,* subaudis hæc mandata domini, *ignorabitur,* id est, si quis repudiat vel non approbat hæc mandata domini, repudiabitur nec approbabitur à domino in die iudicij. *Itaque fratres* mei in fide, *æmulamini,* id est studete & diligite *prophetare,* id est, scripturam interpretari, & aperte exponere, etiam si quis vult vel potest, *linguas loqui, nolite prohibere,* tantum vt habeat interpretem. *Omnia autem honestè fiant in vobis,* id est, cum decore.

CAPVT XV.

NOtum autem vobis facio fratres, id est, ad memoriam vobis reduco *euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis; per quod & saluamini.* Fuerat Apostolus apud Corinthios per vnum annum, & sex menses, prædicans illis euangelium, sed post eius discessum, introierunt in eos pseudoapostoli, qui negabant Christum ex virgine natum, passum, à mortuis suscitatum: negabant quoque resurrectionem generalem futuram. Idcirco compulsus Apostolus recapitulat quæ illos præsens docuerat, vnde dicit: Notum vobis facio euangeliū quod accepistis, siue suscepistis à me, vel acceptum habuistis, in quo & statis. In vnaquaque plebe fideliū sunt populi perfecti, & imperfecti, sed hic perfectos fideles alloquitur. Iterū contra imperfectos subiungit, *quæ ratione prædicauerim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis?* Litera huius versiculi minus quiddam sensus videtur habere, quia pulchrius sonat in Græco. Notandúmque illud interrogatiue atque increpatiue esse legendum. Igitur dicatur ita: Quid vtilitatis accepistis in hoc quod prædicaui vo

bis, si modo decepti à pseudoapostolis aliter tenetis, nisi quia frustra siue inaniter credidistis, in hoc quod à fide recessistis. Dicit ergo: Qua ratione siue qua vtilitate prædicauerim vobis verbum fidei, si tenetis, subaudis modo? Aliter quàm tũc audistis, nisi quia frustra credidistis? An male dicante adepti estis fidem superfluam, & non veram? Non est ita, quia vera vos docui & non falsa, verámque fidem credulitatem. Ergo qua ratione prædicauerim vobis si tenetis, nisi q̃ frustra credidistis, ignoro. Frustra credit, qui ab ipsa fide postmodũ recedit. Iam in sequentibus exponit quid prædicauerit. *Tradidi enim vobis in primis*, id est, in exordio meæ prædicationis, *quod & accepi*, subaudis à Christo, *quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum scripturas.* Scripturas veteris testamenti memorat, quæ futuram passionem Christi cecinerũt. Dicit enim Isaias: Sicut ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus non aperiens os suum. *& quia sepultus est.* subaudis secundum scripturas. Dabit (inquit propheta) impios Iudæos pro sepultura, & diuites pro morte sua. Et iterum: Erit (inquit) sepulcrum eius gloriosum: Mortuum enim eum nulli dubium est & sepultum. *& quia resurrexit tertia die, secundum scripturas.* Viuificabit nos post duos dies, in tertia suscitabit nos. *& quia visus est Cephæ.* Cephas Syrum est & Hebræum, Petrus Græcum & Latinum. Licet certum locum non designent Euangelistæ, vbi apparuerit ei: tamen credendum est, quia apparuerit ei. *& post hæc vndecim*, octaua videlicet die resurrectionis suæ, quando cum aliis erat Thomas. *deinde visus est plus quàm quingentis fratribus simul*, id est, credentibus. Hoc quoque verum est, licet euangelistæ non commemorent. *ex quibus multi manent* in corpore vsque adhuc, subaudis, quos si vultis, interrogare potestis. *quidam autem dormierunt*: id est, mortui sunt, quod ideo dicit, quia facilius poterunt suscitari à Christo de somno mortis, qui quis à socio suo de somno lectuli. *Deinde visus est Iacobo*, qui spoponderat in cœna domini, non se manducaturum nec bibiturum, donec videret Christum à mortuis suscitatum. *deinde apostolis omnibus*, in monte vbi constituerat eos ire, & quando cœlos petiit. *Nouissime autem omnium, tanquam abortiuo, visus est & mihi.* Abortiuus est, qui sine legitimo tempore nascendi nascitur, extra tempus videlicet cõgruum

Esa. 53.

Ibidem.

Esa. 9.

gruum, aut antequã debeat nasci, aut post: vt Iulius Cæsar fuit abortiuus, qui post legitimum tempus cum Cæsarie natus est, sęcto matris vtero; sic & Apostolus abortiuus quodammodo exitit, quia post tẽpus natus est in Christo, quia non ab illo vocatus est, cum adhuc esset in carne, sed cum iam in dextera patris esset collocatus: vel abortiuus est, quia sicut de vita abortiui desperatur, sic & de vita Pauli desperabatur à fidelib⁹, quãdo eos persequebatur. Qui vtique perpetuam incurrisset mortem, nisi ei à Christo fuisset subuentũ. Visus est autẽ ei de cœlo post non paruum tempus ascensionis suæ, quando cæcatus est in via, dũ pergeret Damascũ, & postea oranti in templo. *Ego enim sum minimus Apostolorũ.* Causa humilitatis hoc dicit, sicut & Matthęus, qui vocat se publicanum. Vel etiam minimus est tempore, & vocatione, quia vltimus est vocatus. Maximus autẽ labore, dignitate, & prædicatione, sicut ipse in sequentibus manifestat, vbi dicit: Abundantius siquidẽ omnibus illis laboraui. *Gratia autem dei sum id quod sum.* i. hoc q̃ sum Apostolus & prædicator euangelij, totum est dei gratia. *Et eius gratia in me vacua non fuit.* per lib. arbitriũ cooperatus est gratiæ dei. Ipsa tamen gratia præuenit eum vt vellet, & subsecuta est, vt posset implere quod volebat: & in hoc quod voluntatem suam iunxit voluntati dei, ideo dignus est remuneratione, *abundantius autem omnibus illis laboraui.* quia illi solis Iudæis & singulis prouinciis prædicauerunt. Paulus autem & Iudæis & gentibus prædicauit, pene vniuersum mundum perambulans, aut per se, aut per epistolas suas. Vel etiã in hoc plus illis laborauit, quia illi ex prædicatione victum secundum euangelium accipiebant. Paulus verò non est vsus hac potestate, sed labore manuum suarum viuebat: vel plus laborauit, quia illi Iudæis (qui habebant scripturas, quibus vitia damnabãtur, & virtutes augebantur) prædicauerũt, & factis miraculis, facilis doctrina fusci piebatur illorum, quia illi cognitionem vnius dei habebãt. Paulus verò gentibus, virtutésque nescięntibus. Illi Iudæis prophetiam de Christo habentibus prædicabant, cui concordabant quæ de Christo prædicabantur. Paulus gentibus nullam de Christo prophetiam habentibus. *Non ego autem*, subaudis solus laboraui, *Sed gratia dei mecum. Si autem Christus prædicatur* in miraculis, & in auditoribus,

Act. 8.

corda eorum tangendo & illustrando ad credendum, & mihi verbum prædicationis ministrando. *Sive enim ego, sive illi,* Subaudis alij Apostoli, *sic prædicauimus,* subaudis,sicut supra commemoraui,quod Christus mortuus resurrexit,cœlos ascendit,&c. *Inuenimur autem & falsi testes dei*: id est,pro deo testimonium ferentes,inuenimur falsi testes, *quia testimonium diximus aduersus deum,quòd suscitauerit Christum,quem non suscitauit.* subaudis vt quidam dicunt, *si mortui non resurgunt.* In his locis, syllogismis dialectico vtitur Apostolus,& videtur negare quod confirmat. Non sunt enim falsi testes Apostoli,quia & Christus surrexit, & mortui resurgent.Et si ita est, vt quidam vestrum dicunt, *adhuc estis in peccatis vestris:* quia baptizati in fide mortis Christi & resurrectionis fuistis, vt remissione acciperetis peccatorum.Ergo non credentes Christū resurrexisse,in peccatis suis monebant,quia baptismus non prodest,nisi in fide Christi. *Ergo & qui dormierunt in Christo,* id est,credentes ex vobis in Christum,quia iam mortui sunt, *perierunt.* Subaudis , si ita est vt vos putatis.Denegando talia dicit, loquens dialectice. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus,* subaudis,& non in alia,quæ erit post resurrectionem, *miserabiliores* siue miseriores *sumus omnibus hominibus* infidelibus: quia illi in hac vita fruūtur, luxuriātur,expulantur,inebriantur , lætantur etiam cū malefecerint, & exultant in rebus pessimis.Nos econtra qui in Christum credimus,ieiunamus,vigilamus, ab vxoribus abstinemus, ab illicitis cauemus,multa aduersa & incōmoda pro Christo sustinemus.Sed sancti :in hac vita sperant in Christo credentes se mundatos ab ipso à peccatis suis , & in alia sperant resurrectionem beatititudinémque perennem: & firmantur in hac spe , quasi iam totum illud possideant re. *Nunc autem,* id est in hac ætate in qua sumus, *Christus resurrexit à mortuis , primitiæ dormientium.* Primitiæ dormientium dicit Christum,quia ipse caput est omnium electorum,ipse primus propria virtute,& ad hoc vt iam non moriatur,resurrexit à mortuis. *quoniam quidem per vnum hominem* Adam *mors* animæ & corporis venit: *& per vnum hominem* Christum *resurrectio mortuorum* bonorum malorúnque. *vnusquisque autem in suo ordine.* Nec dicerent illi, & forsitan dicebant, quare iusti qui ante Christum mortui sunt,ante eum non resurrexerunt ? Quia per eius virtutem quidam illorum surrexerunt,& omnes homines surrecturi sunt. *Primitiæ* debuit esse dormiētium, id est,primus debuit resurgere,sicut & fecit:deinde omnes in suo ordine,subaudis,aut iam resurrexerunt aut resurrecturi sunt, post Christum videlicet , qui resurrexit primus. *deinde hi qui sunt Christi,in aduentu eius.* Quidam codices habent,deinde qui sunt Christi,qui in aduentū eius crediderunt,sed falso scriptum est.Deinde,inquit,hi qui sunt Christi , resurgent in aduentu eius , cum venerit ad iudicium, Christi sunt,qui in eum crediturí sunt, & crediderunt ante aduentum eius. *Deinde finis,* subaudis erit mundi:finis nāque mundi , resurrectio erit. *cum tradiderit regnum deo & patri.* Deus pater omnia tradidit filio,sicut ipse ait: Omnia tradita sunt mihi à patre meo.Et Paulus dicit , quòd tunc sit finis mundi venturus,cum tradiderit regnum filius patri suo,qui est deus .Sed quia istud regnum sic filio à patre, & patri à filio traditur , vt communiter ab vtroque possideatur:Dicendum breuiter , quòd pater homini filio à verbo sumpto,omnia tradiderit:vt sicut in filio diuinitas & humanitas est vna persona ,sic vna sit & possessio.Illi enim homini tunc cuncta tradidit , quando ab vnigenito suo susceipi voluit.Idem filius in fine regnum deo & patri tradet, cum electos suos quos suo sanguine acquisiuit,ad cōtemplationem coguitionémque dei patris perduxerit, ostendens eis regnántem deum patrem cum seipso & spiritu sancto.Et tunc aperte scient , quomodo deus pater cum vnigenito suo & spiritu sancto regnet sine fine immensus & omnipotens: & quomodo trinitas sit in personis,& vnitas in substantia diuinitatis.Vel certe tradet filius regnum deo & patri,omnes videlicet electos , quia ipse videbitur in forma hominis in iudicio , damnatisque iusta sententia reprobis,omnes secum electos paterno vultui exhibebit , vt qui hominem iudicem viderunt munda conscientia,diuinitatem patris & filij & spiritussancti contemplentur, *cum euacuauerit omnem principatum,* subaudis,tunc erit finis.Principantur in diuinis spiritibus,archangeli angelis,sicut ipso nomine declarantur, & reliqua pandunt ordinum nomina.Principantur & homines hominibus,sed vnus tunc erit princeps deus trinitas.quia cessābit omnis creaturæ po-

Luc. 4.

testas in angelis & hominibus. Cessabit timor, regnabit integra charitas: nec iam erit inter præsidentes & subditos vlla dissensio, ac propterea bonorum spirituum & iustorum omnium princeps vnus deus erit, impleto quod scriptum est: Et regnabit dominus solus in die illa. Vnde & scribitur: *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* Donec aliquando ponitur pro vt, sicut *Psal.122.* Psalmo, vbi dicitur: Ita oculi nostri ad dominum deum nostrum, donec misereatur nostri, id est, vt misereatur nostri. *Mat.1.* Ponitur etiam Donec pro &, vt in euangelio de Maria & Ioseph dicitur: Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum: ponitur pro Semper & continuatione temporis, vt in isto loco: & est sensus: Oportet filiũ regnare, donec ponat deus pater omnes inimicos sub pedibus eius, quod est dicere: Filius semper regnabit, quia deus pater semper subijciet inimicos sub pedibus eius. Si per caput Christi, diuinitas eius intelligitur, *1. Cor.11.* sicut Apostolus ait: Caput Christi Deus, per pedes non incongrue intelligitur humanitas eius, quæ velut pedes vilis est abiecta. Sed ei duobus modis inimici siue infideles subiiciuntur, videlicet dum aut conuersi inspirante deo credũt in Christum humanitus passum, mortuũ, ab inferis per resurrectionis gloriam elapsum, aut etiam in sua duritia perdurantes, iudicem eum discent, saltem in die iudicij, bonorũ malorúmque, à quo iusto iudicio damnari se conspicient in pœnis suppliciorum. *Nouissime autem inimica destruetur mors*, quia postquã resurrexerint omnes, in ipsa resurrectione destructur mors inimica, post cuius destructionem, nullam inimicitiam præsentis vitæ patietur humanum genus. Vbi enim vita erit æterna, nullum locum obtinebit mors. *Omnia autem subiecit* deus pater, *sub pedibus eius*, id est, sub pedibus filij. Omnia subiecit quæ fuerunt & erunt, inimica & amica, terrena & spiritalia, siue cœlestia subiecit potestati illius. *Cum autem dicat*, subaudis Psalmista Dauid, *Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia*: quia non pater filio, sed filius debet esse subditus patri, secundum quod homo est: nam secundum diuinitatem, vnius potentiæ, vnius deitatis est cum patre, secundum vnius essentiæ est cum illo. *Cum autem subiecta illi fuerint omnia*, id est, filio, *tunc & ipse filius subiectus erit ei*, id

est, deo patri *qui sibi subiecit omnia*. Sunt quidẽ modo cũcta subiecta filio, sed multi non attendunt ad hoc, neq; considerãt, quòd sub eius potestate pressi sint quadã ignorantia, in die verò iudicij nullus hoc ignorabit. Tunc & ipse filius subiectus erit deo patri, caput videlicet cũ corpore suo, quod est ecclesia: vnde dicitur alibi: Si ergo vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, idem vnius Christi estis, vel vnus Christus estis, *vt sit deus omnia in omnibus*, id est, in omnibus electis de omnia, quia erit satietas illorum, & lætitia, gaudiũ, & exultatio, & vita, sicut ipse per prophetam ait: Ero illis deus, id est, ero illis vnde satiẽtur, vnde lætentur: quia ita dabuntur præsentia dei, & ita implebũtur omnes electi omnib bonis omnibúsque virtutibus, vt in ipso omnia bona possideant singuli. Erit enim deus tũc in vnoquoque patiẽtia, sicut fuit in Iob: obedientia, vt in Abrahã: mãsuetudo, vt in Moyse: virginitas, vt in Daniele: sapientia, vt in Salomone, & reliqua dona quæ modo diuisa sunt electis, tunc possidebũt omnia singuli. *Alioqui*, id est, si mortui nõ resurgent, *quid faciẽt qui baptizantur pro mortuis?* Erant quidã apud Corinthios qui nõ credebãt resurrectionem, & erant alij qui credebant illos resurrecturos, qui baptizati moriebãtur: illos autẽ qui sine baptismo moriebantur, credebant aut non resurgere, aut male resurgere. Si quis istorum propinquus sine baptismi gratia migrasset de mũdo: viuus aliquis in nomine illius baptizabatur: & putabãt quòd mortuo baptismus viui prodesset. Quod factum commemorat Apostolus, nõ vt probet quòd huiusmodi aliquid prodesset mortuo: sed vt eius exẽplonõ credẽtibus resurrectionẽ sua deat & ostendat, quia si illi resurrectionem non crederent, ne quaquã viuos pro mortuis baptizarẽt, & est sensus, ò Corinthij, si resurrectio nõ præcessit in Christo, & in quibusdã, q resurrexerũt cũ illo, nec futura est generaliter in omnib. quid est hoc quod apud vos viui baptizãtur pro mortuis? Quod faciebãt (vt diximus) ob duas causas: vel q̃ non putabãt resurrecturos, nisi baptizatos: vel quia credebant non esse fœliciter post resurrectionem victuros, nisi baptizatos. sicut veritas se habet, *vt quid & nos* Apostoli *periclitamur*, id est, pericula patimur *omni horã* in fame, & siti, & reliquis angustiis. *Quotidie morior per vestram gloriam fratres.* Iurat Apostolus, vt magis ei credatur ab au-

Leuit.25.

Universidad de Deusto Biblioteca

ditoribus suis.& dicit:Iuro ego per vestram gloriam,quam non vos habituri estis,sed per eam quam ego labore quo ego laboraui in vobis,habiturus sum:& si quotidie moriebatur, quomodo viuebat?Quotidie(inquit)morior,id est, pericula mortis sustineo. Si autem dixerimus,Quotidie inquit, morior pro vestra gloria, sicut quidam codices habent,dicendum est,quia ipse propterea pericula mortis sustinebat,vt illi in regno æternæ beatitudinis glorificarentur: & est sensus ad superiora respiciens:Etiam si vos proficere non vultis,ego tamen mercedem laboris habeo: inde & dicit:Per illam gloriam iuro,quam habeo in Christo Iesu.Securus & fixus in spe,talia loquebatur,quasi iam habens quod in futuro adepturus erat. *Si secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi*, id est,si secundum quòd homo pugnare potest, vel quantum homo ferre potest: *quod mihi prodest,si mortui non resurgent?* Bestias in hoc loco appellat homines bestiali more viuentes,qui seditionem popularem aduersum eum prouocauerunt apud Ephesum propter Dianæ idolum:cuius culturam prædicabat Apostolus destruendam.Omnis labor sanctorum ad hoc tendit,vt resurrectionis gloriam mereantur percipere. *Manducemus & bibamus: Cras enim moriemur.* Hæc vox desperantium Iudæorum fuit imminēte captiuitate sub Sennacherib & Nabuchodonosor: & hoc est testimoniū ab Esaia prolatum.Positi enim in articulo mortis aiebant:Manducemus & bibamus, quia cras moriemur.Quod Apostolus refert ad illos, qui de resurrectione dubitabant.Et si ita est(inquit)vt vos putatis, Videlicet si resurrectio futura non est, manducemus modo & bibamus,quia cras moriemur: & postmodum nihil mali patiemur.Et reuera si resurrectio mortuorum non esset,manducandum & bibendum esset. *Nolite seduci*, id est,nolite decipi à pseudoapostolis,qui denegant resurrectionem:neque á diabolo, qui vos vult decipere. *Corrumpunt mores bonos colloquia praua.* His verbis ostendit Apostolus per confabulationes malorum hominum & lasciuientium euerti posse bonorū propositum.Assiduitas enim praui colloquij vitiat mentem.Ac per hoc cauendum & a talibus,quia vitam bonam & honestos atque verecundos mores corrumpunt & deprauant colloquia mala, quoniam deprauatio bonorum allocutio est malorum.

Actu.19.

Esa.22.

rum. *Euigilate iuste, & nolite peccare.* Quidam codices habent:Euigilate iusti, quasi illos præciperet euigilare qui iusti sunt:sed falso scriptum est: quia qui iusti sunt,non indigent admoneri, vt euigilent à somno infidelitatis & à torpore erroris. Aduerbialiter enim dixit: Euigilate iuste,qui estis in somno erroris & infidelitatis, non credentes resurrectionem:& nolite peccare, vt iniuste in bonis operibus conuersantes,possitis ad gloriam resurgere. *Ignorantiam enim dei quidam habent*,id est, quidam vestrum ignorantiam habent verborum dei,quibus dicitur in euangelio: Venier hora,quādo omnes qui in monumētis sunt,audient vocem filij dei,& procedent,& cætera. *Ad reuerentiam*,id est,ad vtilitatem vestram *vobis loquor*,vt deum timeatis, & timendo ametis.Cassiodorus dicit,quòd reuerētia est timor mixtus amori. *Sed dicet aliquis* vestrum,subaudis dubitans de resurrectione, *Quomodo resurgent mortui? Quali autem corpore venient?* subaudis ad iudicium. *Insipiens tu, quod seminas* in terra, *non viuificatur,nisi prius moriatur.* Physica ratione vtitur exēplo de grano alicuius seminis, quod moritur in terra quando seminatur, quia lacteum efficitur, qood postea potentia omnipotentis Dei viuificatur, & producit multa grana ex se. Quibus verbis ostendere vult mortua corpora rursus reparari ad vitam. *Et granum quod seminas,non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum.* Ibi manifestatur quòd Deus qui sua potentia purum granum & nudum ab aristis & culmo resuscitat in radices,in culmum,stipulas, spicas, grana, & aristas:ipse quoque non nuda, sed immortalitate & incorruptione vestita, sua virtute sanctorum resuscitabit corpora,propriis spiritibus animata. Et sicut non aliud, sed granum quod seminatur, de terra pullulabit: sic non in alieno, sed in proprio resurget vnusquisque hominum corpore,sicut Iob ait:In carne mea videbo deum, quem visurus sum egoipse, & non alius. *Non omnis caro eadem caro, sed alia hominum,alia pecorum*, id est, omnis caro non est vna & similis caro.Omnis quidem caro quatuor elementorum admixtione formatur: sed vna ex origine diuersa capiunt loca,vt volucres aerem,homines terram,pisces aquas fluētes. Ergo sicut vnumquodque animal proprium habet corpus,nec habere potest alterius: ita vnusquisque homo suū,

Iob 15.

non alterius resumet corpus in die iudicij. Et quemadmo
dum ex vna impensa diuersa est caro animãtium, ita vnius
carnis homines diuersi erunt dignitate in resurrectione,
vt talis vnusquisque appareat, qualis fuerit meriti. *Et corpora cœlestia sunt, & corpora terrestria.* Corpora cœlestium
volatilium, terrestria hominum, & animalium terram in-
lentium. Vel corpora cœlestia, sol, luna stellæ, quæ corpo-
rea sunt, vtpote ignea. Nam & videtur *alia cœlestium gl*
id est, dignitas vel claritas, *alia terrestrium*, in suo statu. *Si-*
la enim à stella differt claritate, magnitudine & velocitate.
Alia claritas solis, alia lunæ, &c. Sicut sol & luna ac stellæ cæ
sint vnius generis, merito tamen dissimiles erunt in glo-
ria, sicut ipse manifestat, subdens: *sic erit & resurrectio mor-*
tuorum, quoniam cum multæ sint mãsiones in domo patris,
& pro diuersitate meritorum erit retributio cœlestiũ pre-
miorum: non quòd alibi iste sit remunerandus: sed sicut sol
& luna ac stellæ omnes differentes à se claritate, in vna
sunt cœlo, ita differentes electi meritis, omnes vno cor-
nabuntur in regno. *Seminatur*, id est, sepelitur corpus in *co*
ruptione, quia corrumpitur à vermibus, & scatet atque putre
scit: *surget in incorruptione*: quia postmodũ nullo labore vel
corruptione corrumpetur. *Seminatur in ignobilitate*, id est,
sepelitur in ignominia, *surget in gloria*. i. in incorruptione &
in impassibilitate. Ignobilis dicitur, quasi sine nomine.
Mortuum enim est sine nomine, quia iam non est homo,
sed cadauer, quod à cadendo dicitur. Vel ignobilis, id est,
sine dignitatis nomine. Quid enim ignobilius carne mor-
tua? vel quid iterum gloriosius in creaturis, surgente ea in
incorruptelam percipienie? *Seminatur in infirmitate*, quia
non potest mouere: quoniam immobile redditum est. *Sur-*
get in virtute, subaudis dei, vel in virtute qua vltra non po-
sit mori, quia viuet virtute æternitatis angelicæ. *Seminatur corpus animale*, quod animam habuit, *surget corpus spi-*
ritale. Sicut animale corpus non est anima, sed corpus,
& spiritale corpus, nõ spiritũ debemus putare, sed corpus.
Nã electorũ corpora (vt ait Gregorius papa) in illa resur-
ctione erunt palpabilia per veritatem naturæ, sicut domi-
nicum corpus fuit post resurrectionem: quia veram carnem
habebunt, sed subtiliora erunt per effectũ diuinæ potẽtiæ.
Non erunt spiritus, vt palpari & videri non possint: sed ita

hoc erunt spiritalia, quia sicut spiritus. i. anima nostra non
potest mori, non indiget cibo & potu: ita & illa immorta-
lia erunt, nec indigebunt cibo aut potu, ideóq; dicit: Semi-
natur corpus, id est, sepelitur: quia velut granum viriditate
resurrectionis donabitur. *Si est corpus animale*, modo in hac
vita, *est & spiritale*, id est, erit spiritale in alia vita, quod nõ
poterit mori: sicut est iam in Christo. & ita erit spiritale
corpus, vt supra diximus. *Factus est primus homo Adam in a-*
nimam viuentem. Hoc scriptum est in Genesi. quod verò se-
quitur, *nouissimus Adam in spiritum viuificantem*, hoc apostolus addidit de suo. Adam factus est in animam viuentem,
id est, animalis factus est, & corpus eius animatum est, ita
vt si peccaret, sicut & fecit, mori potuisset: ideóque morta-
lis extitit. Nouissimus Adam, id est Christus, in spiritum vi-
uificantem fuit, quoniam spiritus quem inclinato capite
emisit, in resurrectiõe corpus eius viuificauit. Ergo anima-
le corpus fuit in Adam, id est, mortale: in Christo verò spi-
ritale, quod per resurrectionem est glorificatum. Sed intuẽ
dum est, quare Christus aut nouissimus Adam aut secun-
dus dicatur, cum multi inter Adam (de quo non est ambi-
guum quin primus sit) & inter Christum fuerint. Ad quod
dicendum, quia videlicet in Adam peccatore, qui omnes
peccatores genuit, comprehenduntur omnes peccatores
vsque ad Christum. Christus autem sine peccato suos fide-
les in baptismate absque peccato facit esse, quoniam chiro
graphũ mortis penitus tollit. Itaque secundus vel nouissi-
mus Adam recte dicitur, non ordine, sed facti imitatione:
quoniã donec ad Christum per fidem ad baptismũ trans-
eas, ad primũ Adã pertines: deinceps verò ad secũdũ Adã,
qui præuaricationes primi remittat. Nam & tu primus es
Adam, vsquequo baptizeris: secundus, cum baptizaris. *Sed*
non prius quod spiritale est, sed quod animale est, deinde quod spi-
ritale est. quoniam primus homo est mortalis, postmodum
verò efficitur immortalis. *Primus homo*, Adam, *de ter-*
ra terrenus. secundus homo Christus, *de cœlo cœlestis.* Vn-
de ipse ait: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo de- *Ioan. 3.*
scendit, filius hominis qui est in cœlo. Non ipse homo per
se de cœlo descendit, sed in diuinitate tamen, cum qua vna
est persona. Cœlestis autem ideo vocatur, quia cœlestis fuit
eius incarnatio, natiuitas, resurrectio, & cætera talia, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipse patrauit, positus in mundo per præsentiam carnis: doctrina quoque eius & miracula eius cœlestia fuerunt.

Qualis terrenus Adam, *tales & terreni* homines, id est, mortales peccatores: *& qualis cœlestis* Adam, id est Christus, *tales & cœlestes*, qui ad Christum pertinent, immortales videlicet, & sine peccato. Et hoc sunt modo in spe, in resurrectione autem erunt in re. *Sicut portauimus imaginem terreni* hominis, id est peccatum & mortalitatem, *portemus & imaginem cœlestis*, in fide & spe, in nouitate vitæ ambulantes, & spem resurrectionis habentes. *Caro & sanguis regnum dei non possidebunt.* In scripturis aliquando caro accipitur secundum naturam: vt, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Aliquando secundum corruptionem & mortalitatem siue fragilitatem, vt ibi: Recordatus est quia caro sunt, id est, fragiles & miseri. Aliquando secundum culpam & præuaricationem. In hoc verò loco accipitur tam secundum corruptionem, quàm secundum culpam: sicut deus dicitur tentare electos, secundum illud: Tentat vos dominus deus vester. Et sicut dicitur, Deus neminem tentat, ita potest dici, Caro possidebit regnum dei, & caro non possidebit regnum dei. Igitur in electis regnum dei possidebit caro & sanguis per veritatem naturæ: & non possidebit caro regnum dei per corruptionem & mortalitatem, quia immortales erunt & incorruptibiles. vel etiam caro & sanguis per culpam non possidebit, quia nulla erit ibi culpa vel præuaricatio. Itaque caro id est, mortalitas, & sanguis, id est, corruptio, vel homo carnalibus desideriis deditus, regnū dei non possidebit: & omnes caro & sanguis regnū dei possidebunt in gloriosa veritate naturæ. *neque corruptio incorruptelam* siue incorruptibilitatem *possidebit*, id est, resurrectionem non possidebit corruptio aliqua, quia non erit iam in resuscitatis ad vitam mortalitas & corruptio. *Ecce mysterium vobis dico*, id est secretum & occultum, quod latet infideles, vel quod hactenus latuit vos. Nam mysterium græcum est, quod latine dicitur secretum & occultum. *Omnes quidem resurgemus*, id est, boni & mali, *sed non omnes immutabimur*, subaudis ad gloriam, id est non glorificabimur omnes. Illi enim glorificabuntur, qui velut sol fulgebunt in regno patris sui. *In momento.* Momentum est minimum atque angustissimum tempus,

Genes. 2.

Psal. 17.

tempus, vocatum à motu syderum & stellarum, per quod significatur breuissimum temporis spacium. Est enim extremitas horæ in breuibus interuallis, cū aliquid sibi cedit atque succedit. *In ictu oculi.* Ictus oculi est quod palpebra icit, id est, percutit oculum. vel (quod melius vult Augustinus) ne tanta mora fiat in iudicio. Ictus oculi intelligitur, quo solis splendore subito, vt vix cogitari possit, feritur oculus. *In nouissima tuba*, id est, in voce angelica, quoniam dominus in iussu dei patris, & in tuba, id est, in præconiis angelorum descendet de cœlo. Non est enim intelligendū quòd tubā corporalem accipiat angelus, vel ipse iudex vocem emittat humanam: sed vox angelorum tuba appellatur propter magnitudinem, vnde dicitur in Psalmo: Ascēdit deus in iubilatione, & dominus in voce tubæ. Tuba igitur ibi intelligitur vox angelorum, quæ insonuit, dicens: Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Vel in tuba dicit, id est, in manifestatione, iuxta illud: Cū facis eleemosynam, noli tuba canere, ante te. i. noli facere in manifestatione. *Canet enim*, subaudis angelus, *tuba*, siue cum tuba, id est, insonabit vox angelica. *& mortui resurgent incorrupti*, id est integri corpore, sine diminutione membrorū, & immortales. *& nos* fideles immutabimur, subaudis in melius ad gloriā, quia æternæ vitæ immortalitate glorificabimur. *Oportet enim corruptibile hoc*, subaudis corpus, *induere incorruptionem*. i. quia resurrectio in veritate futura est, oportet vt corruptio tollatur, & incorruptio detur. *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem*, quasi tangendo & digito demonstrando corpus suum, hoc dicebat Apostolus. Hoc mortale dicit, quoniam non aliud quàm quod deposuero, recipiam corpus. *tunc fiet sermo qui scriptus est*, subaudis in Osea, secundum septuaginta: *Absorpta est mors in victoria*, id est in gloria & virtute resurrectionis. Sicut paruissima gutta aquæ in ignem validum proiecta absorbetur, ita vt non vltra videatur: sic mors absorbebitur & deglutietur in victoria & virtute resurrectionis, & vltra iam non sentietur. Nam consumptio mortis gloria erit resurrectionis. *Vbi est mors victoria tua?* Vox sanctorum resuscitatorum insultantium morti: Vbi est (inquiunt) victoria tua ô mors, qua genus humanum tibi subiecisti, qua

etiã filio dei homini facto dominari voluisti? & est sensus: Ne glorieris vltra: quoniam nos iam resurreximus, qui nunc amaritudinem quandoq; sensimus. Et quid tibi proderit mors maligna quod gloriabaris? Ecce qui per te trãsierunt, regnabunt in æterna vita fœlices cũ Christo qui te superauit. *Vbi est mors stimulus tuus?* Sic videntur hæc verba sonare quasi de morte stimulus procedat. Sed quia ipse stimulus peccatum est, datur intelligi, q̃ mors de stimulo. i. de peccato processit. Nã primus homo nisi peccasset. mori vtiq; non posset. Peccauit, & ideo morté animæ & corporis incurrit. Nec verò dicitur morti, O mors, vbi est peccatũ, pro quo mundo dominabaris? sed, vbi est stimulus tuus? Vnde apparet quid stimulũ appellauerit, subdit: *Stimulus autem mortis peccatum est*, id est, stimulus qui mortem facit, peccatum est. Et recte peccatum stimulus appellatur: quoniam velut stimulus carnem, sic peccatum pungit & vulnerat animam & corpus. *virtus verò*, id est, fortitudo *peccati lex*, subaudis est, quia quodammodo vires ministrat peccato lex, accendendo hominem ad peccatum dum prohibet. Naturale namque est humanæ fragilitati, vt omne quod plus prohibetur, ardentius cõcupiscatur. Vel virtus peccati est lex: quia per legem quantumcũque sit vnũquodque peccatũ, cognoscitur. Qui enim sine lege peccat, videtur ei quasi impune peccet: cũ autem ad legẽ transierit, si vltra peccauerit, quanta virtus peccati. i. quãta magnitudo peccati sit agnoscit. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriã*, subaudis mortis in spe, *per dominum nostrum Iesum Christum.* Laudat Apostolus deum patrem è persona sanctorũ, quòd victoriã mortis & resurrectionis donum iam habent in spe. *Itaque fratres mei in spe dilecti*, id est, valde amabiles, *stabiles* siue firmi *estote, & immobiles*, ne moueamini à rectitudine fidei, deceptione corruptorum, *abundantes* siue crescentes *in omni opere domini semper.* i in præceptis iustitiæ omni tẽpore proficite &c.

CAPVT XVI.

E collectis autem quæ fiunt in sanctos. Paulus & reliqui apostoli apud eos quos docebant, D curam semper sanctorum gerebant, qui erant Hierosolymis, & suis substantiis expoliati ab incredulis, propter hoc quòd reliquerant traditiones patrum, & credierant in crucifixum. Ideo

Ideo præcipiebant apostoli, vt diebus dominicis in vnũ cõfluẽtes, vnusquisq; quod sibi videretur, daret ad opus illorum: & colligebãtur sumptus per singulas ecclesias, vt postea collecti mitterentur eis, *sicut ordinaui in ecclesiis Galatiæ*, id est apud Galatas, *ita & vos facite. Per vnam sabbati vnusquisque vestrum apud se reponat recondens quod ei bene placuerit, vt non cum venero, tunc collectæ fiant.* Vnam sabbati appellat diem dominicam, quia apud Iudæos vna sabbati, vel vna sabbatorum, vel prima sabbati vocabatur, qui nunc ob reuerentiam dominicæ resurrectionis, dominicus appellatur. In quo præcepit omnem plebem conuenire ad ecclesiam, & congregare illos singulos, prout voluerunt, ad opus illorum qui erant Hierosolymis: & hoc apud se vnum quemque reponere quasi in thesauro: vt veniente Apostolo, haberent omnia præparata quæ volebant mittere: quoniam quod paulatim colligitur, nec graue est, & inuenitur multum. Ideo autem præcepit ad ecclesiam hoc deferre, quod volebat vnusquisque dare: vt dum ille diceret: Hoc volo mittere sanctis qui sunt Hierosolymis, de portione mea, alij istius bono exhortarẽtur ad eadem facienda. Et tamen ne à malis ministris deperirent illa dona, si apud ecclesiam ea dimitterent, præcepit vt secum deferrent, & tuto in loco deponerent, quoadusque ipse veniret. *Cum autem præsens fuero, quos probaueritis*, id est quos idoneos iudicaueritis, vel laudabiles ostenderitis: & est isto in loco media distinctio, ac postea mox subinferendum: Hos mittam *per epistolas*, subaudis meas atque vestras laudatorias de vestra bona voluntate, vel commendatorias, quibus eos apud fideles in Hierusalem commendabo, vt suscipiãtur cum pace. *Quòd si dignum fuerit vt ego eam*, id est si magna fuerit pecunia, vt ego possim cum honore illam ferre, qui sum apostolus & episcopus: *mecum ibunt. Nolo enim vos modo in trãsitu videre.* Quoniam multa erant corrigenda in illis, quæ in transitu non poterant corrigi, ideo hoc dicit. *Permanebo autem Ephesi vsque ad penthecosten.* Non de penthecoste Iudæorum dicit (vt putatur) sed Christianorum, quando spiritus sanctus venit super multitudinem credentium. *Ostium enim mihi apertum est magnum & euidens*, id est multa corda hominum parata sunt ad credendum, & iam manife-

sta sunt, quia de illorum fide non dubitatur. *Et aduersarij multi*, subaudis qui mihi aduersantur pro suis propinquis & amicis, quos Christo coniunxi. *Si venerit ad vos Timotheus*, qui hanc epistolam vobis portabit, *videte vt sine timore sit apud vos.* Forsitan fuerat apud illos iam cum timore, quia pseudoapostoli excitabant persecutionem paganorum contra fideles. *Opus enim domini operatur sicut & ego*, id est doctrinam & miraculorum virtutem ad salutem animarum vestrarum. *Ne quis ergo illum spernat*, quia forsitan iam illum spreuerant. De *Apollo autem fratre notum vobis facio fratres.* Hic episcopus Corinthiorum à Paulo fuerat ordinatus: sed vt illi cœperunt dicere, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ, cum non potuisset eos sedare, relictis illis abiit Ephesum ad apostolum Paulum: quem cum postea rogaret Apostolus (sicut hic dicitur) vt rediret Corinthum, noluit: quia incorreptos eos adhuc sciebat. *Venret autem cum ei vacuum fuerit*, id est, cum vos emendatos esse audierit. *Vigilate.* Vigilat, qui ad aspectum veri luminis, mentis oculos apertos tenet. Vigilat qui seruat operando quod credit, *state in fide*, ne succumbatis decepti ab infidelibus, vt positis audire cum Moyse, Tu autem hic sta mecum. *Viriliter agite*, nec molliter, neque muliebriter, sed firmiter pugnate contra diaboli tentamenta, *confortamini*, subaudis in domino, non in vestris meritis, neque in vestra virtute. *Omnia vestra in charitate fiant*, id est dilectione dei & proximi, non duplici animo, neque causa inanis gloriæ. *Nostis domum Stephanæ & Fortunati.* Stephana nobilis quædam erat matrona, cuius familia facta erat ecclesia, similiter & domus Fortunati. *Quoniam sunt primitiæ Achaiæ.* Quoniam primi crediderunt ex Achaeis, & ordinauerunt se vt ministrarent sanctis qui sunt Hierosolymis. *Obsecro autem vt & vos subditi sitis & tu eiusmodi*, id est imitatores sitis ministrantes sanctis, & *omni cooperanti & laboranti*, subaudis, sitis subditi siue imitatores. *Gaudeo autem in præsentia Stephanæ & Fortunati & Achaici.* Datur intelligi, quòd hi tres, Stephana videlicet, Fortunatus, necnon & Achaicus, expleto omni ministerio suo apud sanctos Hierosolymis, venerunt ad Paulum, antequam rediissent Corinthum. Nam Corinthij erant genere: in quorum præsentia lætatus est Apostolus. *Quoniam id quod vobis deerat, ipsi suppleuerunt.* Vbi datur intelligi, quòd ministrauerunt Apostolo ex sua substantia: quod alij Corinthij quibus hæc scribebat, non egerant, vnde ait: Quod vobis deerat, ipsi suppleuerunt, videlicet ministrando mihi. *Refecerunt enim & meum spiritum*, vtique fame, siti, & laboribus fatigatum: *& vestrum*, qui lætati estis, audientes quòd mihi ministrarent vice onium vestrum. *Cognoscite ergo qui eiusmodi sunt*, id est, diligite & notate atque imitamini tales viros, vel cognoscite, id est subditi estote illis cum humilitate, qui talia agunt. *Salutant vos ecclesiæ omnes Asiæ*, id est salutem vobis optant, quasi dicat: Has ecclesias imitari debetis, quæ mihi & sanctis qui sunt in Hierusalem, ministrant de suis substantiis. *Salutant vos fratres omnes.* Hic tangit omnes adiutores suos. *Salutate inuicem in osculo sancto*, id est, casto & vero. *Salutatio mea manu Pauli.* Alius hanc epistolam scripserat, sicut & alias: sed ipse Apostolus propria manu in fine hoc addidit. *Si quis non amat dominum Iesum, sit Anathema.* Anathema Græco sermone dicitur perditus vel condemnatus, id est, alienus & separatus à deo. Et subinfert. *Maranatha*, quod magis est Syrum, quàm Hebræum, tametsi ex confinio vtrarumque linguarum, aliquid & Hebræum sonet. Interpretatur autem, dominus noster venit, vt sit sensus: Anathema, id est, perditio eis in aduentu domini, qui eum non amant, aut venisse, aut venturum esse non credunt. *Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum*, id est fides, remissio peccatorum, & cuncta dei dona quæ gratis dantur fidelibus. *Charitas mea cum omnibus vobis*, id est ea dilectione qua vos diligo, diligite vos inuicem: & ea charitate qua deum diligo, diligatis eum. *Amen*, id est, fiat quod opto, vel vera sint omnia superius à me dicta.

Deut. 5.

Finis Enarrationis in priorem ad Corinthios Epistolam.

IN EPISTOLAM AD CORINTHIOS Posteriorem, Argumentum Haymonis.

APostolo recedente à Corinthiis, cum audisset eos seductos esse à pseudo-apostolis, discordias quoque habere scripsit eis priorem epistolam, in qua fortiter redarguit illos, qui dissensiones inter fratres seminabant: & eos qui cum illo societatē habebant, necnon & illum qui vxorem patris acceperat, quem præcipit eiici à consortio omnium, tradens illum sathanæ ad cruciadum: in qua tradidit eis mysterium corporis & sanguinis domini, & quomodo deberent illud sumere, & quomodo deberent viri & mulieres in ecclesia stare. De resurrectione quoque instituit illos, & de multis aliis rebus. Postquam verò cognouit eos pœnitentiā egisse de suis erroribus, illum quoque à suo consortio excludisse, qui incestum patrauerat, vxoré patris accipiens, scripsit eis à Troade hanc epistolā laudatoriam & cōsolatoriam, in qua dicit illos misericordiam inuenisse: & reuocat illum miserrimum, quē antea tradiderat sathanæ, recōcilians illum ecclesiæ, hortatúrq; illos semper proficere ad melioratorem omnium rerum, qui est *pater domini nostri Iesu Christi*, tam secundum diuinitatem, quàm secūdum humanitatem. Aliter, Benedictus deus filius, qui erat in principio verbū apud patrem, qui est pater domini nostri Iesu Christi, id est hominis à se assumpti. Totius enim Trinitatis opere creatus est ille homo. Tamen considerandum, quia diuidimus personas, sed nō distinguimus substantias. A benedictionibus & laudibus inchoauit Apostolus, more patriarcharum, sanctorúmq; patrum: quod vbi inuenitur, ea quæ sequuntur prospere succedunt: *pater misericordiarum*, subaudis sit benedictus, qui secundum multitudinem errorum & criminum vestrorum, largitus est vobis pœnitentiam agentibus, multiplices misericordias, indulgendo vobis cōmissa scelera. *& deus totius consolationis*, subaudis sit benedictus. Recte deus totius consolationis appellatur, quia quicunq; consolari merentur, ab illo, & per illum consolantur. *Vt possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt.* Ideo consolatur nos Apostol. liberando de afflictionibus per secutorum, vt nos iterum nostro verbo & exemplo consolemur illos qui in omni pressura & angustia sunt. Et quomodo? Per *exhortationem qua exhortamur*, id est docemus, liberandi *& ipsi à deo.* Exhortatio species est doctrinæ. Verbi gratia: Cum aut verbo simplici, aut exemplo suo vel aliorum consolamur aliquem ne desperet de salute, sed sit securus de venia. *Nolo vos ignorare fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia.* Si diuidimus mundum per tres partes, inuenimus medietatem totius mundi esse Asiam, aliā verò medietatem teneri inter Europā & Africam. Si verò quadripartite illum diuiserimus, erunt partes ei⁹ Europa & Africa, Asia maior, & Asia minor, in qua multas tribulationes pertulit Apost. dicta est autē generaliter omnis Asia, Asia maior, & Asia minor, à muliere quadam, quæ totius regni orientis imperium tenuit, quod à suo nomine vocauit Asiam. Ab Indico mari vsq; ad Britannicum omnes illæ insulæ Asianæ vocātur. Vt ergo Corinthij, qui persecutionē sustinebant ab infidelibus, nō deficerēt, dat eis Apostolus semetipsum in exēplū, dicēs: Nolō, vt ignoretis tribulationes quas nos sustinemus, vt nostro exēplo roboremini. Quid enim mirum, si discipuli verberātur, cū magistri decollentur, crucifigantur, & lapidētur? *Quoniam*

IN EPISTOLAM PAVli ad Corinthios posteriorē exegesis.

CAPVT. I.

PAulus *Apostolus Iesus Christi.* Et hoc iam satis in superioribus dictum est, *per voluntatem dei* patris & totius Trinitatis, quoniam sicut vna substantia Trinitatis est, & indiuisa maiestas, & inseparabilis voluntas. *& Timotheus frater* in fide, siue socius in prædicatione, nō tamen æqualis in dignitate, *ecclesiæ quæ est Corinthi.* Forsitan nō habebant adhuc prælatū episcopū, sicut omni ecclesiæ dirigit. *Benedictus deus*, subaudis pater creato-

supra modum grauati sumus, & supra virtutem. cum idem Apostolus in epistola prima dicat, Fidelis deus, qui nō patietur vos tentari supra id quod potestis, quærendum est, quare hic dicat supra modum se esse grauatum. Ad quod dicendum, quia licet supra modum sint grauati, id est, vltra humanum modum, & vltra quàm humana fragilitas sua virtute potest sufferre: non tamen vltra diuinam virtutē, qua eis tolerantiā sustinēdi, & virtutē superandi tribuit. *ita* quit) sumus grauati, *vt tæderet nos etiam viuere.* Tædium anxietas animi. Aliquando pro aggrauatione ponitur, aliquando pro odio, vt hic. In tantum, inquiens, sumus grauati pressuris, vt odio haberemus vitam præsentem, & vellemus potius mori, quàm viuere: sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in deo, qui suscitat mortuos. Quomodo potest mors homini, & responsum dare? Nos (inquit) ipsi habuimus in nobis ipsis responsum mortis, id est, ipsa mors & tribulatio atque angustia dicebat nobis in corde dum cruciaremur: Nolite confidere in vobis, sed in deo: quoniam non potestis vestra virtute aut aliorum hominum vincere hos cruciatus. Ponite in deo fiduciam & spem vestram: & ipse qui suscitat mortuos, poterit vtique vos eruere: sic enim videbatur illis, quasi de mortuis ad vitam reuocarentur, *adiuuantibus vobis in oratione pro nobis,* subaudis facta, vt eripiamur & nos de angustiis huius mundi. *vt ex multarum personis gratiarum actionum eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.* Ecce confusa sententia. Imperitus enim fuit Apostolus sermone, sed non scientia, sicut ipse de seipso dicit. Istius versiculi ista est cōstructio: Ideo per vestras orationes liberabit & eruet à pressuris persecutorū, vt ex multis personis facierum, id est, hominum, agantur deo gratiæ pro nobis per multos homines, eius donationis, quæ data est nobis in nobis est. sensus autem iste est: Ideo ergo dues nos liberabit per vestras orationes, vt cū nos fuerimus liberati, referantur ei gratiæ à multis hominibus, quibus profuimus & prosumus, atque prodesse possumus, quòd vos exaudierit pro nobis, liberando nos. Quod enim dicit multarum facierum, hoc est, quod dicit ex personis. Donationis autem eius dicit gratiam, qua illi liberati sunt. *Nam gloria nostra,* id est honor & magnificentia nostra *hæc est, Testimonium*

testimonium conscientiæ nostræ. quia conscientia nostra, id est mens nostra perhibet nobis testimonium, quòd recte credimus, bene docemus, sancte viuimus. *& quòd in simplicitate cordis & synceritate dei.* id est, in veritate, *& non* duplici animo, neque *in sapientia carnali,* conuersati sumus in hoc mundo: *sed in gratia Dei,* id est in sapientia, quæ gratis à deo nobis data est. Pseudoapostoli conuersabātur duplici corde, quia aliter docebant, atque aliter viuebant. Vel quia potius pro lucris temporalibus prædicationi insistebant, quàm pro amore dei & salute aliorum. Philosophi quoque prædicabant in carnali sapientia, id est, philosophice & fucato sermone, volentes apparere sapientes: vel in hoc, quia Christum negabāt passum, mortuum, atque à mortuis resurrexisse. *abundantius autem ad vos,* in simplicitate conuersatus sum: quia cum ab aliis ecclesiis aliquid accepissem, à vobis nihil accepi, ne occasionem falsis Apostolis datem accipiendi munera, & vt vos liberius reprehendere possem. *non enim alia scribimus vobis modo, quàm quæ legistis in priori epistola, & cognouistis* in vita mea atque prædicatione, quod *vsque in finem* vitæ nostræ, vel diem iudici, cognoscetis quæ scripsimus, & quæ prædicauimus vobis: *sicut & cognouistis nos ex parte,* non per omnia, quoniam non omnia potuimus vobis ministrare & manifestare quæ intelligebamus de deo, *quia* adhuc paruuli eratis sensu, *gloria vestra sumus.* quia vos gloriari poteritis, quòd sanctos & veridicos prædicatores habetis: *sicut & vos gloria nostra eritis in die domini.* id est in die iudicij, quando coronam æternæ remunerationis pro vobis recipiemus. *Et hac confidentia* siue spe, securus de vobis, *volui prius venire ad vos,* quando priorē epistolam direxi vobis, vt secundam gratiam haberetis. Habuistis vnam gratiam, quando primū ad vos veni, dum cito venistis ad fidem, & debui iterum venire, vt vos castigarem & corriperem. *vt* & vosmetipsos emendantes, *haberetis secundam gratiam.* Sed ideo non veni, quia timui si venirem quòd non possem vos ita corripere per meam præsentiam, ne forte impatientes essetis, sicut verbis per epistolas leuius admonendo. *Cum ego hoc voluissem,* id est, cum ad vos venire voluissem, dum non venirem, *nunquid leuitate vsus sum?* Leuitate dicitur vti, qui quod promittit verbis, non explet operibus. Et Apost. tunc leui-

tate vsus sum? Leuitate dicitur vti, qui quod promittit verbis, non explet operibus. Et Apost. tunc leuitate vsus esset, si promitteret se venire, & promissum suum non expleret. Sed dum non promisit, quanuis vellet, non tamen vsus est leuitate. *Aut quæ cogito, secundum carnem cogito?* id est, carnaliter & humane. Secundum carnem cogitat, qui propter amicitias & honoribus principum, & pro lucris temporalibus, quæ sperat accipere à diuitibus & principibus, quod promittit alicui, implere differt, non seruans suum promissum, *vt sit apud me, est & nō*, id est vt promittā me venire, & non veniam: & videar veritatē loqui, & mentiar? Minime. *Fidelis autem deus*, id est, verax est, quia quicquid promittit, opere implet: & ipse quia est verax, cognouit quia *sermo noster qui fuit apud vos*, quando vobis prædicauimus, vel qui fit modo de meo aduentu ad vos, *non est in illo*, subaudis sermone, *est & non*, id est, veritas & mendacium, aut mutabilitas aliqua, vt verum viderer loqui, & non esse verum. *sed est in illo* sermone *est*, hoc est, veritas ibi est, quia in veritate locutus sum, quasi diceret, Idcirco aura meā dacij non moueor, quia leuitatis vitio non succumbo. Dei *enim filius est*, subaudis Iesus Christus, *qui in vobis prædicatus est per me, & Syluanum, & Timotheum.* Syluanus ipse est Sylas & Syleas, sicut Lucis ipse est Lucas. Quare ergo ponitur Syluanus ante Timotheum? Quia ante electus est ad fidem, & coniunctus ad prædicationis officium à Paulo Apostolo, quàm Timotheus. Ideo (inquit) quia Iesus Christus filius dei est, *non fuit in illo*, id est, in Christo *est & non*, id est mutabilitas aliqua, aut veritas est mendacium, *sed est*, id est, veritas *in illo fuit*: sicut ipse dixit, Ego sum veritas. *Quotquot enim promissiones dei patris sunt* factæ per prophetas de natiuitate Christi, passione, morte, resurrectione, atque ascensione eius, de salute quoque gentium, *in illo est*, id est, in Christo adimpletæ sunt veraciter, qui semper esse habet, & in illo est veritas promissionum. Vnde ipse dixit pendens in cruce, Consummatū est, id est, completa sunt omnia, quæ de me prædicta erant. *Ideo & per ipsum Amen, deo ad gloriam nostram.* Ideo quia in Christo adimpletæ sunt veraciter illæ promissiones per ipsum, id est, per Christū, amen, id est, deo patri veritas tribuenda est, ad gloriam nostram, quia sumus eius Apostoli

Ioan. 14.

Ioan. 19.

Apostoli & ministri. Alij addiderunt ante amen, dicimus amen, quod non videtur de textu, sed de glossa. Quomodo autem ad gloriam ipsorum tribuenda est veritas per Christum deo patri? Quia quod Christus in se compleuit, & ipse prædicauit, & Apostolis tradidit: & illis prædicantibus deus pater miracula faciendo, ostendebat verum esse quod ipse promiserat, & quod illi prædicabant: & in hoc gloria erat illorum. *Qui autem confirmat nos* Iudæos, *in Christo vobiscum*, id est in fide Christi, & coniungit in vno lapide angulari duos populos, *& qui vnxit nos*, gratia spiritussancti, id est, qua dedit nobis remissionem peccatorum per gratiam spiritussancti, *deus*, subaudis est verus. In veteri testaméto sacerdotes & reges vngebantur oleo visibili. In nouo autem omnes fideles vnguntur non tantum oleo visibili, quantum inuisibili, gratia videlicet sancti spiritus in baptismate, & per manus impositionem, fiúntque reges animarum, & sacerdotes populorum: vt sanctificēt eos, iuxta quod Petrus dicit: Vos autem genus electū, regale sacerdotium, gens sancta. *& qui signauit nos*, id est qui assignauit nos, dādo signum suum nobis. Dū enim dixit Christus, Sicut me misit pater, & ego mitto vos, signum suum in eis posuit. *& dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Pignus est proprie quod propter rem creditam datur, vt dū illa reddita fuerit, istud recipiatur. Sed hic Apostolus potius pro arra posuit, quæ deo datur, vt certus sit de promisso, & quod minus deest, compleatur. Nos ergo arram siue pignus accepimus, gratiam videlicet sancti spiritus in baptismate, vt securitatem & certitudinem de promissione æternæ patriæ habeamus. *testem deum inuoco in animam meam*, id est, si mē veni vltra Corinthum, id est, ne vobis oneri essem, & vos cō tristarem meo aduentu, peperci vobis ne venirem Corinthum. vltra, id est, postquam à vobis recessi. *non quasi dominamur fidei vestræ* sicut imperatores, qui vnius fidei iā sumus vos & nos, *sed adiutores sumus gaudij vestri*, id est, congaudem? in fide bonisque operibus. *Nam fide statis.* & idcirco nō dominamur vobis. Sic debent prælati agere, quos videt concordare sibi in bona conuersatione, non debēt se illis præferre, sed coæquare. Quos autem à via rectitudinis videt deuiare, in illos debent authoritatem & potentiā

Ioan. 8.

1. Pet. 2.

Ioan. 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

suæ præposituræ ostendere. quod vtrunque Petrus ostendit in Cornelio & Anania, humilians se erga Cornelium, & solo verbo Ananiam cum vxore perdens.

CAPVT II.

SI enim ego vos contristo, & quis est qui me lætificet, nisi ille qui contristatur ex me? id est, si ergo contristo aliquem vestrum fortiter redarguendo, & acriter increpiendo, quis est qui me lætificet, nisi ille qui contristatur per meam admonitionem de reatu suo, promouendo eum ad pœnitentiam? Dum enim ille contristatur de peccato suo, & agit pœnitentiam, tunc me lætificat. Sic vnusquisque prædicator & prælatus, quo amplius videt contristari subiectos de reatu suo, & lugere, per pœnitentiam agendo: eo amplius lætificatur, de salute illorum certus. *ne tristitiã super tristitiam habeam.* Modo quidé audiens vos variis erroribus implicatos: habeo tristitiam: sed si reuenero ad vos, & incorreptos vos inuenero, tunc habebo tristitiam super tristitiam. ideóque vos moneo vt corrigatis. *Nam ex multa tribulatione & angustia cordis*, quod vnum est, scripsi vobis priorem epistolam, *per multas lachrymas*, id est, pene quot syllabas dictitabã vel scribebam, quasi tot lachrymas fundebam. Audiens Apostolus quosdam Corinthiorum ad pristina vitia rediisse, & ad fornicationem, & pœnitentiam non egisse: insuper quendam illorum accepisse vxorem patris, nimiam tristitiam habuit, & multum deflebat eos. Vnde & priorẽ epistolam eis misit, in qua redarguit eos fortiter, & præcepit illum qui incestum patrauerat, à consortio omnium excludere. Cuius verbis illi obedientes fuerunt, egerúntque pœnitentiam, & illum à se ejecerunt, quæstrauerunt. Quod vt Apostolus agnouit, valde lætatus est: reducit tamen eis ad memoriam qualiter eos dilexerit, & alloquitur illos adhuc, inquiens: *non vt cõtristemini*, id est audis hæc scribo modo, qui pœnitentiam habuistis, *sed vt sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis*, subaudis postquam audiui vos pœnitentiam egisse. *Si quis autem contristauit me*, subaudis siue ille qui vxorem patris accepit, seu illi qui ad vitia pristina redierunt, *non me contristauit*, subaudis solum, *sed ex parte*, subaudis contristauit vos,

uit vos, qui condoluistis super illorum reatibus, & qui mihi estis in charitate vniti. Sequitur: *vt non onerem omnes vos.* Onerare est onus & pondus aliquod imponere. Sensus iste est. Non reprehendi ideo delinquentes, neque excommunicaui in priori epistola, vt vos onerarem mea correptione, qui perfectè conuersamini: neque etiam ideo recito talia, vt vos onerem modo excommunicando & redarguendo: sed vt illi corrigerentur, qui à via rectitudinis deuiauerunt. *Sufficit illi* fornicatori, *qui eiusmodi est*, videlicet qui vxorem patris accepit, *obiurgatio hæc*, id est, correptio & redargutio, *quæ fit à pluribus*, id est, sufficit illi ad pœnitentiam correptio & obiurgatio generalis, & quòd à consortio omnium vestrum exclusus est. Nam in priori epistola præcepit illum eiici à societate fidelium, inquiens: Expurgate vetus fermentum, id est illum peccatorem, qui vxorem patris accepit, expellite & eiicite à vestro consortio: & ne in desperationem delaberetur, si semper exclusus esset à societate fidelium, reconciliat illum hoc modo, cognoscens illum esse purgatum. Diabolo etenim suggerente peccauit, & eo flagellante purgatus est, quando traditus est potestati illius. *Ità vt ecõtrario magis donetis*, id est, tunc sufficret ei obiurgatio, quæ facta est illi ab omnibus vobis, si econtrario indulgeatis ei quod deliquit. *Et consolemini* eum, *ne forte*, subaudis excludatur à vobis, *abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est*, id est, ne forte in desperationem cadens suffocet se laqueo, vel tradat se voluptatibus huius seculi, dicens intra se: Iam quia à societate fidelium in præsenti & in futuro ero exclusus, inseram me omnibus delectationibus & voluptatibus. Indulgete ei, & consolamini eum, ne desperet de venia & salute. *Propter quod*, subaudis, ne forte absorbeatur nimia tristitia, & labatur in desperationem, *obsecro vos* ô Corintij, *vt confirmetis in illum charitatem*, recipiendo illum in vestram societatem & communionem. *Ideo enim & scripsi vobis*, subaudis istã de receptione illius fratris, *vt cognoscam experimentum vestrum*, id est, vt probem, *an in omnibus obedientes sitis*, quæ vobis præcepero. Iam superius obedientes illi fuerant, quando illum à suo collegio expulerunt, & quando præcepit vt viri non velato capite ministrarent in ec-

1. Cor. 5.

clesia, mulieres velato: & volebat adhuc probare obedientiam illorum in hoc, vt reuocarent electum. *Cui autem aliquid donastis, & ego.* Paulo apostolo morante apud eos, cuidam peccanti dimiserunt quod deliquerat: & ipse Apostolus ne videretur ab illorum vnione seiungi, indulsit et ipse illi. Vnde dicit modo, Cui autem donastis siue indulsistis quādo apud vos eram, & ego similiter donaui & indulsi. Consuetudo est dicendi, donauit mihi peccatum, id est indulsit. Volens ergo Apostolus prouocare illos ad reconciliationem electi, & vt ei dimitterent, vult ostendere vt sicut ipse indulsit peccanti, quando illi dimiserunt: sic & illi indulgeant, dum ipse indulget. Quapropter subdit: *Nam & ego quod donaui*, siue indulsi illi, *si quid donaui propter vos*, qui volebatis ei dimittere, indulsi & ego, *in persona Christi*, hoc est vice Christi, qui nobis Apostolis dedit potestatem ligandi & soluendi. Non leuiter dabat indulgentiam Apostolus delinquentibus, nisi illi quem videbat à Christo esse solutum, cuius pœnitentia accepta erat deo, *vt non circunueniamur*, id est decipiamur *à sathana*. Ideo (inquit) præcipio vobis vt indulgeatis fratri peccanti, sicut & ego indulgeo, ne decipiamur à sathana, qui desiderat discordias generare. Plerumque dum vnus vult misericordiam exhiberi fratri peccanti, dimittendo ei quod deliquit, & reconciliare conuentui fidelium: alius, diabolo suadente, non vult indulgere, permanens in duritia sui cordis. Vnde sæpe solent oriri discordiæ & rixæ inter illos, qui dissidant & discordant in iudicio. *Non enim ignoramus cogitationes eius*, id est astutias, dolos, & fraudes diaboli non ignoramus, sed scimus. *Cum venissem autem Troadem.* Troas ciuitas est Græcorum, quæ Troia olim vocata est: & ponitur improprie. Phrygia enim prouincia est Græcorum. Troia regio est in ipsa Phrygia, ciuitas verò appellata est Ilium, sicut in Vergilio habetur: Ceciditq; superbum Ilium, Plerumque ponitur nomen regionis pro ciuitate, & appellatur Troia. *Propter euangelium Christi*, id est, ad prædicandum euangelium Christi, *& ostium mihi apertum esset in domino*, id est, multa corda hominum parata per dominum ad credendum, *non habui requiem in spiritu meo*, id est, non animo meo, *eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum: sed valefaciens eis*, id est, salutans eos, *profectus sum in Macedoniam*, prouinciam aliam græcorum. Dicit beatus Hieronymus, quia non inuenit fistulam suam Apostolus, id est Titum interpretem suum, ideo recessit. Sed quæstio est in hoc loco: Si Apostolus omnium gentium linguis poterat loqui, sicut ipse dicit in priori epistola, Gratias ago deo, 1.Cor.14. quòd omniū vestrū linguis loquor, quare recesserit à Troade, quòd scilicet Titus abesset: maxime cum multa corda essent parata illi ad credendum. quæ hoc modo soluitur, quia dum venisset Troadem, licet multa corda inuenisset parata ad credendū, inuenit tamen multos aduersarios, & cōtradictores philosophos, videlicet magos, & alios plurimos: nec poterat ipse solus vtrūq; agere, & philosophis resistere, & volentibus credere verbum salutis prædicare. Si autem Titum inuenisset ibi sicuti sperabat, ipse vtiq; resisteret aduersariis, & Titus prædicaret simplicioribus, qui desiderabant credere. Apparuit quoque ei in eodem loco Act.9. vir Macedo dicēs. Transiens in Macedoniam adiuua nos, 1.Cor.2. qui à doctoribus angelus bonus eiusdem gentis præpositus fuisse creditur. *Deo autem* subaudis patri, *gratias* referimus, *qui semper triūphat nos*, id est qui facit nos semper triūphare, & victoriam habere *in Christo Iesu*, id est per Christum Iesum, infidelitatem destruēdo, & fidem in cordibus credentium plantando, ex infidelibus efficiens fideles, & *odorē notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco*, tā in Iudæis, quām in gentibus. Odorē in hoc loco appellat cognitionem sanctæ Trinitatis. Aromata igitur & vnguenta cum alibi sint, alibi odorem reddunt, sic apostolis prædicantibus fidem sanctæ trinitatis, & notitiam diuinitatis omnipotentis dei, cum ipsa diuinitas non videretur, vtpote quæ inuisibilis est, dum per prædicationē apostolorum recipiebant fidem eius, odorem quodammodo & cognitionē diuinitatis illius percipiebant. *Quia Christi bonus odor sumus deo in his qui pereunt, & in his qui saluifiunt.* Legimus in Genesi, quòd Noe offerente sacrificiunt post diluuij cessationem, odoratus est dominus odorem suauitatis, in tantū vt benediceret illi & filiis eius. Non debemus ergo pueriliter intelligere, ꝙ deus (qui spiritus est) in odore & fumo carniū delectetur: sed intentionem illius boni viri sanctā appellat scripturā odorē suauitatis, qua delectatus est deus. Similiter in hoc loco intelligendū studiū & bonā volūtatē

Ioan.2.

intentionémque odorem appellatum. Christi(inquit)bonus odor sumus deo, id est, in Christum credentes, & a Christo edocti, prædicãdo mysterium incarnationis eius, passionis, resurrectionis, ascensionis, mysterium quoque sanctæ Trinitatis, bonus odor sumus illius, quia bonam famam eius ac totius Trinitatis gloriam prædicamus, deo subaudis patri placentes, talia faciendo. Et notandũ quod subiungit: In his (inquit) qui salui fiunt nostra prædicatione, & in his qui pereunt, bonus odor sumus Christi deo patri placentes: quia sicut placet deo nostrum bonum studium, quod impendimus his qui saluantur: sic placet etiam illud quod impendimus his qui pereunt: quoniam nostra voluntas talis est, vt vellemus omnes (si possemus) saluare: ideóque delectatur odore nostræ intentionis. Sive ergo in his qui saluantur, siue in his qui pereunt, bonus odor erant apostoli deo patri placentes, quia syncereiter & sine adulatione prædicabant. *Alijs quidem sumus odor mortis in mortem*, illis videlicet quibus prædicamus, si contemnunt credere: *alijs autem odor vitæ in vitam*, illis qui audiunt & credunt. Cum vna esset prædicatio apostolorum, quam impendebant omnibus, & volentibus credere, & non volentibus: quibusdam erat ipsa prædicatio gustus & odor mortis ad mortem æternam, potius quàm ad præsentem, quam habemus communiter cum animalibus & pecoribus, quia æternaliter inde damnabantur, quòd nolebant obedire verbis euangelij quibusdam autẽ erat odor & gustus vitæ ad vitam æternam percipiendam, qui per illa saluabantur. Sicut enim credentes per illam salui fiebant, ita incredeli dãnabantur: quia inexcusabiles erant. *Et ad hæc* subaudis discernenda, *quis tam idoneus*, & aptus prædicator est, vt possit discernere, qui sint eius prædicatione saluandi atque damnandi? Nullus. Ideóque omnibus impendendus est sermo prædicationis. *Non enim sumus* nos apostoli, *sicut plurimi, adulterantes verbum dei.* Hic percutit pseudoapostolos. Sicut enim adulter non causã amoris filiæ adulterat alterius vxorem, sed causã suæ libidinis explendæ: ita falsi apostoli adulterabant verbum dei: quia non, deo prædicabant, vt filios spiritales deo acquirerent, quia falso prædicabant: neque pro remuneratione cælestis præmij, sed pro lucris tẽporalibus, & fauoribus humanis. In hoc etiam

etiam adulterabant verbum dei, quia non recte neque veraciter illud docebant, dicentes Christum non esse mortuum, neque à mortuis surrexisse. Apostoli autẽ non adulterabant, quia spiritales filios deo acquirere desiderabant, & non pro lucris temporalibus, sed præmio æternæ beatitudinis prædicationi insistentes, neque pro fauore & laude humana rectissime prædicantes, sicut idem Apostolus subdit: *sed ex synceritate*, (inquit) prædicamus. i. ex puritate: & veritate: *sed sicut ex deo*. i. ex spiritu sancto accepimus, ita prædicamus: quia vnius substantiæ existens cum patre & filio, vnus est deus. *Coram deo* subaudis loquimur, id est, sic prædicamus, quasi in præsentia dei semper simus positi, & ipse sit noster adiutor. Reuera enim ipse vbique præsens adest. In *Christo Iesu loquimur*, id est ad honorem & gloriam Christi Iesu.

CAPVT III.

1 *Incipimus iterum nosmetipsos commendare?* id est, laudare. Nunquid non se & alios iam laudauit paulo superius? Fecit vtique & superius, & iterũ isto in loco atque in sequentibus. Sed cum sapientia dicat per Salomonẽ, Laudet te alienus, & non os tuum, quare se laudant Apostolus? Nimirum ideirco vt Corinthios ab amore pseudoapostolorum retraheret ad suum amorem, aliorúmque veridicorum Apostolorum. *Aut nunquid egemus sicut quidam commendatitijs epistolis*, id est laudatitiis, quæ ab aliis gentibus & ecclesiis, *ad vos* mittantur, *aut à vobis* ad alias, quæ vobis testimonium laudis & sanctitatis perhibeant, sicut quidam subaudis faciunt, pseudo videlicet apostoli & Iudæi, qui accipiunt à scribis & pharisæis pontificibusque Iudæorum epistolas laudatitias, vt pro sanctis & religiosis à prædicatoribus habeantur. Non indigemus vestra laude neque epistolis laudatitiis, quæ nobis testimonium laudis perhibeant. Exponit ergo causam quare non indigeat, inquiens: *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris*. Epistola signum est salutis, quia salutem mittentis continet: & de illius salute loquitur, cui mittitur. Epistola (inquit) nostra vos estis (ô Corinthij) scripta in cordibus nostris, quia de vestra salute die noctuq; meditamur & cogitamus: & ipsa intentio nostri cordis perhibet

Prou. 27.

vobis testimonium laudis, *quæ* epistola *scitur & legitur ab omnibus hominibus*, id est, ab omnibus hominibus scitur & legitur, non oculis corporeis, sed mente intelligitur: ista epistola, id est, hoc quod de vestra salute semper cogitamus. *Manifestati quoniam epistola estis Christi*, Ex superioribus pendent, Vos qui estis epistola nostra scripta in cordibus nostris, vos estis manifestati aliis, quòd nostra prædicatione ad fidem venistis, quoniam epistola estis Christi. *Ministrata à nobis, & scripta, non attramento, sed spiritu dei viui.* Illud quod attramento scribitur, obliterari siue deleri potest: fides autem quæ à spiritu sancto scribitur, quæ semper viuit, æterna est: quia sicut ille spiritus æternus est, ita illa fides, æterna est. Manifestati estis (inquit) quòd nostra prædicatione credidistis, quoniam epistola estis Christi, id est fide illius habetis, à quo dicimini Christiani: quæ fides à nobis est ministrata, quia fides ex auditu est, & à spiritu sancto est scripta in cordibus vestris: quia alij dant fides in eodem spiritu. *Non* est scripta illa fides *in tabulis lapideis*, sicut lex Moysi, *sed in tabulis cordis carnalibus.* Præuidens omnipotens deus duritiam cordis Iudæorum, eam dat legem quam eis dabat, in lapide scripsit: vt per lapidē duritia cordis illorū designaretur. Per tabulas ergo lapideas debemus intelligere dura corda hominum & insensibilia: in quibus non scribitur fides Christi, quia nulla prædicatione, nullis terroribꝰ emolliri possunt. Per hoc verò quod dicit, Sed in tabulis cordis carnalibus, debemus intelligere cor molle & sensibile, quod sentit & flectitur ad mollitiā: & intelligit quod dicitur: recipit & continet, in quibus scribitur epistola Christi. i. fides à spiritu sancto. *Fiduciā autē talē habemus per Christū ad deū.* In hac lectione vult Apostolus differentiā & distantiā facere inter Moysen legislatorem, & Christum datorem euāgelij. Inter legem & euāgeliū, inter doctores legis & euāgelij: & ostēdit quia quanta distātia est inter Moysen & Christum, tanta distātia est inter legem & euangelium, & inter doctores legis, & euangelij: demōstrat quoq; quia nihil sumus. nisi domini misericordia & gratia regamur. Fiduciam (inquit), id est audaciam & fidem talem habemus per Christum dominū nostrum, cuius passione redēpti & reconciliati sumus ad deū, id est apud deum patrē, qualem ego dicturus & scripturus sum

Roma. 6.

sum in sequentibus. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex deo est.* Hic destruit omnem confidentiam liberi arbitrij: per quod multi putant se posse bonum aliquod agere sine gratia dei: & idcirco ista omnia ait, vt ostendat nihil boni sua virtute & prudentia cogitare aut facere, dicit ergo. Non habemus talem fiduciam vel audaciam, ꝙ simus sufficientes. i. ꝙ possimus cogitare à nobis aliquid boni de vestra salute vel nostra, quasi ex nobis aliquid boni vobis futurum sit sine gratia dei: sed sufficientia & abundantia nostra ex deo est, qui dat velle & posse, i. non solum nō valemus bonum aliquod perficere sine dei misericordia & gratia præcedēte & subsequente: sed nec cogitare. Dei enim gratia nos præuenit vt velimus, & ipsa nos subsequitur vt possimus. Vnde exorabat Psalmista, dicens: Misericordia eius præueniet me, & Misericordia tua subsequetur me. Si enim non valemus cogitare, quomodo poterimus perficere? *Qui*, subaudis deus, *fecit nos idoneos*, id est, aptos & congruos *ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu*, id est, non fecit nos ministros in litera legis, vt prædicaremus circūcisionem carnaliter obseruandam, aut sabbati otium, aut neomeniarum vel sacrificiorum ritum celebrandum, sed in spiritali intelligentia euangelij, quod spiritaliter intelligendum est: & cuius observatio spiritum sanctum tribuit tempore baptismatis. Quòd autem dicit idoneos ministros se aliósque apostolos fuisse, ita accipe: Idoneus minister est, ꝓprie cōgruus, & vtilis, atq; illi rei aptus, de qua sermo agitur. *Litera enim occidit, spiritus autem viuificat.* Duobus modis est intelligendū. Litera legis Mosaicæ occidit hominē corporaliter, iubendo & non iuuando. Dū enim dicit lex, nō occides, non adulteriū facies: qui occiderit, vel qui adulteriū, aut tale aliquid perpetrarit, reus erit iudicio. i. occidetur, igne cremabitur, lapidibus obruetur, in patibulo suspendetur: & nō iuuat quo impleatur, proculdubio ipsa occidit hominem, quæ iudiciū dat vt occidatur, licet ipsa non sit causa mortis eius. Spiritus autem viuificat, id est, euangelium, quod spiritaliter intelligitur, & quod spiritum sanctum præstat, non solum nó occidit hominem in præsenti. sed insuper viuificat, id est, vitam æternā præstat. Nusquā enim euangelium iubet occidi hominem: sed prouocat post culpā ad pœnitētiam, pro-

Mat.3. mittens vitam æternam: Pœnitétiam (inquit) agite, appropinquabit regnum cœlorum. Aliter: Ante domini aduentū erant quædam opera legis, quæ à leuioribus peccatis mūdabant suos obseruatores, verbi gratia: Sicut circuncisio, quæ Leuit.12. originale peccatum tollebat, quamuis aditum patriæ cœlestis nō reseraret: & sicut erant multa alia, pro quibus offerebantur holocausta, & de quibus dicebatur: Si quis vel illud fecerit, offeret arietem, aut aliquid tale, & mundabitur. Post domini autem aduētum (in quo cōpleta sunt in veritate omnia illa figuratiua & vmbratica) quicunque voluerit eandē legē carnaliter obseruare, morietur in anima: Gal.5. quia anima quæ peccauerit, morietur. Vnde & idem Apostolus in epist. ad Ephesios, ait: Vere dico vobis, quia si circuncidamini, Christus nihil vobis proderit. & scimus quia quibus Christus non prodest, mortui sunt in anima. Qui verò spiritaliter voluerit eandē legē seruare, circuncidendo se spiritaliter in baptismate, vbi est vera expoliatio vitiorum, obseruando sabbatum, id est, quiescendo à prauo opere & omnipotenti deo spirituales hostias offerēdo, seipsum quoq; mortificando cū vitiis & concupiscētijs: ille viuit, & viuet in æterna vita. Inde dicit apost. Litera occidit in auma modo. i. literalis itelligētia legis: spiritus autē viuificat, id est, spiritalis intelligētia vitā æternam præstat. *Quod si ministratio mortis*, id est si lex quæ ministrat erat mortis, sicut modo diximus, *deformata* vel scripta *literis in lapidibus*, subaudis Moysi *in gloria* ex claritate vultus, *ita vt non possent intendere filij Israel in faciem eius, propter gloriam vultus eius, quæ* gloria vel claritas, *euacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus*, id est, doctrina & prædicatio spiritalis euangelij *erit in gloria?* suis ministratoribus & obseruatoribus. Isto in loco vult ostendere, quæ distantia sit inter legē & euangeliū, & Moysen & doctores euangelij, sicut Exod. 3.4. iam supra diximus. Legimus in Exodo, q̄ Moyse descendente de monte, facies eius erat cornuta ex cōsortio sermonis dei. i. radios quosdam emittebat splendoris, sicut sol, intantum vt non possent intendere filij Israel in faciem eius: est quando egrediebatur ad populū, ponebat velamen super faciē suam. Sed quærit forte aliquis: Quare illis gloriam & claritatem mortalis hominis non poterant intēdere? Cui respondēdum est, quia Moyses sanctus & iustus erat, idcoque

que coruscabat, suúmq; splendorem ipse poterat ferre: illi autem qui peccatores erant & incredeuli, nō fuerūt digni contemplari splendorē eius: sensus igitur iste est: Si Moyses tantam claritatem habuit in vultu, quando legē dedit populo, quæ ministra erat mortis, quia mortē minabatur: quanto maiorē gloriam habebunt ministri euangelij, qui virtutē & iustitiam ministrant, quæ vitā æternā præstant? multo maiorem gloriam & claritatem habebūt: quia eandem claritatem habebunt, quā ostendit dominus in monte tribus discipulis, quando visi sunt cū eo Moyses & Elias in maiestate & claritate. Videbunt enim oculis corporeis gloriam claritatēq; clarificate humanitatis filij dei, vt B. Leo dicit. Ipsíque eandē gloriā habebūt, gloriā verò diuinitatis & totius trinitatis mente cōtemplabuntur solūmodo: quia deus spiritus est, id est, spiritu debet videri. Dicit enim beatus Leo in expositione illius euangelij, illam claritatem & gloriam non fuisse diuinitatis filij dei gloriā, sed humanitatis. Alioqui quomodo esset verum quod dixit ad Moysen, Non videbit me homo, & viuet: quando ille dixit: Ostē de mihi teipsum, id est, inuisibilitatem tuam? Altiori igitur intellectu Moyses, qui ponebat velamen super faciem suā, ne intenderent in eum filij Israel, significat ipsam legem: sicut in euangelio dominus testatur dixisse Abraham ad diuitem: Habent Moysen, id est, legem. Velamē illud significat intelligentiam literalem, & historicum sensum, quo obumbratur ipsa lex, infidelitas quoque & ignorantia cordis Iudæorum. Velamen ergo quod ponebat super faciem suam Moyses, non finebat illos cernere gloriam vultus eius, quia infidelitas, ignorantia, & peccatum eorum, literalis quoque intelligentia, & historicus sensus, non permittebat illos penetrare & intelligere gloriā spiritalis intelligentiæ, quæ latebat in lege. Quòd verò dicit gloriā & claritatem Moysi euacuatam, dicit quantum ad literam pertinet: quia Moyse mortuo, facies eius quæ ante splēdoris radios emittebat in pallorem versa est. Altiori autē sensu & sublimiori secundum Augustinum, gloria legis quæ videbatur esse in festiuitatibus & operibus euacuata est, aduentiente Christo, quem illa significabat: vel etiam pars spiritalis intelligentiæ, quæ à quibusdam intelligebatur, sicut à Moyse, Iosue, Samuel, Dauid, cæterisque talibus aduenien-

Exod.12.

Luc.3.

te Christo,in quo completa est,& à quo manifestata est Apostolis ex toto.Statim vt venit plenitudo, euacuatum est illud quod ex parte erat,non vt cessaret penitus,& periret ipsa intelligentia spiritalis,sed vt in melius proficeret, atque augmentum caperet:verbi gratia. Sicut euacuatur infantia & pueritia, adueniente adolescentia, & aduenientе iuuentute euacuatur adolescentia, dum in melius proficit.In euangelio autem non fit ita, quia euangelium spiritaliter intelligitur ex toto,nec euacuatur, quia æternum est.Si ergo illi qui legem operibus implerunt,ex parte spiritaliter intellexerunt,quæ euacuata est,tantam gloriã habuerunt in præsenti seculo, vt terrã repromissionis acciperent, victoresque postmodum suorum hostium existerent, quanto amplioré obtinebũt isti,qui spiritaliter legé & euangelium intelligunt, obseruant, prædicant, & docent,q nunquam euacuatur? *Nam si ministratio damnationis gloria est:multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria.* Repetitio est superiorũ,mutato sermone. Nam si ministratio damnationis,gloria est,id est si lex quæ ministra erat dãnationis & mortis,tantã gloriã præstitit Moysi suo ministratori,& cæteris suis obseruatoribus: multo magis abundat ministeriũ iustitiæ.i. euãgeliũ,quod iustificat homines,abũdat in gloria æterna.Euangeliũ ergo ministerium iustitiæ est, quia per illud ministratur nobis iustitia, salus, & vita æterna tẽpore baptismatis, sicut dominus dicit Apostolis, *Matt. 28.* Ite,docete omnes gentes.i. ministrate illis euangeliũ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit,saluus erit salute æterna: quia mundabitur ab omnibus peccatis,& efficietur iustus. Gloria deniq; euãgelij, quæ datur ministratoribus eius & obseruatoribus,maior est gloria legis,quę splenduit in facie Moysi:quia illa fuit temporalis,& à quocunque ferri potuit,& videri:ista autẽ æterna erit,nec potuit ferri ab Apostolis,quando àdomino ostẽsa est in mõte,quia statim baptisati sunt in terram velut mortui. Quapropter laborandum est omnibus,vt obseruatores simus euãgelij: quatenus ad illã gloriam digni simus pertingere, quam promittit. *Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.* in hac parte dicit in Moyse,vel quòd in hac parte libri Exodi de splendore vultus illius. Excellentem gloriam appellat, qua dominus glorificatus est in monte, ex *Exod. 3.*

qua glorificandi sunt omnes electi,& est sensus:Illud quod splenduit in facie Moysi,non est glorificatũ.i. non fuit gloria vera,quia euacuari potuit per mortẽ illius:nec fuit gloriosum cõparatione istius gloriæ,quę ęternaliter manebit, & multo amplior erit.In hoc enim quod nulli profuit gloria vultus eius,quasi non fuit gloria,quia non habuit fructum gloriæ.Aliter,quod dicit in hac parte, quasi in istam partem.i.quod claruit & splenduit in Moyse,nõ est glorificatum in hac parte.i. quantũ ad istam partẽ gloriæ euãgelij pertinet,non est glorioſum propter istam gloriam maiorem. *Si enim quod euacuatur,per gloriam est, multo magis quod manet in æternum, in gloria est*, id est si lex quæ euacuari potuit,in gloria fuit Moysi suisque obseruatoribus, multo magis euangelium,quod manet in æternum, in gloria est suis ministratoribus & cultoribus. Quantum enim inter imaginem distat & veritatem,tantum distat inter gloriam vultus Moysi & gloriam Christi, cui similes erunt omnes electi in gloria. *Habentes igitur talem spem* videndi & percipiendi gloriam, non talem qualis fuit in vultu Moysi, sed *Ioan. 3.* eam quam viderunt tres Apostoli in monte reuelante se domino. *multa fiducia vtimur* in prædicatione, securi de præmio. *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam,vt non intenderet in eum.* sic ponet Christus in euangelio legis velamen, *quod* velamẽ legis *euacuatur*.i. non ponit Christus velamen intelligentiæ literalis in euangelio, & obscuritatem: vt non possint fideles gloriam spiritalis intelligentiæ penetrare, sicut Moyses ponebat, ne in gloriã *Exod. 3.* vultus eius intenderẽt. quod velamen significat obscuritatem & obũbrationẽ legis:quod euacuatur,quãdo à Christo reuelatur,& spiritaliter eadẽ lex intelligitur:vel nõ ita occultabit Christus gloriã suã electis,sicut Moyses occultabat faciẽ suã,ponẽdo velamẽ super faciẽ suã, quod velamẽ euacuatur,pro eo quod euacuatũ est, quãdo Moyses mortuus est.*sed obtusi sunt sensus eorũ*.i. licet velamẽ quod significat obscuritatẽ legis,euacuatũ sit à Christo,& in euãgelio nõ sit velamen:tamẽ non ideo penetrant Iudæi gloriã spiritalis intelligẽtiæ,quæ in lege latet:quia obtusi & reuerberati sunt sensus illorum infidelitatis perfidia & ignorãtia, quia nolunt in Christũ credere:sed semper literã sequi volunt. *vsque in hodiernum enim diẽ idipsum velamen* .i.ipsa ob-

scuritas & ignorantia *in lectione veteris testamenti manet*, subaudis apud Iudæos incredulos, *non reuelatum*. subaudis ab illis, quia infidelitas & peccata reuerberant sensum eorum, nec valent per se penetrare illam, *quoniam in Christo euacuatur*, id est, per fidem Christi auferetur velamen ignorantiæ, non per eorum scientiam: nec reuelabitur nisi credant, *sed vsque in hodiernum diem cum legitur* à Iudæis incredulis *Moyses*, id est, lex quæ per Moysen data est, *velamen est positum super cor eorum*, id est ignorantia & cæcitas intelligentiæ est in cordibus Iudæorum, ne valeant penetrare spiritalem intelligentiam legis, quæ obscura illis & occulta erat, quoúsque in Christum credendo deueniatur eis à Christo. *Cum autem conuersus fuerit ad deum*, subaudis ille populus, vt credat in Christum: *auferetur velamen*, id est, obscuritas de lege per Christum, & per gratiam sancti spiritus, qui tempore baptismatis incipit noster habitator esse. *Dominus autem spiritus est. vbi autem spiritus domini, ibi libertas*, Nemo qui fidem sanctæ Trinitatis habet, dubitat spiritum sanctum deum esse, quia tertia persona est trinitatis: & tamen non sunt tres domini, sed vnus dominus: & scitur ab omnibus fidelibus, spiritu sancto dictante, legem & euangelium esse conscriptum: ideóque spiritus sanctus dominus est legis & euangelij, nec est illi aliquid occultum in lege & euangelio. Ipso quoque spiritu sancto cooperante per fidem dominicæ passionis liberamur in anima ab omnibus peccatis, de qua libertate dicit dominus
Ioan.8. in euang. Si vos filius liberauit, vere liberi eritis, Peripsum etiam datur fidelibus, facultas intelligendi diuinas scripturas. Spiritus ergo sanctus dominus est scripturæ legis & euangelij: ideóque nihil latet eum ex his quæ ibi continentur, neque velamen alicuius obscuritatis & dubietatis opponitur ei: sed magis ipse reuelat quæ ibi latent, sicut sequentia manifestant. *vbi autem spiritus domini est, ibi libertas* est animæ, & facultas intelligendi vetus testamentum & nouum, id est, quemcunque replerit spiritus sanctus per fidem domini nostri Iesu Christi, ille habet libertatem animæ, & facultatem discutere obscuritates legis, & gratiam euangelij penetrare. *Nos verò omnes*, subaudis Apostoli & Iudæi credentes, omnésque qui libertatem animæ & facultatem diuinæ legis consecuti sumus, *reuelata facie* contem-

id est, manifesto intellectu mentis per fidem Christi & intelligentiam scripturarum, *gloriam domini*, quam ostendit tribus discipulis, & quam percepturi sunt omnes electi, sumus nos *speculantes*, id est, contemplantes in speculo mentis per fidem & spem cernentes. Inter speculum & speculum hoc interest, quia specula est turris in ciuitatibus, & locus. vnde speculatur à longe, ex qua parte superueniant hostes: Speculum verò est, vbi contemplari solent homines imagines vultúsque suos & aliorum, de quo hic dicitur, Speculum ergo nostrum, mens nostra est: quia sicut in speculo contemplatur imago & vmbra, ita nos in præsenti mente videmus & contemplamur illam gloriam, quam percepturi sumus in re. *in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* in Græco habetur, vt beatus Augustinus dicit, à forma in formam transducimur. *Gen.1.* Homo (sicut in Geneſi habetur) ad imaginem dei factus est, sanctus, iustus, immortalis, & incorruptibilis: quam imaginem & formam peccando amisit, & cecidit in formam mortalitatis, corruptionis, & iniustitiæ. Ab ista ergo imagine iustitiæ & forma transformamur & transducimur iam in spe & fide in eandem ipsam imaginem & formam quam perdidimus, à forma videlicet creationis ad formam iustificationis, à forma mortalitatis & corruptionis, ad formam immortalitatis, à forma filiationis, qui filij dei modo sumus in spe, ad formam contemplationis & visionis: à forma obscura ad formam lucidam, de qua Ioannes ait: Filij dei sumus in spe, & nondum apparuit quod erimus *1.Ioan.3.* in re. Ab ista obscura forma transducemur ad lucidam, quando similes deo erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. A claritate quoque spei transformamur ad claritatem speciei, & à claritate fidei ad claritatem rei: vt quod modo tenemus in spe, & credimus nos adepturos, quandoque possideamus in re. Et bene cum dixisset, transformamur à claritate spei in claritatem speciei & rei. *tanquam à domini spiritu*, vt ostenderet talem gloriam dari, quæ sublimitati congruat dantis. Moysi enim gloria & claritas, nec tanta fuit, quãta Christi in mõte, nec perennis: Tantũ enim de- *Exod.34.* creuit fidelibus suis, vt spiritum sanctum det eis pignus *Mat.17.* illius gloriæ, quam promisit. Sicut enim qui pignus vel arram accipit, securus est de pretio quod remanet ex pro-

missō, ita fideles qui tempore baptismatis spiritum sanctum pro dignore & arra accipiunt, securi sunt de promissionibus patriæ cœlestis, quia ab illo transformantur in spe ad illam gloriam.

CAPVT IIII.

Deo habentes hanc administrationem ab audis spei, id est, habentes fiduciam & spem transformandi, quæ spes & fiducia à spiritusancto nobis ministratur. *iuxta quod misericordiam consecuti sumus*, non secundum meritū nostrū, *non deficimus* inter aduersa huius seculi, sed multa fiducia vtimur in prædicatione, fortiter tolerātes omnia incōmoda, securi de premio & gloria: *sed abdicamus occulta dedecoris*, id est, respuimus & abiicimus omnia turpia à corde, ore, & opere nostro, quæ maxime in occulto solent fieri. *non ambulantes in astutia*, in calliditate huius seculi, Astutia dicitur ab hasta, id est, acumine, eo quod nimium sit acuta ad decipiendos homines. *neque adulterantes verbum dei*, sicut pseudeapostoli multis modis. *sed in manifestatione veritatis*, subaudis prædicamus verbum dei, non fucato sermone, neque philosophico, sed simplici, vt simplices quique possint illud intelligere. *commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum*, id est laudabiles nos facientes ad omnes homines, sanctè viuendo, bene prædicando. *coram deo*, id est, in præsentia dei, cui placet quod agimus: vel coram deo quia sicut ab illo nobis datur, ita prædicamus in præsentia illius, quem cognoscimus nobis adesse præsentem. Poterat aliquis dicere, quomodo predicatis in manifestatione, cum omnes non intelligant quæ dicitis, neque credāt? Ad hæc subiunxit Apost. *Quòd si opertum est euangelium nostrum*, id est, si clausum est & obscurum, vt non intelligant: *in his qui pereunt, est opertum.* quasi dicat: His qui pereunt in infidelitate, illis est opertum: quia non inspiratur eis à spiritusancto, neque volunt credere: volentibus autem credere, manifestum est. Audiebant siquidem omnes prædicationem Apostolorum: sed illis qui volebant credere, manifestabatur: illis verò qui in infidelitate permanebant, occultabatur. *In quibus deus huius seculi excecauit mentes*

tes infidelium. Quidam hæreticorum, vt Marcion, aliique pseudoapostoli, hunc versum male distinguentes, deum huius seculi dicebant esse appellarum in hoc loco, diabolum: de quo dicitur, Omnes dii gentium dæmonia. licet enim dii appellantur, non sunt dii. Ita ergo est distinguēdus, vt primum dicatur, In quibus, id est, in illis qui pereūt, deus verus. & deinde infert. Excæcauit mentes infidelium huius seculi, cum non illuminauit, sicut indurauit cor Pharaonis, cum non emolliuit. *vt non fulgeat illuminatio euangelij* in illis, id est, fides & doctrina euangelij & gloria Christi. Quod euangelium gloria Christi est, quia ibi narrantur natiuitas eius diuina & humana, virtus miraculorum, passio, resurrectio, ascēsio ad cælos, aduentus ad iudicium. *qui* Christus *imago est dei* patris, id est, similis ei in omnibus secundum diuinitatem. *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum dominum nostrum*, id est, non quærimus nostram laudem, non lucra temporalia: sed gloriam & honorem Christi predicamus & quærimus, & vt abillo remuneremur. Ille enim seipsum predicat, qui culto sermone loquitur: & veritatem euangelij quærit fucare, vt predicetur ipse sapiens esse, & laudetur: & qui potius pro luceris tēporalibus prædicationi insistit, quàm pro vita æterna. *quoniam deus qui dixit*, subaudis in principio creaturarum, *de tenebris lucem splendescere*, dicens cum adhuc tenebræ essent super faciem abyssi: Fiat lux, & facta est lux. *Ipse illuxit in cordibus nostris* lumen fidei & doctrinæ, qui tenebræ antea eramus, *ad illuminationem scientiæ claritatis dei* in nobis, *in facie Christi Iesu.* Ordo est: Deus qui dixit, Fiat lux, cum adhuc tenebræ essent: & facta est lux: illuxit cordibus nostris lumē fide & doctrinæ in facie Christi, id est, in præsentia Dei, & per presentiā Christi, ad illuminationem & demonstrationem scientiæ diuinitatis suæ. Per præsentiam ergo Christi manifestata est cognitio dei patris, atq; totius trinitatis, sicut ipse Christus dixit, Pater manifestaui nomen tuū hominibus, quos dedisti mihi: nō illud quo deus diceris, sed quo pater vocaris. *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus.* Thesaurus dicitur theca & repositio auri. Thesaurum autem appellat Apostolus isto in loco sacramentum cognitionis sanctæ trinitatis, & mysterium incarnationis filij dei: quia sicut thesau-

Psal. 66.

Exod. 10.

Genes. 1.

Ioan. 17.

rus in occulto & secreto ponitur loco, ita istud mysterium in cordibus illorum erat reconditum. Vasa fictilia vocat corpora fragilia, quæ ex limo terræ facta sunt, & variis passionibus & infirmitatibus subiacent, fami siti, nuditati, cæteris que talibus. *vt sublimitas sit virtutis dei* in nobis, *& non ex nobis*, id est, vt altitudo virtutis dei annuncietur per nos & appareat, quia non est ex nobis, neque illa sapientia, neque virtus miraculorum, sed ex deo, quæ per nos ministratur ac si diceret aliis verbis: Thesaurum gratiæ spiritalis, quòd prædicamus, & quòd signa miracula facimus, in corpore fragili baiulamus: & quòd etiam frequenter dum alios sanamus ipsi infirmamur, subiacentes fami, siti, vt quod facimus, non nostra virtute, vel nostris meritis, sed sublimitas potentiæ dei esse intelligatur. *In omnibus* modis & locis *tribulationem* diuersam *patimur, sed non angustiamur*: id est, licet tribulationes & angustias sustineamus: tamen non ita constringimur siue angustiamur, vt cedamus loco à prædicatione, & cessemus à nostro proposito. *Aporiamur*, conuiciamur, & improperia sustinemus, vel (quod melius est) quasi pauperes abiicimur. *sed non destituimur*, id est non derelinquimur à deo, sed positis in paupertate & inopia, adest nobis pastor deus. Apros Græco vocabulo latine dicitur pauper, inde aporiare, proprie quasi pauperem abiicere. *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circunferentes*, siue portantes, id est, semper sumus mortificantes membra nostra cum vitiis & concupiscentiis, *vt & vita Iesu* qua ipse modo viuit immortalis, *in corporibus nostris manifestetur*, post generalem resurrectionem. iter, Christus sicut pascitur & vescitur in suis, sicut dicet electis: Quandiu his minimis meis fecistis, mihi fecistis: ita occiditur & mortificatur atque flagellatur & persequitur in suis. Nónne in Stephano persequebatur & lapidabatur, quando dixit, Saule Saule quid me persequeris? Sic dixit etiam Petro, Venio Romam iterum crucifigi in te. Semper (inquit) mortificationem Iesu in corpore nostro sumus circunferentes siue portantes, id est, semper mortificatur Iesus in nobis, & occiditur: vt sicut ipse in nobis modo occiditur, & nos pro ipso: ita etiam ipse viuat in nobis, & nos viuamus in illo. Et sicut ipse iam non moritur, sed semper viuit: ita & nos post resurrectionem viuamus

Mat. 2.

Actu. 7.
Actu. 9.

uamus immortales & incorruptibiles. *Semper enim nos qui viuimus* in præsenti seculo fide bonisque operibus, *in mortem tradimur propter Iesum*, id est pericula mortis sustinemus propter nomen & fidem Christi quam prædicamus, *vt & vita Iesu*, qua ipse iam viuit, *manifestetur in carne nostra mortali*, id est vt vita qua Christus resurrexit à mortuis, & qua modo viuit, huic nostræ mortalitati præstetur immortalitas & incorruptio, vt post resurrectionem promissam non timeamus mori. *Ergo mors in nobis operatur*, subaudis quod suum est, quia semper mortificat nos per multas tribulationes & angustias: *vita autem*, id est fides qua iustus viuit, *in nobis* operatur quod suum est, & tradit ad vitam æternam, & est sensus: Propter vitam æternã quam nos vobis prædicamus, & fidem quam vobis ministramus, morimur & interficimur, quotidie pericula mortis sustinendo. *Habemus autem* nos Apostoli cęteríque credentes, *eundem spiritum* dei, subaudis quem habuerunt patres veteris testamenti: quia quod illi prædixerunt de Christo implendum, nos credimus iam adimpletum. Similiter de salute gẽtium (sicut scriptum est) credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur.

Scientes quoniam deus pater, *qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit* in die iudicij, id est per virtutem Iesu. *& constituet vobiscum* in gloria æterna: *Omnia enim*, subaudis aduersa huius seculi *propter vos* sustinemus ò gentiles: quia vobis fidem & vitam æternam prædicamus. *vt gratia abundans per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam dei.* Gratiam abundantem appellat magnam sapientiam diuinam, quæ gratis illis data est, abundet per multos credentes in gloriam & laudem dei cum gratiarum actione, huius seculi propter vos sustinemus, vt magna sapientia diuina, quæ nobis gratis data est, abundet per multos credentes in gloriam & laudem dei cum gratiarum actione, videlicet vt plurimi credentes per nostram doctrinam, gratias & laudes referant deo. Quidam codices habent, vt sapientia diuina abundet per multas gratiarum actiones in laudem dei, quod non discrepat à sensu. *Propter quod*, subaudis vt sapientia diuina abundet per multos credentes in laudem dei, *non deficimus* inter pericula mortis à fide. *Sed licet hic qui foris est noster homo corrumpatur: tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.* Homo exterior appella-

tur corpus, interior verò anima. Licet autem ex duab' substantiis & naturis constet homo, tamen non sunt duo homines, anima & corpus, sed vnus homo. Homo qui foris est, corpus videlicet, quando amplius corrumpitur tormentis & tribulationibus, eo amplius renouatur interior, id est purgatior existit anima. *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Momentum, brevissimum est spatium temporis, dictum à celerrimo syderum motu. Sensus & ordo verborum iste est: Omne tormentum tribulationis nostræ, quæ in præsenti est, momentaneum siue brevissimum & leue ad tolerandum, operatur in nobis æternum pondus gloriæ, id est magnitudinem gloriæ in sublimitate patriæ cœlestis, supra modum & supra omnem mensuram: quia non potest comprehendi quantitas illius gloriæ, neque mensurari tempore: quia sine fine & sine termino erit æternaliter permanens, *non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur*, id est, non considerantibus nobis & attendentibus honores, divitias, & lucra temporalia, quæ videntur, & nobis promittuntur ab amatoribus huius seculi, sed gaudia patriæ cœlestis, quæ non videntur oculis corporeis, illa consideramus. Posset aliquis dicere, Quare non consideratis ista temporalia? A hæc Apostolus subdit: *Quæ enim videntur, temporalia sunt*, & transitoria: *quæ autem non videntur*, nisi per fidem, *æterna sunt.* ideóque illa postponimus, & ista amplectimur, quæ mansura sunt.

CAPVT V.

Scimus enim quoniã si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, i. si corpus nostrum terrenũ, mortale, & corruptibile, i quo anima nostra habitat, dissoluatur per egritudinem, per tribulationes maximas, & per mortẽ redigatur in puluerem, *quòd ædificationem habeamus ex deo*, siue à deo, *domũ non manufactã, sed æternã in cœlis.* Quòd dicit ædificationẽ, hoc appellat domũ non manufactã, corpus videlicet immortale, quod nõ fiet manu, id est, cõplexione maris & fœminæ, sicuti istud: sed in virtute omnipotentis dei reparabitur, vt

sit immortale & æternũ, & sit in cœlo semper, & est ordo atque sensus: Si mortale hoc corpus, vbi modo habitat anima, dissolutum fuerit per mortẽ, scimus & certi sumus, q̃ à deo habebimus in cœlis æternã ædificationem, & domum non manufactã. corpus videlicet immortale, *virtute dei* re paratũ. *Nam & in hoc* subaudis corpore mortali positi, *ingemiscimus*, id est, cũ gemitu postulamus absolui ab hoc corpore mortali, *cupientes superindui habitationem nostram quæ de cœlo est.* id est, immortale corpus cupientes recipere. Quòd ideo de cœlo dicitur esse, quia cœleste erit & in cœlis habitabit, superindui autem, id est super animam, sicut modo isto mortali est anima vestita, *si tamẽ vestiti*, subaudis à Christo, *& non nudi inueniamur* ab illo, & est sensus. Tunc recipiemus corpus immortale ad gloriam, & tunc erit cœleste, si in die mortis nostræ vel in die iudicij fuerimus vestiti Christo, vt ipse sit nobiscum: & non fuerimus inuenti nũdi ab illo, & ab eius protectione alieni. Omnes enim electi Christo sunt vestiti, quia ipse est eorũ protectio, sicut Apostolus dicit: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. i. Christũ habetis protectorẽ. *Nam & qui sumus in tabernaculo isto.* i. in corpore mortali, quasi viatores in papilionibus, *ingemiscimus*, id est, dolemus *grauati* fame, siti, nuditate, aliisque periculis, *eo quod nolumus expoliari* ab hoc corpore mortali, sed *volumus* superuestiri immortalitate, non interueniente morte, *vt absorbeatur quod mortale est à vita.* i. vt illud quod mortale est in nobis & corruptibile, deglutiatur ab immortalitate & vita mãsura, sicut cõsumitur paruissima gutta aquæ, proiecta in maximum auidi ignis incendium, ac si diceret: Ideo ingemiscimus in hoc corpore mortali, quod grauatur variis angustiis: quia si posset fieri, nollemus mori: sed vellemus vt ipsa mors in nobis deficeret, & reciperemus in præsenti seculo immortalitatem, vt nunquam moreremur, sed nullo modo fiet illud in præsenti seculo. *Qui autem efficit nos in hoc ipsum*, id est qui perficiet nos immortales in alia vita, *deus* est omnipotens, *qui dedit nobis* in se credentibus, *pignus spiritus sancti*, id est vadium dedit nobis tempore baptismatis, gratiam spiritussancti, vt securi simus de promissa gloria hæreditatis. Si enim tantum est pignus, quãta erit hæreditas & completio promissionis? *Audentes igitur semper*, id est audaciam habe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus, & ausi sumus dicere nos pignus spiritussancti. *& sumus scientes, quoniam dum sumus in hoc corpore mortali, peregrinamur à domino,* id est longe sumus à domino. Cum
Actu. 17. idem Apostolus dicat alibi, confirmans sententiam cuiusdam gentilis, quoniam in ipso, id est in deo, viuimus, mouemur, & sumus: & cum deus vbique sit, & etiam omnis locus in ipso sit, vnde & vbique præsens est, quare dicit modo nos longe esse à domino? Nimirum ideo talia dicit, quia proprius locus omnipotentis dei cœlum dicitur: ibique semper videtur ab angelis sanctis & hominibus iustis: & quia hic positi, (vbi non videtur ipse, neque gloria æternæ beatitudinis) longe ab illo dicimur esse, & peregrinari ab illa gloria. *Per fidem enim ambulamus, & non per speciem,* id est, per fidem & spem tendimus ad patriam cœlestem, & non per speciem neque per rem, quia nondum videmus quod erimus. *Audemus autem,* subaudis dicere, *& bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Deum,* in anima subaudis, quàm præsentes esse in corpore, & absentes esse in anima à deo, id est, magis desideramus iam esse in præsenti à deo alieni à corpore isto mortali, quàm esse in hoc corpore mortali, vbi nunc longe sumus à dei contemplatione. *& ideo* quia hanc voluntatem habemus, *contendimus* & laboramus *placere illi, siue absentes* simus, manentes in corpore mortali, *siue præsentes* in anima: quia qui hic positus placeret deo, illic non displicet ei. *Omnes enim nos manifestari* & præsentari *oportet ante tribunal Christi.* Tribunal sedes excelsa est iudicũ & præsidum, qui dantes iudicia populis, in excelso loco resident, vt possint videre reos & innocentes, & vt ipsi etiam videri possint ab omnibus. Pro magnitudine ergo potestatis & iudicis, magnitudo tribunalis & iudicij æstimanda est: quia illi potestas eterna ita apparebit excelsa super cœlũ & terram, vt ab omnibus possit videri, bonis scilicet ac reprobis, vt videant in quẽ pupugerunt. *vt referat* .i. reportet, recipiat *vnusquisque propria corporis,* subaudis merita, *prout gessit, siue bonum siue malũ.* Cũ multa & maxima peccata gerantur solo animo, sicut odium, inuidia, superbia, & illud
Psal. 13. quod dixit insipiens in corde suo: Non est deus, quare dicit de his solũmodo hominem iudicandum, quæ corpore operatus est, videlicet de homicidio, adulterio, & cæteris talibus?

talibus? Quod ergo dicit, vt recipiat propria merita corporis, sic est intelligendum, vt recipiat propria merita, quæ gessit eo tẽpore quo in corpore fuit: vt per corpus intelligatur corporis tempus. Ex hoc quoque loco proposuit beato Augustino quæstionem Paulinus Nolanus episcopus, quid prodessent homini mortuo orationes & eleemosynę, quæ post mortẽ illius à parentibus & amicis pro remedio animæ implentur, si homo tantummodo propria merita est recepturus quæ eo tẽpore gessit, quo in corpore fuit? Cui respondit beatus Augustinus, nullo modo prodesse ea quæ post mortẽ fiunt à parentibus, illi qui iã mortuus est, nisi in hac vita positus, bona intẽtiõe & volũtate atq; inchoatione hoc promeruerit, vt illa accepta sint deo, quæ post eius exitũ celebrãtur à parẽtibus. Huic etiã sententiæ cõcordãs beatus Gregorius, dicit: Sciendũ quia saltẽ de minimis nihil quisque purgationis post mortẽ obtinebit, nisi in hac vita positus hoc promereatur, vt illic veniam possit assequi. Tria autẽ sunt quæ prosunt post mortem, vt beatus Augustinus dicit in libro Enchiridion, ieiunia videlicet, eleemosynæ, & orationes. quæ autem pro valde bonis agũtur, gratiarũ actiones sunt: pro nõ valde bonis, & pro nõ valde malis, qui in purgatione aliqua sunt positi, propitiationes sunt & purgationes: pro valde malis & æternaliter dãnatis etsi nulla sunt adiumenta mortuorũ, qualescũque viuorũ cõsolationes sunt. Quibus autẽ ista prosunt, aut ad hoc prosunt, vt fiat illis plena remissio, aut vt tolerabilior fiat dãnatio ipsa. Mitissima sane omniũ pœna erit, qui præter peccatũ quod originale traxerunt, nullũ insuper addiderunt: & in cæteris qui addiderunt, vnusquisque tãto ibi tolerabiliorẽ habebit damnationem, quãto hic minorem gessit iniquitatẽ. *Scientes ergo timorem domini,* non quo ipse timet, sed quo timendus est, & quo terrebuntur omnes in die iudicij, *hominibus suademus* declinare à malo, & facere bonum, vt possint euadere dei vindictam. *Deo autem manifesti sumus. Spero autem in conscientiis vestris,* ô Corinthij, *manifestos nos esse,* id est ipse conscientiæ vestræ testimonium nobis perhibẽt. quia recte credimus, sancte viuimus, & bene prædicamus, deo autem manifesti sumus. Nunc reuertitur ad ea vnde & superius locutus est, scilicet quòd falsi Apostoli diiudicabant veros, & dicebant Paulum & Barnabam seductores:
Psal. 35.

volentes eis præferre non solum Petrum aliósque Apostolos, sed etiam seipsos. ac si diceret beatus Paulus: Illis qui nobis detrahunt, incogniti sumus, quia nesciunt quales sumus. *Non iterum nos commendamus vobis*, id est, non laudamus nos iterum vobis, quasi aliquid vtilitatis in ea laude habeamus: *sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis*, vt *habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde*, id est, vt habeatis vnde gloriari possitis ad falsos apostolos, habere vos bonos & veraces apostolos, id est prædicatores. In facie gloriebātur pseudoapostoli siue in præsentia talium, & non in corde: quia non habentes vnde possent gloriari in corde, laudabant se esse apud alios quod non erant. Electi enim in corde gloriantur, & non in facie: quia cognoscentes se placere deo, gaudent in animo: & tamen non requirunt laudari in præsentia, ne forte bonum quod habent, per vanam gloriam amittant. *Siue enim mente excedimus*, id est, si contra mentem nostram agimus, aliter prædicando, atque aliter viuendo: vel si superbe nos laudamus, *deo* subaudis relinquendi sumus & reseruandi, & non alicui vestrum iudicandi. *siue sobrij sumus*, id est, si habemus sanam doctrinam; vel si sobrie viuimus & temperate prædicauimus vobis, subaudis prosumus. *Charitas enim Christi vrget nos*, id est, charitas Christi qua nos eum diligimus, compellit nos talia dicere, scilicet vt laudemus nos vobis, volentes vos reuocare ab amore pseudoapostolorum ad amorem Christi & nostrum, *existimentes hoc*, & certum tenentes, *quoniam si vnus*, id est, Christus *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*, qui eius aduentum præcesserunt, & secuti sunt: *& pro omnibus mortuus est Christus*. Omne genus humanum propter peccatum originale quod traxit ex Adam, & in corpore & in anima mortuum est: quia dictum est Adæ, In quacunque die comederis ex eo, morte morieris. Mortuus est illo die quo comedit, in anima, & in corpore factus est mortalis, quia postmodum mortuus est. Sicut ergo nullus homo extra Adæ progeniem est, ita nullus extra peccatum est illigis & mortem, præter vnum Christum. Venit ergo Christus, sine peccato nascens, sine peccato conuersans in mundo, innocenter mortuus est pro omnibus prædestinatis ad vitam & (vt Prosper dicit, & Ioannes Chrysostomus, aliique do-

ctores) licet omnes non credant, & etiam omnes credentes non saluentur, ille fecit quod suum erat, pro omnibus moriens. Verbi gratia. Sicut medicus quilibet componens potionem contra omnes infirmitates, veniat in ciuitatem quandam, & dicat omnibus: Quicūque ex hac potione biberit, saluus erit à quacunque infirmitate tenetur, & qui bibit: sanatur, etsi omnes nolentes bibere non sanantur: ille tamen omnibus illis attulit potionem: & fecit quod ad se pertinebat. Ideo autem mortuus est Christus pro omnibus: *vt & qui viuunt* in fide, *iam non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est, & resurrexit*. Ille viuit Christo, qui non quærit suam vtilitatem solummodo: sed aliorum: & qui pro fratribus non dubitat mori: sicut Christus non quæsiuit sua, sed nostra: quia pro omnibus mortuus est, & est sensus: Quia Christus innocenter pro omnibus mortuus est, ego aliique apostoli non debemus cessare fratribus impedere hoc quod ab illo accepimus: & etiā si necessitas fuerit, animas pro salute illorum ponere. *Itaq; nos ex hoc neminē nouimus secundum carnē*. Perfectos Corinthiorū alloquitur. Sed nunquid illi quando ista loquebatur, nō erant in carne? Erāt vtiq;. sed ita est intelligēdū. Ex hoc. i. ex quo vocati estis ad fidē, neminē vestrū perfectorū nouimus secundum spem carnalium & temporalium rerum viuere, sed in spe ecclestium præmiorum. *Et si cognouimus Christum secundum carnem*, subaudis mortalem fuisse & corruptibilem. *Sed nunc iam non nouimus*, subaudi illum mortalem & corruptibilem, sed immortalem & incorruptibilem. & est sensus: Ideo non estis positi in spe rerum carnalium & temporalium, quia in spe & fide iam estis immortales & incorruptibiles, securi de præmio. *Si qua ergo noua creatura est*, id est, nouus populus per fidem, & per aquam regenerationis. *Vetera transierunt*. illis, id est, lex veteris testamenti in sacrificiis, circuncisione, sabbati otio, cæteríque talibus. *Ecce facta sunt omnia noua*. In Euangelio, circuncisio videlicet spiritalis, quæ fit in baptismate, vbi est vera expolitio peccatorū. Similiter de cæteris intelligendū. vel vetera transierūt, infidelitas, peccatū, & cætera, quæ ad veterē hominē Adā pertinēt: & facta sunt noua, fides videlicet, iustitia, obediētia, charitas, ceteręq; virtutes ad nouū hominē. i. Christū pertinētes. Aliter, si qua noua creatura est. i.

nouus populus, vetera trāsierūt illis iam in spe, mortalitas videlicet & corruptio, & facta sunt noua similiter in spe immortalitas & incorruptio: vel vsus est præterito pro futuro, pro eo quod est, Vetera trāsibunt, & fient omnia noua, iuxta quòd Ioannes dicit: Erūt omnia noua *Omnia autem* subaudis genera innouationis *ex deo* patre nobis procedunt *qui reconciliauit nos sibi per Christum*, id est per passionem Christi, *& dedit nobis* apostolis *ministerium reconciliationis*, Illi reconciliantur, qui antea inimici erant. Et nos inimici eramus deo patri, non per naturam quam ipse fecit sanctam & bonam, sed per vitium quod nos addidimus. Ablato ergo peccato quod nos addidimus, per sanguinem Christi reformata est natura vt fuerat creata, & reconciliati sumus deo patri. Christus ergo procurans nobis reconciliationē per suam passionem, rediit ad deū patrē vnde venerat. Sed ne imperfectum siue infectum remaneret quod nobis procurauerat, ministerium reconciliationis dedit suis apostolis: vt ipsi nobis annunciarent nos redēptos esse sanguine Christi: & sua prædicatione reconciliarent nos. Sicut enim ipse dixit: Sicut misit me pater, & ego mitto vos. ite, docete omnes gentes. *Quoniam deus* pater *erat in Christo mundum reconcilians sibi* per illum. Deus pater in filio erat, & filius in patre, sicut idem filius ait: Ego & pater vnū sumus. & Ego in patre, & pater in me est. Aliter ergo erat in Christo, atque aliter fuit in prophetis & apostolis per quos loquebatur. In illis erat per gratiam, in Christo erat per vnitatem substantiæ: quia vnum sunt: mundum reconciliauit sibi per Christum, id est omnes prædestinatos ad vitam æternam, *non reputans illis*, id est credentibus *peccata ipsorum*, postquam ad fidem venerunt: quia quales antea fuerant non attendit: sed quales futuri erant. *& posuit in nobis verbum reconciliationis*, id est, doctrinam euangelii. Pro *Christo ergo legatione fungimur*, id est vice Christi ministerio fungimur, *tanquam deo exhortante per nos*, subaudis homines ad credendum. *Obsecramus pro Christo*, id est vice Christi, *reconciliamini deo* patri per fidem & iustitiam, auferentes à vobis omne peccatum, quod à deo nos separat. *Eum*, id est Christum, *qui non nouerat peccatum*, deus pater *pro nobis peccatum fecit*; id est hostiam pro peccato. Sic enim appellatur hostia pro peccato, maxime in septuaginta

Ioan. 6.

Ioan. 1.
Ioan. 14.

ginta interpretibus, qui sohti sunt dicere: Ponet enim manum suam super caput peccati, id est super caput hostiæ pro peccato. Sed quæstio oritur in hoc loco. Quomodo iudicet deus & vindicat in homine peccatum, si ipse peccatum non nouit? Quæ ita soluitur, quia nouit per sapientiam peccatum esse malum, sed non nouit per experientiam, vt aliquando peccaret. verbi gratia, sic dicimus Ioannes euāgelista quando scripsit suum euangelium, nouit mentiri, id est, nouit mendacium per sapientiam, sed nouit per voluntatem vt vellet mentiri, neque per experientiam quando illud scripsit. Ideo fecit deus pater hostiam pro peccato Christum: *vt nos efficeremur iustitia dei in ipso*, id est, vt efficeremur iusti per misericordiam dei patris in ipso, id est per Christum, vel in ipso, id est in corpore Christi coniuncti. *Adiuuantes autem* vos nostra prædicatione & exemplo.

CAPVT VI.

Exortamur vos, ne in vacuum gratiam dei recipiatis. Exhortatio species est doctrinæ, dum quilibet verbo aut exemplo consolationē præstat alicui, verbi gratia: videt aliquis nostrum fratrem suū in mœrore & tristitia positum propter amissionem filiorum & vxoris, aut propter damnum temporalium rerū, dum ei reducit ad memoriam & in exemplum, quanta & qualia sustinuit beatus Iob patienter, & quomodo postmodum meruit propter patientiam suam omnia recipere in duplum: Ista talis consolatio & admonitio, exhortatio est dicenda. Videt etiam aliquem contristari & dolere propter amissum lumen oculorum, dum ei reducit ad memoriam beatum Tobiam, & consolationē ei ex hoc aliquam præstat, exhortatio est. Dum videt etiam alium dolore nimio cōstringi propter peccata sua, & pene in desperationē lapsum, si verbo aut exemplo cōsolationē præbet, ne desperet de venia aut salute, dans ei in exemplum Mariā meretricem, cui dominus omnia peccata dimisit: & latronem in cruce, qui ad vnā vocem meruit audire, Hodie mecum eris in paradiso: exhortatio bona & cōsolatio est. Dicamus & aliter. Sicut posito aliquo in certamine singulari cum suo

Lucæ. 7.
Lucæ. 23.

inimico,dum ei dicit aliquis ex circũstantibus:Pugna fortiter,noli dubitare,noli deficere,victoriã obtinebis:exhortationẽ ei præbet & audaciam:Sic qui positum in certamine bonæ operationis contra diabolum & vitia carnis,admoneret ne deficiat,neq; cesset à cœpto opere, exhortationẽ bonã præbet. Vnde dicit apostolus modo alloquẽs Corinthios,& in illis oẽs fideles:Hortamur vos nostra prædicatione nostróq; exẽplo, omnibúsq; modis,ne in vacuum siue inane & inutiliter gratiam dei recipiatis,omnia bona quæ generi humano dãtur,gratia dei dicitur,quia gratis ei cõceduntur.Gratia quippe dei est,habere fidẽ,spem,charitatẽ,sapientiã diuinam vel humanã,& bona tẽporalia.Iã ergo dei gratiã in vacuum recipit,qui veniens ad fidem,& remissionem peccatorũ in baptismate percipiẽs,dei præceptis inobediens existit,nõ adhibendo studium,vt possit dei præcepta ipso adiuuante implere, quoniam fides sine
Iac. 2. operibus mortua est & inanis.In vacuũ quoq; bona tẽporalia gratis à deo data percipit,qui illa hilarimẽte pauperibus pro dei amore erogare non studet.Vt ergo non longius prolongemus sermonem,dicamus vnũ ex multis,quomodo gratia dei in vacuũ recipiatur,dominus dicit in euãgelio discipulis:Ite,docete omnes gẽtes fidẽ sanctæ Trinitatis,baptizantes eos,& docẽtes seruare omnia quæcunq;
Matt. 22. mãdaui vobis.Quicunq; ad fidẽ venit,& non seruat ea quæ in lege & euãgelio cõtinentur,in vacuũ gratiã dei recipit. *Ait enim, Tempore accepto exaudiui te, & die salutis adiuui te.* Hoc Isaias propheta protulit ex persona dei patris loquẽtis ad filium:Tempus acceptũ deo patri,& dies salutis humani generis,tempus fuit passionis Christi,in quo deus pater decreuit,disposuit,prædestinauit per passionem filij sui saluare ac redimere genus humanum.Isto tẽpore acceptos deus pater exaudiuit filium suũ, quia quicquid orauit filius pro salute generis humani, totũ impetrauit. Legim⁹ enim
Ioan.17. in euãgelio Ioannis, quòd appropinquans passioni,orans dicens:Pater,quos dedisti mihi,volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum,vt videant charitatem meam. Si quis verò de
Ibidem, Apostolis hoc tãtummodo dictum asserit, attendat quod ipse aliàs dicit:Non pro his rogo tãtum:sed & pro eis qui crediturí sunt per verbum eorum in me. Exaudiuit quoque illum de sua oratione,quando orauit dicens:Pater,clarifica filium

filium tuum.Et venit vox de cælo clamans:Et clarificaui, & clarificabo,tertia die à mortuis suscitando. Et non solũ subaudis tẽpore baptismatis, & in monte corã discipulis: pro aliis exauditus est, sed etiam pro suis persecutoribus, pro quibus orauit pendẽs in cruce:Pater,dimitte illis,quia nesciunt quid faciũt.Multa enim milia post eius ascẽsionẽ ex his prædicatiõe Apost.crediderũt. Audiuit quoq; illũ in die salutis generis hũani,quia tertia die deuicto mortis imperio,eũ à mortuis reuocauit.Sicut retulimus ista ad caput omniũ electorũ,id est,ad Christũ referamus ea & ad membra ipsius. Tẽpus acceptũ quo exaudiri possumus , & dies in qua salutẽ nobis æternã prouocare valemus,ab exordio dominicæ prædicationis est,sed maximè ab eius resurrectione vsque ad diẽ iudicij: quo tẽpore per bona opera possumus acceptabiles esse deo patri,& placere illi,atq; exaudiri ab illo.De quo tẽpore etiã Apost.subdit: Ecce nũc tempus acceptabile,ecce nunc dies salutis.Tẽpus acceptabile ad pœnitentiã agendã vita præsens est vsq; ad diẽ iudicij, quæ appellatur & dies salutis , in qua nobis salutẽ æternã possumus promereri:quoniam apta est ad operandum. De qua die dicit dominus:Ambulate dum lucẽ habetis . Huic diei succedit nox,tenebræ, scilicet æternæ damnatiõis, in qua nemo potest operari.sicut dicit:Venit nox,in qua nemo potest operari.Et idem Apost.Dum tempus habemus, operemur quod bonũ est.Modo enim possumus ad indulgentiam proficisci peccatores,modo valemus obtinere veniam,quia secundũ quod Propheta dicit.In inferno nemo confitebitur deo ad veniam.Erit enim pœnitẽtia, sed sera & tarda. *Nemini dantes vllam occasionẽ.* Offensio propriè est scandalum, ruina,vel impeditio pedis: sed in hoc loco pro occasione maxime ponitur.Simus,inquit,nemini dantes vllam offensionẽ .i. occasionẽ peccandi aut in verbo, aut in prauæ operationis exemplo, vel neminem scandalizemus in aliquo sermone vel facto. *Vt non vituperetur ministeriũ nostrum.* Ex persona sua loquitur Apost. omniumq; prædicatorum ,iungens se cum Corinthiis.Ministerium prædicato rum vituperatur atq; cõtẽnitur,si quod prædicãt verbis agẽdũ,destruũt operibus:aliud videlicet prædicantes in publico , & aliud agentes in occulto: bona docentes in propatulo,turpia in conclaui operantes. *Sed in omnibus.* Subau-

Infra 6. *Luc. 23.* *Actu. 2.* *Ioan. 12.* *Ioan. 9.* *Gala. 6.* *psal. 6.* *Esai. 3.*

dis nostris actibus & verbis, *exhibeamus* & præparemus *nos sicut dei ministros.* Dei minister est,qui deo militat & deo seruit verbo doctrinæ & fructu bonæ operatiõis. Quicunque enim dei minister vult esse,deo debet in omnibus ministrare,vt in omnibus quæ agit, cognoscatur veri dei esse cultor.verbi gratia,vt doceat inscium, pascat esurientem,patet sitientem ,vestiat nudum , calefaciat algentem, colligat vagantem,visiret infirmum,sæpeliat mortuum , & in his omnibus non quærat laudem humanam:sed dei gratiam:non hominibus placere,sed dei præceptis obedire. Hæc quicunque fecerit,deo ministrabit,&merebitur ab illo audire cum electis:Quandiu feciſtis vni ex his minimis meis,mihi feciſti. *In multa patientia.* Patientia est non deficere inter aduersa huius seculi:quam habuerunt sancti martyres.Nõ in parua(inquit)neque in modica patientia,sed in multa exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros.Patientia quoque est patienter ferre delinquentes, sicut beatus Apostolus sustinebat Corinthios:qui postquã ad fidem venerant,ad vitia pristina sunt reuersi , quos aliquando blande,aliquãdo improbe corripuit,quousque reuocauit eos ad fidem. *in tribulationibus,* subaudis simus in multa patientia,& exhibeamus nos sicut dei ministros.In tribulationibus dicit,id est in fame,siti,nuditate , aliisque afflictionibus. *In necessitatibus.* Necessitas dicitur eo quòd in nece sit posita , id est,in periculo mortis , vbi præcipit Apostolus patientiam seruare. *in angustiis.* Omnis indigentia & inopia,angustia vocatur. *in plagis,in carceribus.* Sæpe plagis virgarum & gladiorum cæsus est Apostolus: sæpe etiam in carceribus retrusus est pro Christi nomine, vbi non cessauit donum dei prædicare,contempta sua salute.Admonet autem eũ multa patiẽtia,si necessitas fuerit talia pati pro amore Christi & salute fratrum nostrorum, qualia ipse sustinuit vsque ad decollationem. *in seditionibus* simus in multa patientia.Seditiones proprie ad ciues pertinent,& sunt tumultus & conturbationes siue contentiones *in laboribus.* Paulus Apostolus non solum laborabat in prædicatione,sed etiam in labore manuum desudabat: vnde sibi victum & vestitum acquirebat,in labore scilicet scœnofactoriæ artis,ne grauis esset suis auditoribus,si ab eis aliquid acciperet,certus hoc sibi proficere apud deum,

in vigiliis simus dediti.Ipse non solum die non cessabat à labore , nec requiescebat.sed etiam tantum erat solicitus circa officium sibi delegatum,vt nec nocte cessaret aut à prædicatione,aut ab alio opere.vnde legimus in Actibus Apostolorum,quia vsque ad mediam noctem suum sermonem protraxit,quando Eutycus(qui interpretatur amens) de tertio cœnaculo cecidit,eo quòd negligens esset in studio audiendi verbum dei. *in ieiunus* simus patientes. Aliquando voluntarie,aliquando inuitus ieiunabat,& ne vẽtris causa inclinaretur,deo gratias agebat.Sicut enim medicina archiatri,id est summi medici,necessaria est vulneribus:Ita animæ nostræ necessaria sunt ieiunia. *in castitate mentis & corporis.* Castitas corporis est , immaculate & impollute custodiri ab omni libidinis delectatione.Castitas mentis,integritas est fidei:quia illa vera est castitas,quę nec mente polluitur.Vel etiam in castitate dicit,id est syncerítate & integritate verbi dei simus dediti,vt non adulteremus verbum dei,non quærentes gloriam propriam,sed dei:non pro lucris temporalibus prædicationi insistentes, sed pro remuneratione æterna : non prædicantur alia in publico,&alia agentes clanculum,& sacram scripturã non interpretantes peruerse. *in scientia* veteris testamenti & noui simus occupati,non in simulatione,neque in humana sapientia,quæ inflat hominem sine charitate, *in longanimitate.* Longanimitas est longa animi perseuerantia , & patientia in aduersis huius seculi: *in suauitate.*vt nulli non solum factis,sed etiam nec verbis nostris amaritudinem generemus. *in spiritu sancto:* id est,tales nos exhibeamus, vt templum simus sancti spiritus. *in charitate non ficta* Charitas ficta est,quando quis videns fratrem suum in necessitate positum,derelinquit eum,quem antea profitebatur se toto nisu mentis diligere.Ficta quoque charitas est,quando quis videns fratrem suum peccare , non corripit eum causa adulationis.Firma verò charitas est,si diligimus proximum vt nosmetipsos:& cui tempore prosperitatis ádhærere videbamur,tempore persecutionis illum non derelinquimus.De charitate dicit Apostolus Ioannes:Charissimi non diligamus solummodo verbo & lingua , sed opere & veritate. *in verbo veritatis* simus occupati,id est,in doctrina euangelij , vel certe in verbo veritatis , vt veritatem

Actu. 20.

loquamur cum proximis nostris. *in virtute dei* ponamus spem nostram, non in nostra audacia, aut alicuius hominis potientia, quia maledictus homo qui confidit in homine, vel in virtute dei dicit, id est vt non nostris meritis deputemus, si quid boni agimus: sed virtuti dei, quo adiuuante omnia bona implere valeamus. *Per arma iustitiæ à dextris & à sinistris*, id est, per arma virtutum incedamus in prosperis & in aduersis. Arma ergo, id est, custodiam virtutum à dextris habet, cuius animum prospera huius seculi non eleuant in superbiam, neque emolliunt. A sinistris quoque arma habet, quem aduersa non deiiciunt, neque frangunt. Paulus igitur à dextris & à sinistris arma portabat, atque securus in medio incedebat, cum talia diceret: quia & in prosperis erat humilis, & aduersis fortissimus. Semper ergo adesse debet mentibus nostris in aduersitate fiducia, & spes certa: & in prosperitate timor, ne aut aduersa in desperationem nos pertrahant, sicut Cain & Iudam proditorem, aut prospera animum in tumorem superbiæ extollant, & in sui fiducia decipiant. sicut & Nabuchodonosor, quando dixit: Nónne hæc est illa Babilon quam ædificaui? *per gloriam & ignobilitatem.* Sicut nobilis dicitur nomine ab illis, ita ignobilis sine dignitatis nomine. Sancti Apostoli apud fideles gloriosi habebantur, & laudabantur, ab illis veraces esse, sancti & iusti: apud infideles verò ignobiles & sine aliqua laude. Vnde dicit Apost. Per gloriam fidelium, & ignobilitatē infidelium: vel inter illos à quibus glorioſi dicimur, & inter illos à quibus ignobiles, incedamus patienter sicut ministri dei, vt neq; fauore & laude fidelium eleuemur, neque detractione infidelium deiiciamur. Aliter: Per gloriā sapientiæ diuinæ, & gloriam virtutū siue miraculorum, & per ignobilitatem flagellorum, despectionum, & carcerum patienter incedamus. *per infamiam & bonam famam.* Infamia est mala fama, bona verò fama, bona est opinio & laus. Et quod superius dixit, per gloriam & ignobilitatem, hoc repetiuit explanando, inquiens: Per infamiam & bonam famam patienter incedamus, habentes custodiam virtutum à dextris & à sinistris, credentes plus nobisipsis de nobis quid simus, quàm aliorum verbis. *Vt seductores & veraces.* Modo exponit superiora. Ab infidelibus dicebantur esse seductores, magi, & malefici: à fidelibus verò, propter

pter sanam doctrinam & virtutem miraculorum, non solū veraces & iusti, sed etiam dij habebantur, sicut legimus in Actibus Apostolorum, quando ei & Barnabæ coronas detulerunt, dicentes: Dij sunt ineffigie hominum latentes. Et quid mirum si Apostoli & serui seductores appellati sunt? cùm ipse dominus & magister omnium seductor sit appellatus, dicentibus Iudæis post mortem eius ad Pilatum: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuēs, post tres die resurgam. Vt seductores apud infideles, & veraces apud credētes incedamus patienter, protecti vndiq; armis virtutum. *Sicut qui ignoti* incredulis, *& cogniti* credentibus, id est, inter illos qui non cognoscunt, conuersationem nostram, nec valent penetrare doctrinam nostrā, & inter illos à quibus cognoscimur esse veri cultores dei, incedamus patiētissime, muniti armis iustitiæ. *quasi morientes, & ecce viuimus.* Quasi moriebantur sancti Apostoli & martyres, cum per multa tormenta & cruciamenta pene vsque ad mortem affugebātur. Sed dum ita essent in periculo mortis constituti & in desperatione vitæ, per flagella, verbera, & lapidationes, subitò virtute dei roborati, eōfortabātur, & quasi ex mortuis vitā recipiebāt. Sic legimus de beato Paulo, quia cum Lystris tandiu esset flagellatus, & lapidib⁹ obrutus, per plateas quoq; ciuitatis tractus, quousque quasi mortuus relinqueretur: nocte eadem transcurrēte diluculo cœpit in Derbem verbum Dei publice prædicare. Illi enim quis decollabantur, quasi moriebātur, dū ab hoc seculo transibant: sed illa mors temporalis erat, cui succedebat vita perpetua. *vt castigati* verberibus & verbis, *sed non mortificati.* Quando flagellabantur sancti Apostoli & martyres, castigabat quidem illos deus, ne se extollerent propter maximam gratiam sibi concessam: sed nō permittebat eos mori vsque ad tempus quo ei placebat. Castigationem quippe in hoc loco pro flagellatione possumus intelligere, sicut legimus Pilatum dixisse de domino: Castigatum, inquiens, illum dimittam. Act. 2.

Quasi tristes, semper autem gaudentes. Apostoli & sancti martyres dum lachrymabantur inter flagella & cruciatus terribiles, tristes videbantur esse in vnitu: sed gaudebant in corde, securi de spe cælestium præmiorum, scientes quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam,

quæ reuelabitur in illis: & quoniam tristitia illorum vertenda erat in gaudium æternum. Electi quicquid tribulationis & persecutionis sustinent, quasi est illis, id est tanquam non sit: quia si cæduntur virgis, si excoriantur, & etiam si occiduntur, omnia quasi sunt: quia transitoria sunt & temporalia. Veniet autem verum illorum, id est gaudium æternum, & vita sine fine mansura. Sicut enim ille qui seminat, expergefactus solet dicere: Quasi videbam homines equitare, quasi videbam ante me multas epulas appositas, atque totum dicit, quasi non est ibi veritas, sed sicut vmbra transierunt: ita in omnibus quæ sancti in hoc seculo patiuntur, quasi est, quia transitiuum est. Videbantur enim inter supplicia mori, videbantur tristari secundum fragilitatem: sed quasi erat ibi, quia mente gaudebant. Et si moriebantur ad tempus, subito transibat illorum mors in vitam æternam. Reprobis autem, qui totam spem suam in terrenis rebus ac transitoriis ponunt, nec rédunt ad æterna gaudia, sed in prosperitate fœlicitate neque huius seculi lætantur, videtur quòd verum tenant: sed non est verum: quia transitiuum & temporale est. & quum ab hac vita transierint, nihil inuenient ex his, quæ quasi vera visa sunt illis, iuxta quod Psalmista dicit: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Transibit ergo istorum quasi verum, sed non erat verum: & veniet illorum væ, hoc est æternum supplicium. *Sicut egentes simus, multos autem locupletantes.* Quasi egentes videbantur diuitiis huius seculi, sed abundabant diuitiis spiritalibus in prædicatione & miraculis, ex quibus locupletabant alios. Vel reuera egentes videbatur substantia temporali, sed multos locupletes reddebant, sicut sanctos qui erant Hierosolymis, qui pro Christo omnia sua reliquerant, vel à Iudæis expoliati fuerant, eo quòd in mortuum hominem credidissent, quos alloquitur in epistola ad Hebræos: Rapinam (inquiens) bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. & de quibus Isaias? Qui recessit, ab iniquitate & malo, prædę patuit. Istos ergo docebat & locupletabant Apostoli, quia ex omnibus locis vbicunque prædicabant, ministrabant eis quæ necessaria erant. Vnde idem Apostolus in epistola ad Romanos. Nunc (inquit) proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis.

Psal. 75.

Heb. 11.

Esa. 59.

Ro. 15.

Act. 2. 3.

quam nihil habentes, & omnia possidentes. Tanquam nihil habentes erant, quia nihil proprium habebant. Omnia autem possidebant, quia erant illis omnia communia. Sic debent & monachi esse tanquam nihil habentes proprium, & omnia possidentes communiter. Vel tanquam nihil habebant, quia non habebant prædia, non aurum, nec argentum, non seruos, aut ancillas: & tamen omnia possidebant ista in possessoribus eorum, quos sibi per prędicationis arma, & virtutem miraculorum subiugauerant. In possessoribus etenim omnia possidebāt possessorū: Sicut enim quidā dux Rom. Tarquinius nomine, respōdit legatis cuiusdā gentis, aurū volētibus dare pro pace ac libertate, Romanos potius velle aurū possidentibus imperare, quàm aurū habere aut possidere: Ita sancti Apost. magis desiderabāt possessores diuitiarū per fidem & doctrinam Christi possidere, quàm aliquid propriū habere. Possumus etiā dicere, quia in hoc seculo Apostoli quasi nihil habētes erant sed in capite suo Christo omnia possidebāt: iuxta quod idē Apost. in epistola ad Roma. dicit de deo patre: Qui etiā filiū suū pro omnibus nobis tradidit, quomodo etiā cū illo nō omnia nobis donauit? Simus ergo & nos tanquā nihil habētes in hoc seculo, nō ponēdo spem in trāsitoriis rebus & caducis. Possidemus enim omnia cū Christo, insuper & ipsum cū deo patre & spiritusancto possidemus. Nā sicut dicit Salomon, qui fidelis est, totus mūdus diuitiæ illi sunt: quia nō appetit ea quæ in mundo sunt, cognoscens procul dubio quia mūdus trāsibit & cōcupiscentia eius: & in hoc quod non appetit nec quærit habere nisi quod habet, quasi omnia possidet. Nemo enim plus habet, quàm qui nullo indiget: & tamen cū diuites multa habeant, multis indigēt: quia plus desiderant habere, quàm habent. Ille autē nullo indiget, qui præter necessaria victus, vestimenti, & calceaméti, nō requirit, contentus his quæ habet. In his ergo omnib⁹ imitemur sanctos Apostolos, doctores, & patronos nostros: sicut filij boni imitātur bonos patres, vt inter aduersa & prospera patienter incedamus, exhibentes nos sicut Dei ministros: quoniam si participes fuerimus illorum actuum in hoc seculo, erimus vtiq; consortes illorū æternorum præmiorū. *Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est*, id est, voluntas mentis nostræ & intētio

cordis. Prædicatio quoq; oris nostri patet & aperta est iam ad prædicandum, & prompta ad vos docendum. Illius os patet & apertum est ad prædicandum, cuius voluntas est perfecta, prædicatio sancta, conuersatio bona. Cuius verò voluntas est tortuosa, conuersatio ac vita praua, licet aliquid intelligentiæ videatur habere, deficiunt ei verba cum sensu: ideoque non patet illius os ad prædicandum: quia timet in aliis redarguere, quod cognoscit in se ab aliis intelligi. *Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris.* Et est sensus: ô Corinthii, si sensum angustum habetis & strictum, vt non possitis recipere latitudinem mysteriorum diuinorum, nolite nobis hoc reputare: quoniam non consistit hoc in nobis, qui vobis ministrare debemus, sed in vobis, qui debetis accipere. Non quidem multa vobis possumus dicere, & voluntatem promptam ad hoc habemus: sed intellectus vester & voluntas constringitur in visceribus, id est in interioribus cordis. *Eandem autem habentes remunerationem*, paratam subaudis, quã & nos, quia eandem fidem habetis, *dilatamini & vos*, id est extendite sensum & intellectum vestrum, ne præ angustia sensus non possitis penetrare & recipere mysteria diuina. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* In iugo duo animalia coniunguntur & coæquantur. Iugum verò hic debemus intelligere iugum diaboli, & potestatem, quam habet super infideles, ac si diceret: Nolite susc ipere iugum diaboli, neq; æquari infidelibus, aut cõiungi, ne similes illis efficiamini. *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate?* id est, quæ societas iusto homini iustitiam habenti, cum iniusto homine & paganõ? Nulla. *Quæ societas luci*, id est, fideli, *cum tenebris*, id est, infideli? Nulla. Ista est lux, & istæ sunt tenebræ, de quibus idem Apostolus dicit: Fuistis aliquando tenebræ, id est, infideles, nunc autem lux in domino, id est, fideles, *quæ autem conuentio Christi ad Belial?* Belial interpretatur absque: iugo significans diabolum, qui iugum omnipotentis dei de collo suo excussit. Dicitur & in libro Samuelis, quòd filii Belial, id est, absque iugo dei. Quæ conuentio, siue quæ societas Christi ad diabolum? Nulla. *Quã autem consensus templò dei cum idolis?* id est, quem consensum debent habere fideles (qui templum dei sunt) cum idolatris, qui sunt templa dæmonum? Nullum. In hoc loco percutit

cutit eos, qui recumbentes in idolis, comedebant carnes idolothytas, qui debuerat esse fideles & templum dei. *Vos enim estis templum dei viui*, non deorũ qui non viuunt. Deus viuus dicitur ad distinctionem illorum deorum, qui non viuunt, licet dicantur dij. *Sicut dicit deus*, per Ieremiam: *Inhabitabo in illis*, per fidem & dilectionem & per gratiam meam, *& mambulabo inter eos.* Dei filius, qui ista locutus est de credentibus electis, inter homines ambulauit, sicut dicitur, quoniam super terram visus est, & cum hominibus conuersatus est, & ipse habitauit in nobis, sicut Ioan. dicit: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, *Ioan.1.* & ero illorum deus, & ipsi erunt mihi populus peculiaris, sicut olim fuit Israel. *Propter quod exite de medio eorum.* Hoc Isaias propheta prælixit longe ante captiuitatẽ Babylonicam, quod Apostolus ad Corinthios retulit. Dicit enim propheta ex persona dei, alloquens Iudæos de captiuitate reuertentes post septuaginta annos. Propter quod, quia populus meus estis, exite de medio Chaldæorum. *Vt separemini ab eis, & immundum ne tetigeritis*, id est, idolum, quo nihil est immundius, ne adoraueritis. *& ego recipiam vos* in terram repromissionis. Referamus & hoc ad Corinthios, & videamus quomodo poterant illi qui crediderant, relinquere vxores & liberos suos omnémque substãtiam, qui adhuc imperfecti erant, nec poterant implere quod dominus dicit: Si vis perfectus esse, vẽde omnia quæ habes, &c. Non ergo hoc præcepit Apostolus, vt corpore recederent ex toto ab eis, qui increduli adhuc erant in *Matth.19.* medio eorum, sed potius vt mente separarent se ab illis. Exite (inquit) de medio paganorũ, sed si non potestis corpore, vel saltem mente: & separamini ab eis voluntate, & immundum hominem nolite tangere. Immundum hominem tangit, qui peccatorem imitatur. Et si hoc feceritis, inquit Apostolus, *recipiam vos* in omnem familiaritatẽ, & dominus recipiet vos in æternam beatitudinem.

CAPVT VII.

HAS igitur *habentes promissiones charissimi*, quas supra diximus, quòd sumus filij dei, & ipse est pater noster. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus.* Non dixit simpliciter, mundemus nos ab inquinamento, sed ab omni

inquinamento carnis & spiritus. Carnis inquinamentum est fornicatio, adulterium, homicidium, & cętera vitia, quę corpore perficiuntur: spiritus verò, id est, mentis inquinamentum, est ira, inuidia, superbia, mala voluntas, & cętera mala, quæ in animo cogitantur. *Perficientes sanctificationem in timore* Dei. Sanctificationem in timore, id est, pietate dei perficit, qui ab omni inquinamento carnis & spiritus mundat semetipsum. *Capite nos.* Id est intelligite quæ dicimus, vel capaces estote sermonis nostri, vel imitamini nos. *Neminem* vestrum *lasimus* verbo aut exemplo, siue neminem vestrum expoliauimus nostra adulatione. *Neminem corrupimus.* Prauo sensu aut exemplo. *Neminē circumuenimus* in negotio vt euacuaremus sacculos vestros: quasi dicerem quòd non fecimus, fecerunt pseudoapostoli: ideóque non rectè agitis præponentes illos nobis. *Non ad condemnationem vestrā dico*, id est, nō ad vituperationē vestrā me laudo aliósque Apostolos, sed ad correctionem, vel non vos abiicio talia dicendo, sed vt vos corrigatis admoneo. *Prædiximus enim* in priore epistola, *quòd in cordibus nostris estis*, siue in voluntate nostra, *ad commoriendum* in præsenti vita, *ad conuiuendum* in futura gloria, id est, tanto amore & desiderio erga vos ducimur, vt si fieri posset, martyrium in hoc seculo per multa supplicia pro Christi nomine nobiscum sustineretis, vt coronam & præmium martyrij nobiscum reciperetis. *Multa mihi fiducia est apud vos*, fiducis. ideò talia loquor, sperans vos mihi obedientes esse. *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* id est, audiens correctionem vestram, & bonam conuersationem, plasum gaudio repletus, vt licet in carcere & vinculis tenerer constrictus, nihil doloris sentirem. *Nam & cum venissem in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra*, sed quod caro non habuit, spiritus habuit, qui delectatur inter aduersa. Macedonia, est regio Achaiæ, in quam cùm venissent Paulus & Sylas, & cœpissent prædicare & puellam facere, puella quædam habens spiritum phitonicū, quæ non modicum quæstum præstabat dominis suis diuinando, incedendo per plateas, clamabat dicens: O ciues, viri isti serui dei excelsi sunt. Cuius misertus Paulus fugauit malignum spiritum ab ea. Videntes autem domini eius, quia exiuit spes quæstus illorum, concitauerunt seditionem non modicam

Actu. 16.

modicam in Paulum & Sylam, intantùm, vt cùm diu flagellati essent, mitterentur in ima carceris. Et inde subiungit: Non habuit (inquiēs) requiē caro nostra, *sed omnē tribulationem passi sumus. Foris*, subaudis erant *pugnæ, intus timores.* Pugnæ erant foris in corpore, dum sustinebant verbera & flagella, intus timores in animo, timentes ne passione eorum scandalizati hi qui crediderant, à fide recederent. Aliter, Foris, id est, extra carcerem in publico erāt pugnæ contra credentes, qui impugnabantur ab infidelibus: intus in carcere erant timores, vbi erant Apostoli vincti, quia timebant interfici à persecutoribus. *Referens nobis vestrum desiderium*, quo desiderabatis vos emēdare, vel quo desiderabatis nos videre. *Vestrum fletum*, quo defletis illos qui à fide recesserunt. *Vestram æmulationem*, pro me, id est, vestrum amorem erga me: quo succensi fortiter defendere voluistis prædicationem meam verā esse, & falsos Apostolos à vobis repulistis. *Ita vt magis gauderem*, subaudis de vestra correctione, quàm tristarer de vinculis meis. *Non quia contristati estis*, subaudis accipientes epistolam, ideo gaudeo: *Contristati enim estis secundum Deum.* Ille contristatur secundum Deum, qui Deum per pœnitentiam sibi placari desiderat. *Vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis*, id est, in nullo eorum quæ vobis imperamus, damnum habeatis: quia si contristauimus vos per epistolam, multū prodest vobis. *Quæ enim secundum Deum tristitia est*, id est, quæ Deo placere desiderat, *Pœnitentiam operatur in salutē stabilem*, id est, vitam æternam. *Seculi autem tristitia.* id est, quę pro amissione rerum temporalium est, vel pro aliquo dolore temporalis rei, *mortem operatur*, subaudis æternam, id est, damnationem animæ, plærunque etiam mortem corporis, quòd in multis expertum habetur. *Ecce enim hoc ipsum*, id est, ipsa tristitia: *Secundum Deum contristari vos, quantam solicitudinem*, id est, quantam curam operatur, ne denuo in peccata similia cadatis, Vbi enim solicitudo est, non est somnolentia, securitas, vel inertia. *Sed defensionem*, subaudis operatur, vt vos positis defendere ab infestatione dæmonum: *sed indignationem*, quia indignatur homo sibimetipsi dum peccat. Qui bonam curam habet, indignatur etiam contra peccantes, vel aliorum indignationes patienter sustinet. *Sed timorem* Dei operatur. *sed desiderium*,

patriæ cælestis, *sed æmulationem*, id est, amorem dei, studium bonum, & imitationem bonorum operum *sed vindictam in* seipso, quia seipsum causa delicti affligit. Dicit B. Augustinus, quòd licet ista coniunctio causalis (Sed) in hoc loco plenum sensum non reddat, tamen apud Græcos optime resonat. *In omnibus*, quæ vobis præcepi, *exhibuistis* & præparastis *vos incontaminatos esse negotio*, id est impollutos esse à meo præcepto, quia obedistis mihi. Tunc enim dilectus populus impollutum se reddit à præcepto magistri, quando obedit iussioni illius. Si verò inobediens extiterit in aliquo, & si ab omnibus culpis alienus existit: tamen ex inobedientia maculatur, aliter: In hoc probastis vos immunes esse à culpa aliorum, quia illorum errorem fortiter corripuistis. Contaminatus enim authoritatem non habet in alios vindicandi. *Igitur etsi scripsi vobis* priorem epistolam, *non propter eum* solummodo scripsi, *qui fecit iniuriam* omnibus vobis, accipiendo vxorem patris. Vel propter illos qui fraudem fecerunt fratribus: *sed ad manifestandam solicitudinem nostram, quam pro vobis habemus.* Ideoque subdit: *Ideo consolati sumus* de vestra emendatione & obedientia atque receptione Titi. *viscera eius*, id est Titi, *abundantius in vobis sunt.* Quicquid intra corium continetur, viscus appellari potest. Filij quoque viscera dicuntur. Ponuntur etiam pro nimiæ dilectionis affectu: sicut in hoc loco, viscera eius, id est nimia dilectio & affectus charitatis erga vos amplius abundauit. *Gaudeo quòd in omnibus confido in vobis*, subaudis quia obedientes eritis mihi.

CAPVT VIII.

N *Otum autem facimus vobis gratiam dei*, id est, fidem cæteraque talia, quæ gratis dantur fidelibus, *quæ gratia data est ecclesiæ Macedoniæ, & quod in multo experimento tribulationis*, subaudis nostræ & suæ, *abundantia gaudij ipsorum fuit: & altissima*, hoc est profundissima *paupertas illorum abundauit*, & excreuit *in diuitijs simplicitatis eorum.* Beatus Apostolus cognoscens Corinthios auaros esse & tenacissimo, proponit eis in exemplum charitatem & bonam voluntatem Macedonum, quam habuerunt erga sanctos qui erant Hierosolymis. Cum enim nimium essent pauperes illi Macedones, antequam venirent ad fidem, credendo in Christum, excreuit illorũ magna paupertas in multas diuitias: quia ex eadẽ paupertate quã habebant, statim vt crediderunt, decreuerũt sanctis mittere necessaria, qui erant Hierosolymis, & hoc simpliciter. i. bona voluntate & intẽtione fecerũt, De eleemosyna ergo & donatione quã volebat Apostolus vt Corinthij mitterent illis qui erãt Hierosolymis, multa locuturus est in sequentibus. *Quia secundũ virtutem testimoniũ illis reddo, & supra virtutẽ voluntarij fuerũt.* Ordo perturbatus & præposterus. Testimoniũ illis reddo, Macedonibus videlicet, quia supra virtutem suã voluntarij fuerunt. i. plus voluerunt quã possent, & secundum virtutẽ possibilitatis suæ dederunt. *cum multa exhortatione obsecrantes nos*, subaudis vt acciperemus ab eis *gratiam*. i. donationẽ quàm illi gratis dabant. *& communicationem ministerij quod fit in sanctos*, qui sunt Hierosolymis. *Et non sicut speravimus, sed semetipsos dederunt*, id est, non fecerunt sicut timuimus, quando primùm nos posuerunt in carcerem. Sperare enim hic posuit pro timore, sicut & in Verg. habetur: Hunc ego si potui tantum sperare dolorem, pro eo quod est timere. *primùm* dederunt se *domino*, veniendo ad fidem, & corrigendo errores suos, *deinde nobis*, subdendo se nostro magisterio: ita subaudi dederunt se ex toto domino, & nobis subditi fuerunt: *vt rogaremus Titum*, quando illum ad vos misimus, *vt perficeret in vobis gratiam istam* largitatis & eleemosynæ, vt sponte mittatis fratribus qui sunt Hierosolymis bona temporalia, sicut isti gratis & sponte mittunt. *Non quasi imperans dico*, subaudis talia, *sed per aliorum solicitudinem etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans*, id est, vt per istorum ingenium approbare possim bonum ingenium vestræ charitatis, vt si isti tanta miserunt qui pauperes sunt, vos plura mittatis. *Scitis enim gratiam domini nostri Iesu Christi* quam vobis cõtulit. Omnia bona quæ humano generi data sunt, gratia dei est: *quoniam cum diues esset*, secundũ diuinitatem possident omnia cũ patre. *propter vos*, & omnes credentes, *egenus factus est*, & pauper, intantum vt non haberet, quod habent vulpes: *vt illius inopia vos diuites essetis* in cœlo: & factus est homo, vt nos sa

Psal.81. ceret deos, iuxta quod per Psalmistam dicit: Ego dixi dij estis. *Et consilium in hoc do*, subaudis vt eius paupertatē imitemini. *Hoc enim vobis vtile est*, subaudi facere quod dico: *quia non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore*, siue ab anno præterito. Erant aliqui apud illos, qui voluntatem quidem habuerunt aliquid mittere fratribus Hierosolymam: sed nihil inde fecerunt. Erant & alij qui aliquid inde fecerunt, sed ad affectum non perduxerunt. Quos omnes hortatur modo, dicens: Hoc vobis vtile est facere, qui velle cœpistis, & qui ex parte feciſtis. *Nunc verò & facto perficite*, id est opere adimplete. *Si enim voluntas prompta*, & parata ad dandum *est, secundum id accepta est quod habet*, subaudis & dat, *non secundum id quod non habet*: quia non valet illud dare quod non habet, licet velit. Hoc quidem apud homines est, cæterum apud deum ipsa voluntas bona remuneratur. *Non enim*, subaudis ideo talia præcipio, *vt alijs sit remissio*, id est abundantia & refrigerium, *sed ex æqualitate*, subaudis hoc debet facere. Verbi gratia: Qui habet centum solidos, quinquaginta secum retineat, quinquaginta mittat his qui sunt Hierosolymis. Vel ex æqualitate, vt aliquid mittat illis, & aliquid retineat ad suos suorúmque vsus. Hilarem siquidem datorem beneuolentia decet, quæ sic suam temperet largitatem, vt de illa & pauperum refectio gaudeat, & domestica sufficientia non laboret. Notandum vt hic distinctio sit, vbi dicit, sed ex qualitate, *in præsenti tempore*, id est in hac vita, *vestra abundantia illorum inopiam suppleat: vt & illorum abundantia*, quæ spiritalis est, in ieiuniis & orationibus, *vestræ inopiæ sit supplementum*, id est, vt quod minus habetis in rebus spiritalibus, in ipsis habeatis: & quod illi non habent in temporalibus, vos eis ministretis. *vt fiat æqualitas* inter vos & illos, dantes vos illis quod non habent, & ipsi vobis quod non habetis, vos illi temporalia, & ipsi vobis æterna. *Qui multum*, subaudis collegit, *non abundabit: & qui modicum* collegit, *non minorabat*. Hoc secundum literam dictum est de manna. Nam quum præcepisset dominus per singula capita plenum gomor colligit, quæ est mēsura tres sextarios cōtinens, quidam collegerunt plus, quidam minus, Sed quum præparassent sibi cibos in mortario, & ille qui plus collegerat, & qui minus,

Exod.16.

vnam mensuram postmodum repererunt, plenum scilicet gomor. Spiritaliter autem hic vult ostendere, quia si sunt duo homines, vnus diues & alter pauper, licet diues multa possideat, & distribuat plura pauperibus quàm pauper: non tamen superat illius eleemosyna pauperis largitatem: sed plerunque donum paruum pauperis magis est acceptū deo, q̄ diuitis magnū: quia pauper de victu suo tribuit, diues ex his quib⁹ superabūdat. Quod cōprobauit dominus in euangelio, quando vidit multa iactari in gazophilacium à diuitibus, & à vidua duo minuta, quod est quadrans, id est quarta pars denarij, dixit: vidua hæc plus omnibus illis misit: quia illi multa sibi retinuerūt, illa verò totū suum victū misit, nihil sibi retinens. Cor nanque & non substantiā pēsat deus, nec perpendit quantū in eius munere, sed ex quāto amore proferatur, *quoniam exhortationem quidem suscepit* à me, quam vobis ministrauit. *Misimus cum illo.* 1. cum Tito *fratrem nostrū, cuius laus est in euangelio per omnes ecclesias.* Lucas (qui & Lucius) tacito hic nomine intelligitur, qui iā euangelium conscriptū habebat mirifice, quod legebatur per omnes ecclesias, & insuper Actus Apostolorum, quo labore ab omnibus fidelibus laudē habebat. *Non solū autem* laudabatur per omnes ecclesias: *sed & ordinatus est comes* ac socius *nostræ peregrinationis in hanc gratiam, quæ ministratur à nobis, ad domini gloriam & destinatam voluntatem nostram, deuitantes hoc*, & cauentes, *ne quis nos vituperet* & reprehendat *in hac plenitudine*, subaudis doctrinæ & miraculorum, *quæ ministratur à nobis.* videlicet ne quis posset dicere: Bene quidem prædicat Paulus, Barnabas, Timotheus, sociique eorum, & multa miracula per virtutem domini perficiunt: sed in hoc nō bene agunt, quia non habent curam sanctorum pauperum, qui sunt Hierosolymis, sicut alij Apostoli habent: & sicut Paulo præceptum est & Barnabæ ab Apostolis, quando ad gentes missi sunt. Vnde idem Apostolus alias dicit: Constituerunt (inquiens) Apostoli, vt nos, ego & Barnabas, in gentes operam daremus prædicandi, tantum vt pauperum memores essemus. *prouidentes bona non solum coram deo, sed etiam coram hominibus.* Apostolus Paulus aliique bona eorum coram deo prouidebant, quia in omnibus quę agebāt, deo placere quærebant. Prouidebant & coram Corinthiis, quia tales fratres ad eos dirigebant ad recipiendas dona-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiones, quæ mittendæ erant sanctis Hierosolymam, qui sua pro Christo similiter reliquerant: nec erant cupidi diuitiarum, aut amatores terrenarum rerum, ne forte occasionem inuenirent Corinthij dicendi: Nos multa misimus, *sed illi* quos ad nos direxit, furati sunt ea, cum debuissent illa augere. Aliter. Coram deo (vt diximus) bona prouidet, qui deo placere desiderat: & coram hominibus, qui sine querela incidit, ne sit nimis iustus: sed apud omnes in omni vita sua & conuersatione irreprehensibilis habeatur. *Misimus cum illis* cum Tito scilicet & Lucio, *fratrem nostrum*, subaudis Apollo, qui vobiscum iam diu moratus est. *quem probauimus solicitũ esse*, subaudis *pro vobis*, postquam à vobis recessit propter quorundã malam conuersationem & duritiam morũ. *nunc autem multo solicitiorem*, subaudis probauimus illũ esse pro vobis, quia audiuit vos esse correptos & emendatos. Isto in loco est distinguendum, & postea ad alia transeundum. *Confidentia*, subaudis mihi est *multa in vos, siue pro Tito, qui est socius meus* in prædicatione, *& in vos adiutor*, docendo sicut & ego, *siue fratres nostri Apostoli*, subaudis adiutores vestri, mihi retulerunt correctionem vestrã & cõuersationem sanctam, *In illos*, id est, in Titum, Lucam, & Apollo, *ostendite charitatem vestram in facie ecclesiarum*, id est, in præsentia fidelium.

CAPVT IX.

NAM de ministerio quod fit in sanctos, ex abundanti, id est ex superfluo, *mihi est scribere vobis, quoniam Achaia*, id est, pars Achaiæ, *parata est ab anno præterito*, illi videlicet qui extra Corinthũ metropolim ciuitatem habitant: *vnde dicamus vos in hac substantia*. Defectus dictionis & sentẽtiæ in hoc loco est non modicus, & huiusmodi, vt non dicamus vos in hac substantia, subaudis carnali & temporali minus fecisse, qui in omnibus perfecti estis, bona voluntate florentes. *Necessarium existimaui rogare fratres*, Titum videlicet, & Sylam, & Apollo: *vt præueniant*, subaudis nos ad vos. Sic subaudis date illam donationem, *quasi benedictionem*, id est, beneuolentiam ex charitate, *non quasi auaritiam*, id est, non auare, sed sponte date. *Qui parce seminat, parce & metet.*

Parce

Parce aliquãdo pro dimitte ponitur, vt illud Vergilij, Parce metu Cytherea, id est dimitte metum: aliquando pro seruare, vt ibi: hinc canere incipiam, quanta experientia sit parcis apibus. Parcæ enim dicuntur apes, quasi seruatrices, eo ꝙ seruant sua mella. In hoc autem loco per quod dixit aduerbialiter parcè, voluit significare auarum hominem, cui extorquetur cum violentia vt aliquid largiatur. Ergo qui parce seminat, parce & metet. i. qui parum tribuit pauperi, parum accipiet mercedis. sicut ad literam ille qui parũ seminat, parum colligit. *Et qui seminat in benedictionibus*. i. qui largitur eleemosynam pauperi cum beneuolentia, bonãque temporalia distribuit ex synceritate mentis: vt neq; laudem humanam exinde requirat, neque illũ cui aliquid tribuit, velit per hoc subditum sibi facere, *de benedictionibus & metet*. hoc est de bona voluntate mentis accipiet mercedem æternę beatitudinis. Ille in benedictione seminat, qui bona voluntate sub spe æternæ remunerationis hoc agit. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate*, i. quãtum disposuit in animo suo dare deo, & pauperibus tantũ tribuat: quia melius est non promittere corde aut verbo, quã promissum non adimplere. Docet autem Apost. læto animo eandẽ eleemosynã vel votũ perficere: quia ex omnibus his qui inferũt aliquid, hunc elegit deus cui retribuatur, qui deuoto corde hoc operatur. Vnde præcipit, non ex tristitia (inquiens) animi hoc faciat aliquis vestrum, aut necessitate, id est, coactus aut inuitus, & non spõtaneo desiderio. Ex tristitia hoc adimplet & ex necessitate, qui non sperat se mercedem recipere, sed propter præsentem pudorem & verecundiam inuitus hoc agit, ne aliis hoc agentibus ipse auarus & turpis videatur: ideóque ex hoc non fruetur mercede æterna. Dicit enim beatus Augustinus, quia si panem dederis tristis, & panem & meritum perdis: quoniam quod in præsenti tribuis amittis, & in futuro mercede carebis. Læto verò animo eleemosynam erogat pauperi, qui certus est de remuneratione æternorum præmiorum, quem dedit ei dominus, apud quem thesaurizat, *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Hilaris debet esse, qui domino fœneratur: & ille placet Deo, qui quod tribuit, postmodum non dolet quasi amissum, sed quasi de duplicato gaudet. *Potens est enim*

deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam & abundantiam habentes, abundetis in omni opere bono. Nolite, inquit, diffidere neque desperare de remuneratione, si hilari animo eleemosynam impendatis: quia potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, scilicet vt in præsenti abundetis fide, spe, charitate, scientia diuina, omnique substantia temporali, & insuper in futuro æternam fœlicitatem tribuere. Hoc enim erit abundare in omni opere bono, si sibi retinent quod sufficit ad suam suorúmque explendam necessitatem. & cætera in vsus sanctorum vel pauperum impendant *sicut scriptum est* in Psal. 3. de quolibet iusto eleemosynas danti, & curam pauperum agenti. *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum.* Iustitiam hic appellat largitatem substantiæ temporalis vel mercedem eiusdem substantiæ distributæ: quæ largitas bene iustitia appellatur: quia iustum est, vt sicut terra omnibus hominibus communiter à deo data est ad possidendum, & sicut calor solis & humor pluuiarum omnibus communiter tribuitur à deo: ita etiã quæ in terra dei dono nascuntur, communiter dispensentur & cõmuniter vtatur: & hæc est iustitia, vt quia deus illud gratis dat, retribuat ex eo & homo cui deest. Notandum quòd dicitur de viro sancto, quia dispersit & diuisit pauperibus substantiam sibi à deo datam. ac dedit pauperibus, qui non habent quod ei redderet in præsenti, & non diuitibus huius seculi, à quibus speraret eadem iterum aut plura recipere: & quoniam vsus est præcepto domini dicentis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Idcirco iustitia ei⁹, id est, merces largitatis eius, & retributio ipsius iustitiæ manet in æternum, quia ibi posuit diuitias suas, & ibi thesaurizauit, vbi fures non effodiunt, nec furantur. *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Hoc dupliciter intelligi potest, & iuxta literam & iuxta spiritalem intelligentiam. Omnipotens deus qui administrat homini semen ad seminandũ, si eleemosynæ fuerit deditus, ipse præstabit ei panem ad manducandum ex semine, & multiplicabit semina eius in terra: vt qui seminauit quinque modios, colligat quinquaginta, qui decem colligat centum. Et multiplicabit augmenta frugum

frugum iustitiæ vestræ, id est, substantiæ vestræ, quæ bene iustitia appellatur. Aliter, Deus qui administrat homini semen ad seminandum, id est, substantiam temporalem, vnde eleemosynam possit erogare. ipse vtique ei præstabit in futuro panem ad manducandum, æternam, scilicet satietatẽ, quæ erit visio præsentissimi vultus omnipotentis dei: De quo pane dicit dominus in Euangelio, Beatus qui manducabit panem in regno dei, Et Psalmista de eadem satietate: Satiabor (inquit) dum manifestabitur animæ gloria tua. Et non solum ibi præstabit æternã satietatem, sed hic multiplicabit substantiam eius, sicut supra diximus: vt habeat vnde valeat eleemosynam largiorem impendere, pro qua augebitur illi augmentum, id est, merces & retributio iustitiæ eius. Ergo quia omnia bona quæ habemus, dei sunt, & semina, & nascentia: & putrescunt, pullulant, & multiplicantur ad vsus hominum: & ipse precepit de his communicare eis qui indigent, debemus dare ista temporalia, vt mereamur accipere æterna: sicut plurimi sanctorum fecerunt: inter quos partem beatæ remunerationis beatissimus martyr Christi Laurentius obtinet, qui verus dispensator temporalium diuitiarum existens, meruit possidere cælestes & æternas atque immarcescibiles coronas. *Vt in omnibus locupletati, & diuites effecti, abundetis in omnem simplicitatem, quæ* simplicitas *operatur deo gratiarum actionem per nos,* qui eius predicatores sumus. Ea intentione & simplicitate debet homo eleemosynam impendere, vt non quærat illum sibi subiectum facere, cui tribuit, neque laudem ab hominibus quærere. *glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ.* Obedientia confessionem præstat homini quando impletur: quia licet homo taceat cui impenditur, in hoc quod obedit opus eius ostendit: & confitetur illum esse valde obedientem, verbi gratia. Præcipitur alicui ire tantum in ambonem, licet ipse nihil responderit ei, & tamen ierit cantatum, ipsa cantilena perhibet ei testimonium obedientiæ, & confitetur illum valde esse obedié tem. *in euangelio* quoque *Christi* glorificate deum, quia euangelium hoc præcipit, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. *& in simplicitate* cordis vestri, subaudis glorificate deum. De qua simplicitate paulo supra diximus. *& in ipsorum obsecratione pro vobis,* quibus eleemosynam

Psal. 89.
Luc. 14.

præstiteritis, glorificate deum, quia illi obsecrabunt, & laudabunt deum pro vobis.

CAPVT. X



Ogo autem, subaudis vt corrigatis *Vt, ne præsens audeam*, subaudis vos redarguere *per eam confidentiam*, id est, auctoritatem, *qua existimor audere in quosdã*, subaudis qui peccauerunt, *qui arbitrãtur nos tanquam secundum carnem ambulemus*. id est, tanquam carnem carnaliter viuamus, & carnalia precepta habeamus. *In carne enim ambulantes*, id est in corpore vitam ducentes, *non secundum carnem militamus*, id est, non carnaliter viuimus, sed spiritualiter. Spiritaliter enim viuit & militat, qui facit quod placet deo, Carnaliter autem viuit, & secundũ carnem militat, qui desideriis carnis obtemperat. *Nam arma militiæ nostræ*, quibus militamus contra philosophos & contra dæmones, *non sunt carnalia*, sicut est lorica, galea, mucro, hasta, gladius, clypeus, & cætera talia. *sed potentia dei*, Quidam codices habent, potentia dei, quidam potentia deo, quod vtrunque accipi potest hoc modo: Arma nostra, quæ sunt arma carnalia, velut singulariter dicamus. Non est gladius noster carnalis, sed potẽtia dei, ipsa est gladius noster: quia per virtutem & potentiam *Ephe.6.* illius superamus dæmones & malignos homines. Aliter, Arma nostra non sunt carnalia, id est, infirma & corruptibilia atq; flexibilia: sed potẽtia dei sunt nostra arma, id est, possibilia sunt & fortia ad pugnãdum per deũ. Arma ergo Apost. quibus militabant contra philosophos, verbum predicationis erat, de quo alibi dicitur: Et gladius spiritus, quod est verbum dei. Virtus, quoque miraculorum, gladius erat illorum. Contra dæmones verò oratione, ieiunijs, & vigiliis pugnabant. *ad destructionem munitionum*, subaudis dæmonum & philosophorum: & sumus nos his parati *destruentes consilia* philosophorum, & consilia dæmonum, qui inspirabant in cordibus persecutorum persecutionem contra nos excitari: *& destruentes omnem altitudinem*, id est, omnem superbiam, *extollentem se aduersus scientiam dei &* sumus nos *redigentes in captiuitatem omnem intellectum* hominum *in obsequiũ Christi*, id est, in culturam & religionẽ eius.

eius. Ista captiuitas in bonã est partẽ accipienda. Diabolus ergo persuasione captiuauit primum hominem, quando illum sibi subdidit, & postea omne genus eius, in tantum vt idola ei suaderet adorare pro deo vero. Sed ipsam captiuitatem humani generis, quam diabolus captiuauerat ad mortem, Apostoli per arma prædicationis & virtutem miraculorum captiuabant ad Christum & ad vitam æternã. Nam sicut quilibet imperator terrenus armat milites suos, vt per illos subiuget sibi regna, regiones, & prouincias: ita Christus armauit milites suos Apostolos spiritalibus armis, & per illos subdidit sibi pene omnes gentes, Et sumus nos *habentes in promptu* in manifesta voluntate. *vlciſci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia*. Hoc ita est distinguendum, & postea quod sequitur inferendũ. Et potest dupliciter intelligi, id est, vt dicatur, hanc voluntatem habemus, vt vlciscatur vestram inobedientiam, quam hactenus habuistis per obedientiam bonam. Tunc enim vindicatur & vlciscitur inobedientia, quando ei superponitur obedientia. Aliter: Hanc voluntatem, inquit, habemus, vt cum vos impleueritis veram obedientiam, qui perfectiores & bonæ volũtatis estis, nobisque in omnibus obeditis, tunc vlciscatur illorum inobedientia per nos, qui dedignati sunt vobiscum aliquid mittere sanctis, qui sunt Hierosolymis, vt essent participes vestrorum munerum. *quæ secundum faciem sunt videte*, id est quæ in præsentia dicuntur à nobis in superioribus & inferioribus, vos intelligire & perpendite. *vt autem non existimet*, subaudis à vobis, *tanquam terrere vos* volens *per epistolas*, *ista: quoniam quidem epistolæ (inquiunt) graues sunt* in correctione, *& fortes* in obseruatione, *presentia autem corporis*, id est, forma illius in presentia posita, *infirma* siue destituta est: *& sermo illius contemptibilis*, siue despicabilis. Ex persona quorundam loquitur, qui talia dicebant de illo. & ideo dicit, quoniam quidem, inquiunt illi. *Non enim quasi nõ habentes potestatem pertingendi ad vos* in prædicatione, *superextendimus nos*, predicando vsque ad vos: *vsque ad vos enim peruenimus*, predicando euangelium Christi, ab Hierusalem. *Habemus etiam spem in abundantia fidei vestræ*, etiam in illa, subaudis loca euangelizare, quæ vltra nos sunt. *non* tamen habemus spem neque voluntatem *gloriandi in aliena*

regula, id est in his qui per alterius predicationem crediderunt, & regulam siue rectitudinẽ fidei perceperunt: neq; in his locis, quæ præparata sunt ab alijs, volumus gloriari, ne super alienum fundamentum ædificare videamur. Ista sententia licet tota sit in latino sermone confusa & concatenata, ac multa desint in subauditionibus: tamen apud græcos plenior & manifestior habetur in sensu. Verum est quoque quod ipse dixit: Et si imperitus sum sermone, sed non scientia. *Qui gloriatur, in domino glorietur.* B. Apostolus sciens omnia bona nos à deo habere, quæcunque habere possumus, siue in natura: quia ab illo facti sumus: siue in instituto, siue in omni conuersatione sancta, in fide, in spe, in charitate, in bonis operibus, in iustitia, in timore Dei, ita tumque esse ex illius donis sine aliquo nostro merito abstulit gloriam humanam & superbiam, qua se dicunt multi à se suisque meritis habere quod habent. & dicit: Qui gloriatur in fide, in predicatione, in virtute miraculorum, aut in aliquo bono quod habet, non in se glorietur, sed in domino, id est, ad gloriam dei totum referat, & de illius gratia reputet, à quo accepit illud. Vt ergo essemus, dei misericordia est. Ergo si omnino nihil eramus antequã essemus, nihil promeruimus apud Deum vt essemus. Fecit nos vt essemus, & non fecit nos ipse vt mali essemus. Dedit ipse nobis vt simus, & potuit alius dare vt boni simus. Si ipse dedit vt simus, & alius dedit vt boni simus, melior est ille qui mihi dedit vt bonus sim, quam ille qui mihi dedit vt sim. Porrò quia nemo in misericordia largior, quàm ille à quo accepimus vt essemus, ab illo accepimus, vt boni essemus. quapropter omnes debemus cum Psalmista dicere: Deus meus, misericordia mea. *Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem deus commendat.* Commendatio plerunque pro laude ponitur, sicut isto in loco, & alibi, vbi dicit idem Apost. Ego debui à vobis commendari, id est, laudari. &, non commendamus nos vobis, id est, non laudamus nos apud vos. Probatus autem idem est, probus & laudabilis, siue laude dignus. Non, inquit Apostolus, quia seipsum commendat & laudat apud homines, ille probatus est, siue laude dignus est, quia vanam gloriam petitur: sed quem deus commendat, id est, laudabilem reddit, ille laude est dignus.

Caput

CAPVT XI.



Tinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ. Venientibus pseudoapostolis ad Corinthios post discessum Apostoli, & dicentibus Apostolum non esse à deo missum, quia non fuerat à Christo vocatus ante eius ascẽsionẽ, nec ab illo edoctus, insuper & contraria prædicaret prædicationi aliorũ Apostolorum: quos magnos Apostolos vocabant, auerterũt plurimos ab amore Apostoli, quos ad amorem suum traxerunt, dicentes se esse missos à magnis Apostolis, à Petro, Andrea, Iacobo, cæterisque Apostolis. Apostolus ergo volẽs eos iterum ab amore eorum separare, & ad suum reuocare, qui fidem Christi primus in illorum cordibus infixerat, laudat se coactus verbis, sed non corde neque sensu, quia sciebat se nihil proficere propter laudem humanam: nisi tantum vt illi ab eius prædicatione nõ recederent: & quia apud homines stultitia & insipientia est, vt aliquis se lauder, maxime cum Salomõ dicat. Laudet te alienus, & nõ os tuum, extraneus, & non labia tua. volens se laudare ipse ob causam supradictam ne daret aliis occasionẽ laudandi, dixit, Vtinã sustineritis patienter ò Corinthij, modicum quid insipientiæ meæ. i. modicam insipiẽtiam meã, quòd me laudo. *Sed & supportate me*, id est sustinete insipientiã meam in hac parte laudis. quasi diceret: Si vultis patiẽter sustinere verba mea, dicam: & si nõ vultis, vtiq; non ideo omittã dicere, quod in animo deliberatũ habeo. Et hoc quare? *æmulor enim vos dei æmulatione.* Æmulari est inuidere, imitari, amare, & studium habere, sed in hoc loco pro amare ponitur, Æmulor enim vos dei æmulatione, id est amo vos dei amore. *Desponsaui enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Paulus Apostolus desponsauit Corinthios, non sibi, sed Christo, per prædicationem suam, & fidem, sicut Moyses desponsauit in Aegypto plebem Israeliticam non sibi, sed deo. Vnde & præceptum est ei, vt tolleret calceamenta de pedibus suis. Signum ergo desponsationis, & annulus quo despondit siue despõsauit Apostolus Corinthios Christo, fides fuit domini saluatoris, quam ministrauit eis. Vnde dicit, Despondi enim vos vni viro Christo, exhibere volens

Prou. 21.

Exod. 3.

vos virginem castam,id est vt præparetis vos virginitatem illi,& integritatem fidei seruetis . Virginitas etenim potius est mentis integritas,quàm corporis. Si ergo dimus virginitatem corporis , multo plures sunt in fia virgines mente,quàm corpore. Et multæ sunt ex h integritatem corporis adhuc habent,quę mente & de rio iam nupserunt. Quapropter melius est,vniuersale ecclesiam (quæ constat ex vtroque sexu , & ex vtroque dine) virginem castam esse appellatam , quæ & sponsa Christi de qua Ioannes ait,Qui habet sponsam, spōsus

Ioan.3. Quicunque ergo in ecclesia integritatem fidei habet, bonis operibus exornat , virgo casta est, etsi non corpore tamen mente: ideóque sponsa est Christi. Qui verò virginitatem vtranque,deo propitiante,caste inuiolatéque seruauerit, sicut plurimi sanctorum fecerunt ex vtroque sexu illi vtique palmam obtinebunt , quam nemo coniugatus possidebit. Et si sexus fœmineus, qui tantum est fragilis & procliuis,hoc obseruat, quanto magis illi qui à virtute nuncupantur? *Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua,* id est ne sicut diabolus indutus serpentem, rum: *ita* modo *corrumpantur sensus vestri* à pseudostolis , qui ministri sunt diaboli. *& excidant. libenter sufertis insipientes,cum sitis ipsi sapientes.* Apostolo transferte à Corinthiis ad alias nationes,corruperunt eos pseudo apostoli à Iudæis venientes,qui in hoc appellantur insipientes,quia & circumcisionem volebant obseruare,& sabbata otium, cæteráque præcepta carnalia legis & euangelij tiam tenere.In hoc quoque insipientes vocantur,quia pro mercede æterna,neque pro salute auditorum prædicationi insistebant,sed pro lucris temporalibus, vt illos liare possent, & pro laude humana dicentes Apostolum non esse verum prædicatorem,eo quòd à domino per sentiam carnis non fuerat vocatus:& talia dicebant, tes eos ab amore Apostoli ad amore suum retraherent & fecerunt , plurimos simplicium decipientes , quos Apostolus ironice alloquitur,dicens: Libenter suffertis insipientes,cum sitis ipsi sapientes. Quanquam etenim quidam versiculum ita exponāt,vt sit sensus,quasi eos veraciter appellet,dicens:Sapientes,miror cum sitis ipsi sapientes

re sustinetis libenter insipientes . Sed beatus Augustinus aliter exponit,destruens hunc sensum,& ironice intelligēs eos appellatos esse sapiētes. Cum sitis (inquit) ò Corinthij insipientes , putantes vos esse sapientes , non est mirum si patienter sustinetis insipientes pseudoapostolos. *Sustinetis enim,si quis vos in seruitutem redigit.* Iudæi qui venerant à Iudæo,qui vtrunque volebant agere,& iudaizare , & euangelium obseruare, volebant credentes in seruitutem redigere legis,vt obseruarent sabbati otium: & irent Hierosolymam offerre legales hostias,& maxime vt circumcisionem obseruarēt,dicentes nullo modo posse eos saluari si- *Genc.17.* ne circūcisione,præcipue cū hoc non solum sit legis præceptum , sed longe ante legem familiari allocutione dixerit deus ad Abrahā , Masculus,cuius præputij caro circuncisa non fuerit,peribit anima eius de populo suo. In hanc ergo seruitutem legis & impedimentū carnis , volebant Iudæi Corinthios redigere , quibus ipse dicit. Sustinetis enim.i. patienter suffertis,si quis vos in seruitutē legis vult redigere. *si quis deuorat* , subaudis substantiam vestram , patienter sustinetis. Pseudoapostolis suis adulationibus & laudibus expoliabant illos,quos decipiebant,& in conuiuiis plurimis ditipiebant illorū bona,erántque illi contenti deuorari res suas à suis deceptoribus. *si quis accipit.* ac si dicat. Si quis rapit vestra bona à vobis , & accipit sibi, patienter sustinetis. Vnde & aues rapacissimæ , quæ latino vocabulo accipitres vocantur,græcè harpyiæ,id est, raptores appellantur,eo quòd sibi accipiant,& aliis rapiant,atque hoc modo accipere est aliquid dolo capere, *si quis extollitur,* in superbiam. Extollentia est superbia. Vos,inquit, Apostolus, patienter sustinetis,qui se extollunt de scientia legis,quòd in superbiam eriguntur de nobilitate generis . Quod autē sequitur: *si quis in faciem vos cædit,* hic est distinguendum, & postea subinferendum, *secundum ignobilitatem dico,* & ibi similiter distinguendum . Nam licet singulæ sententiæ sub distinctione proferantur, tamen cum dixit: Si quis in faciem vos cædit , expositi quid esset in faciem cædere,cum subiunxit: Secundum ignobilitatem dico. In facie enim cædere,est improperare alicui ignobilitatē generis,sicut Iudæi improperabāt Corinthiis ignobiles esse genere,quorū partes semper idololatræ fuerunt , dæmones

& lapides pro deo venerantes: se autem præferebant, iactantes se quòd de genere patriarcharum & prophetarũ originem ducerent, de quorum stirpe Christus secundum carnem natus esset. Magna siquidem stultitia est & ignobilitas, aliquem per regenerationem aquæ & spiritus sancti filium dei effectum, iactare aliquid de nobilitate generis, maxime cum dominus dicat, omnes nos fratres esse, quamuis aliqui hunc versiculum ita exponant, quasi ad Apostolum pertineat, vt sit sensus. Ignobilem rem ago, quòd aliquantum de nobilitate generis me extollo, non conuenit iste sensus, quia nondum peruenit ad illum locũ vbi dicturus est, se de genere Patriarcharum esse, sed eo modo est intelligendus, vt diximus. Et ne forte aliquis putaret, ꝙ pugnis, aut aliquo modo in facie corporis diceret eos cædi. ideo taliter locutus est: Si quis (inquiens) in faciem, id est, in præsentiam cædit, improperando aliquid de ignobilitate generis, patienter sustinetis, & præfertis illos nobis. Secundum nobilitatem autem generis dico: vos in faciem siue in præsentiam cædi, non pugnis. *quasi nos infirmi fuerimus in hac parte*, subaudis generis, sic præferunt se nobis illi, & sic pro nihilo ducimur à vobis. De se loquẽs Apostolus & sui causa, subintroducit personam Barnabæ socij sui, qui ex eodem genere Iudaico erat. Ita ergo præferebant se falsi Apostoli ex Iudæis, Apostolo Paulo & Barnabæ, quasi de nobiliori genere orti essent quàm illi: & quasi de dispari genere nati essent illi duo, ita despiciebãt eos. Inde dicit Apostolus: Quasi nos infirmi & ignobiles simus ignobilitate generis, sic se præferunt nobis: & ita etiam à vobis præferuntur nobis: sed reuera illi sunt potius infirmi in hac parte generis, qua se gloriantur: quia dicentes filios se esse Abrahæ secundũ carnem, non sunt veraciter filij Abrahæ per fidem & operationẽ, quoniam non sunt imitatores eius. Nos autẽ sumus firmi & nobiles, quia existentes filij Abrahæ secundum carnẽ, sumus & per imitationem fidei & operationis. Et iste versiculus per se est proferendus & distinguendus. *In quo* subaudis negotio, *quis audet*, subaudis gloriari, *in insipientia dico, audeo & ego* gloriari, ac si diceret aliis verbis: Audent illi gloriari in nobilitate generis, licet insipienter dicam, audeo & ego gloriari de nobilitate generis. Ideo autem ait, Insipientia dico, quia stultum videtur, quantum ad homines pertinet, vt in insipientia aliquis sibimetipsi testimonium laudis exaliquo perhibeat. Apostolus tamen non erat insipiens, quia non sponte hoc agebat, sed coactus, neque pro laude humana: sed vt Corinthios sua laude ad amorem suum retraheret ab amore pseudoapostolorũ. Vel in insipientia dicit se audere gloriari de nobilitate generis, vt illorum gloriã euacuet, qui se iactabant quòd filij essent Abrahæ, quia insipienter agebant. Imprudentem etiã se pronuntiat, & insipienter agere in hoc ꝙ se laudat, de illi prudentes viderẽtur in hac parte ac nobiles, qui se extollebant de nobilitate generis. *Hebræi sunt* illi, *& ego* sum Hebræus. Hebræi dicuntur ad Heber patriarcha suo, Inde dicit Apost. Gloriãtur illi de nobilitate carnis, ꝙ Hebræi sunt: & ego similiter Hebræus sum. *Israelitæ sunt* illi de genere Iacob patriarchę, qui & Israel est appellatus: *& ego*: verè Israelita sum, quia deũ mente cõtemplor. *Semen Abrahæ sunt* amici dei, *& ego* similiter. *Ministri Christi sunt* illi, *& ego*. Minister Christi dicitur, quisquis euangelium prædicat. *Vt minus sapiens dico, plus ego*: subaudis sum minister Christi, quã illi: quia ego plus omnibus laboro: & quicquid prædico, operibus exorno. Illi verò licet in quibusdã rebus bene videantur prędicare, tamẽ non sunt veri ministri Christi, quoniam quòd prædicãt ore, destruunt operibus. In hoc autem appellat se minus sapientẽ esse, q̃ debebat: quia se laudabat, dicens se plus esse ministrũ Christi, quã illos: & eo modo quo se dixit suprà in insipiẽtia agere: eo nũc minus sapere. *In laboribus plurimis*, subaudis seruio Christo. & est sensus, In hoc apparet plus me esse ministrũ Christi, quã illos: quia licet illi qui se mihi præferũt, semper in aliquo laborauerũt: tamẽ plus ego laboraui, quia plurimis laboribus die noctúq; deseruio. Tradũt sancti doctores, ꝙ Apost. à mane vel à pullorũ cantu vsq; ad quintam horã labori manuũ insistebat, vnde victũ acquireret. & exinde vsque ad decimã horam publice disputabat: plerũque tamen & in noctẽ protendebat sermonẽ, sicut tunc fecit quando Euthycus somno grauatus, cecidit de solario per feneſtram. *in carceribus abundantius*, subaudis fui inclusus, quã illi, & est sensus: Et si illi fuerunt in carcere, quos vos extollitis ò Corinthij: ego plus quã illi. *in plagis supra modum*, subaudis afflictus sum. Sæpe plagatus

Act. 20.

est Apostolus à Iudæis & Gentibus, & sæpe virgis cæsus: & si illi (inquit) plagati sunt, ego amplius. Quæstio est in hoc loco, Cum Apostolus alibi dicat, Fidelis deus, qui non patietur vos tentari super id quod potestis: sed faciet cum tentatione etiam proventum, vt possitis sustinere: quare hic dicat supra modum in plagis esse afflictum? quæ ita solvitur. quia multa sustinuit ipse supra modum humanum, & supra virtutem humanæ fragilitatis, sed non supra virtutem diuinam: ideóque potuit ea sustinere & superare: quia virtus omnipotentis dei administrabat ei fortitudinem sufferendi. *in mortibus frequenter*, subaudis fui positus. Et si sæpe fuit in mortibus, quomodo viuebat? In mortibus dixit, pro eo quod est, in periculis mortis, & in desperatione vitæ. *A Iudæis quinquies quadragenas*, subaudis plagas, *vna minus accepi*. Præceptum erat in Deutero. vt quem delinquentem iudices verberabant, ita modum vindictæ temperarent, vt plagarum numerus quadragenarium numerum minime transcenderet: ne forte coram eis frater eorum laceratus iaceret. Quod per quinque vices factum est, hic summatim tangit Apostolus: Nã quinquies flagellatus à Iudæis, accepit plagas triginta nouem, secundum legem Moysi, quasi transgressor eiusdem legis. Refert autem venerabilis Beda librum delatum esse à Roma per Chidonium orientalium Anglorum antistitem, in quo erant omnes labores, passiones, & pœnæ Apostoli, depictæ per loca oportuna, Inter quæ omnia erat depictus Apostolus, quasi denudatus iaceret in terra: & super astabat ei torter quadrifidum habens flagellum in manu, sed vnam è fidibus in manu sua retentam, tres reliquas ad feriendum habebat extentas. Si enim quaternis fidibus peruteret decies quadraginta plagas faceret. Si verò vndecies feriret, quadraginta quatuor ictus impleret. Vel si nouies feriret quaternis fidibus, & decima vice ternis, vna minus quadraginta plagas daret. *Ter virgis cæsus sum*. hoc à gentibus passus est. Hæc autem in Actibus Apost. non omnia reperiuntur: quoniam nec in eis epistolis omnia continentur, quæ in eadem historia habentur. Inuenimus tamen ibi, quia cum venisset in partes Macedoniæ, & esset in ciuitate colonia, iussus est virgis cædi: & alia vice iussit tribunus eum introduci in gẽtiliũ castra, & flagellari ac torqueri flagris.

Actu. 16.

Semel lapidatus sum. Lapidatus est Lystris ciuitate Macedoniæ, pro puella de qua eiecit spiritũ diuinationis, quæ magnum quæstum præstabat dominis suis. *Ter naufragium feci*. Naufragium dicitur nauis fracta: & quod dicit, ter naufragium feci, sic videntur verba sonare, quasi ipse fecisset illud naufragium, sed sensus est, ter naufragium feci, id est, ter naufragium pertuli, Qui ergo sæpissime nauigio vehebatur per mare, non est mirum, si toties naufragium passus est. *Nocte ac die in profundum maris fui*. Licet quidam dicant Apostolũ non esse in mare demersum, ibiq; in profundo aquarũ negẽt nocte ac die mãsisse, tenenda est tamẽ certa sanctorũ patrũ traditio: quia in veritate casu prolapsus est in profundũ maris, vbi circunseptus fluctibus die simul & nocte, post, deo gubernante, liber ad terram rediit. Nũquid ergo ipse qui in exitu filiorũ Israel de terra Aegypti, mare diuisit in diuisiones, & postea Iordanẽ & torrẽtẽ Arnon, qui etiã seruauit Ionã in ventre ceti, & Petro mare calcabile præbuit, nõ potuit etiã militẽ suũ egregiũ prædicatorẽ Paulũ in profundo maris seruare, vt neq; à circũpositis præfocari aquis, neq; à beluis marinis deuorari potuerit. Petens vtique potuit, ideóq; fecit. Deniq; non est amplius mirãdum, Petrum super vndas maris non infusis vestigiis ambulasse, quã Paulum nocte ac die in profundo maris illæsum custoditũ esse. Mystice verò per Paulũ, qui nocte ac die in ꝓfundo maris fuit, & tamẽ domino se protegẽte ad terras liber peruenit, intelliguntur illi iusti qui de profunditate periculorum & perturbationum seculi à domino quotidie educuntur: sed plenius in die iudicij liberabuntur, atq; ad littus æternæ soliditatis perducentur: quia positi inter fluctus huius seculi, non dubitauerunt in fide de misericordia dei. Petrus verò, qui primum non infusis vestigiis incessit, sed postmodum dubitans cecidit inter fluctus: sicque postea à domino eleuatus, & ad terram est perductus, significat semetipsum, qui dubitauit quando negauit, sed à domino releuatus est ad fidem: & significat omnes martyres omnesque iustos, qui in primordio fidei fortiter iucedunt, pro nihilo deputantes sæuitiam persecutorũ: sed postea ingruente tempestate grauissima persecutionis, dubitant in aliquo, sed domini gratia protecti subleuantur, ne penitus cadant in desperatio-

Exod. 14. *Ionæ. 2.* *Matt. 24.*

nem,& vincantur à procellis,atque ad terrã electorũ perducuntur,*in itineribus sæpe,periculis fluminũ*,subaudis fui. Ter rũ conuertit se ad alia pericula memoranda,volens se ostẽdere vexatum secundum carnem pro Christo in terra & mari,& multo plura se sustinuisse quàm pseudoapostolos. Solent tempore hyemis & pluuiarum transgredi flumina alueos suos & nimium intolerabile præbere iter viantibus. Quia ergo Apostolus hyemali tempore solitus erat transire de loco in locum per pedes,sæpe incurrebat fluminum pericula, *periculu latronum* sæpe interfui. Pseudoapostoli & Iudæi increduli immittebat ei latrones:vt quia ipsi nec poterant,nec audebant eum publice interficere,ab illorũ ministris interficeretur.*Periculis ex genere*. sustinuit ipse pericula à Iudæis,fratribus suis secundũ carnẽ,qui do-
Actu. 23. lebãt quòd derelicta lege ad euãgeliũ se conuerterer. Vnde legim°,quia quadam vice Ananias princeps sacerdotũ, præcepit astantibus sibi percutere os eius, & longum est enarrare quoties hoc factũ est.*periculu ex gentibus*. A philosophis gentium & principibus multa incõmoda passus est propter mysteriũ incarnationis filij dei,passionis,resurrectionis,ascẽsionisq; ad cælos,& propter vnius dei culturã, quam prædicabat. *Periculu in ciuitate* sæpe interfuit, quod longum est enarrare.*Periculis in solitudine*. Pericula in solitudine sustinuit à Iudæis,quando factis insidiis voluerunt eũ occidere in via.vel etiam periculis in solitudine interfuit, quia diabolus inuidens ei, non solùm per homines ministros suos eũ persequebatur,sed etiam bestias ferocissimas cõtra eum excitabat.ne auderet de loco ad locũ transire. *Periculis in mari*. Nõ solùm quando ter naufragium pertulit,& quando lapsus in mare, vbi fuit inter medios fluctus die ac nocte,& illæsus permansit: Verum etiam sæpissime pericula in mari sustinuit.Vnde quadam vice impegerunt
Actu.26. nauẽ ad littus,quãdo prora fixa manebat immobilis: puppis verò soluebatur à vi maris:& quando milites volebant omnes custodias occidere,ne quis posset natatu peruenire ad littus.Sed cẽturio hoc prohibuit propter Apostolũ volens eum seruare. *Periculis in falsis fratribus* sæpe interfuit. Falsi fratres hi sunt,de quibus dicit in epistola ad Galatas, quia subintroierunt falsi fratres explorare libertatem nostram. Hi enim partim Christiani erant, partim Iudæi, in neutro

neutro tamẽ perfecti:qui zelo legis & circuncisionis Apostolo inuidentes,insidias ei prætẽdebant. *In labore & ærũna*. Aerumna est miseria & molestia.Potest esse labor sine ærũna,id est,sine molestia & miseria,atque sine aliquo tædio: & ideo addidit ærumna,vt laborem Apostoli ostẽderet esse non sine molestia & afflictione.Solent autem homines laborare in hortis,& viridariis cũ delectatione,causa se exercitãdi,sicut legimus de protoplasto:quia posuit eũ deus in paradiso,vt operaretur & custodiret illũ.Iste enim *Gene.2.* labor sine aliqua molestia erat. *In vigiliis multis*.Aliquando sponte & voluntarie vigilabat, aliquando non sponte,sed ex necessitate: quia positus in pressura & angustia,necesse erat vt vigilaret,dei implorans auxilium:Sicut quado positus in carcere,cum Syla hymnos deo cantabat,quãdo custos carceris splendorem videns in carcere & ostiũ aper-
Actu. 16. tum,volebat se interficere, putans omnes vinctos fugisse, sed hoc Apostolus prohibuit.*in fame & siti*. Persequebatur à Iudæis de loco in locum,& ideo famen sæpissime patiebatur per inopiam & sitim. *in ieiuniis multis*. Multa fuerunt eius ieiunia quæ sustinuit.aliquando volens, aliquãdo nolens. *in frigore & nuditate*. Maximum frigus & maximam penuriam propter nuditatem tunc sustinuit, dum ducere-
Actu.28. tur nauigio Romam,eo quòd appellasset Cæsarem,quãdo exeuntes è naui,venerunt in insulam Melitenam:vbi cum congregasset sarmentorum multitudinem vt se calefaceret,vipera à calore ignis procedens, inuasit manum eius. *Præter illa quæ extrinsecus sunt*,id est,præter illa pericula quæ in corpore sustineo. *instantia mea* id est,perseuerantia mea, *& solicitudo quotidiana omnium ecclesiarum*. Quia longum erat enarrare omnia pericula,& omnes angustias,& tribulationes quas passus fuerat,concluſit, dicens: Præter illa quæ extrinsecus in corpore sustineo, perseuerãtia mea est semper solicitudinem habere,de omnibus ecclesiis,quibus prædicaui. Timebat enim ne forte quibus prædicauerat,à falsis apostolis deciperentur: vel etiam ne propter nimias tribulationes, quas videbant & audiebant Apostolũ pati, deficerent à fide.*Quis infirmatur, & ego non infirmor*? Propter nimiam dilectionem intantum compatiebatur infirmis,vt etiam ipse videretur infirmari,illorum infirmitatem suam reputans,more medici & procuratoris infirmi agẽs,

qui videns ægrum tristari & dolere, particeps est eius doloris mœrorisque. *Quis scandalizatur, & ego non vror?* Quantū ad hunc locum pertinet: scandalizari est carnis pati desideriū, & contristari atque affligi calore corporis, & aestuare vitiorū accendi. Vri similiter est calore libidinis totius corporis ardore æstuari, Scandalizatur ergo aliquis quādo nō sponte illectus pulchritudine mulieris, aut propriæ carnis calore prouocatur ad libidinem perpetrandam, sed dum inuitus & impræmeditatus hoc agit, scandalizatur sibi, & irascituratq; cōtristatur. Hāc infirmitatē humanæ naturæ cōsiderās Apostolus, quæ nimiæ fragilitatis est, dicit se vri, vt consulat talibus, cōpatiens infirmitati consentit nec condemnat huiusmodi talia sustinentes: sed cōmonet in humilitate sermonis, dicens se similia pati: vt si ille qui tantā gratiā consecutus erat, adhuc desideria carnis pariebatur, & magister gentiū erat, non desperarent illi, qui infirmioris gratiæ adhuc erāt, si talia paterentur, sed spe promissi præmij repugnarēt stimulis carnis, sicut ille repugnabat, ne qui eorum hæc ab illo audiebant, desideriis carnis victi in desperationē laberentur. Plus enim est vri quàm scādalizari, acsi diceret: Patitur aliquis & affligitur à desiderio & nimio ardore cōcupiscentiæ, & ego nō solùm affligor, sed etiam quod est maius, vror, & quodammodo incendor. Nimiā enim cōcupiscentiā carnis patiebatur, quādo dicebat. Infœlix ego homo, id est miser ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et illud: Video aliam legem in mēbris meis, repugnātē legi mētis meæ, & captiuū meducētē, id est captiuare volentē in lege peccati, quæ est in membris meis. Nos igitur si volumus coronari cū Paulo Apostolo, certemus viriliter, sicut ipse certauit: quatenus omnia oblectamenta vincamus, quia non potest coronari, nisi qui legitime certauerit. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt,* subaudis in his *gloriabor.* Oportebat illum vtique gloriari, & enumerare suas passiones, nō pro se, vt ille aliquid exinde cresceret apud deum, sed pro illorum salute quos volebat ab amore falsorum Apostolorū ad suum reuocare, & vt se etiā aliis in exemplum præberet & imitabilem. Infirmitatis autem nomine cōprehēduntur omnia incōmoda & persecutiones atq; passiones, quas pro Christo libenti animo pertulit, & est sensus: Si gloriari volūt hi qui

Roma. 6.
Ibidem.

qui vos seducunt & retrahunt ab amore meo, mihi detrahendo, in his glorientur, in quibus & ego glorior, licet inuitus & prouocatus. Manifestum est autem non posse illos gloriari in infirmitatibus & passionibus, quas pro Christo amore & pro mercede æterna, & pro salute fratrum sustinuerūt, an tantū gloriātur de nobilitate generis, quòd filij sunt Abrahæ? de qua ego nolo gloriari: quanquā ex eodē genere originē ducā. Quærunt nōnulli, cū deus per Salomonē dixerit, Laudet te alienus, & non tuum, quare iusti atq; perfecti viri aliquando bona & virtutes narrent, quas diuinitus perceperūt, verbi gratia Sicut B. Iob quoque qui dixit: Pes fui claudo, & pater orphanorum, causamq; quā nesciebam, diligentissime inuestigabam, cæteráque huiusmodi. & Dauid: Si reddidi retribuētibus mihi mala, id est, non reddidi. Apostolus quoque isto in loco multipliciter. Quibus respondendum est, quòd perfecti dū virtutes prò-

Prou. 2.
Iob. 29.
Psal. 7.

prias prædicant, & se apud homines laudant, non idcirco hoc faciunt, vt ipsi apud homines sua ostentatione aliquid proficiant, sed vt eos quibus prædicāt, exemplo suo ad sanctam vitam trahant. In hoc quoque omnipotentis dei sunt imitatores, qui laudes suas hominibus loquitur, quatenus ab hominibus agnoscatur. Nam deus qui nobis prohibet per scripturam dicēs: Laudet te alienus, & non os tuū, ipse per scripturas sacras laudes suas loquitur, dicens ad Moysen: Ego sum deus omniporens, & nomen meum adonay non indicaui eis: & per Isaiam: Ante me non est formatus deus, & post me non erit, quare ergo fecit ipse quod prohibet? Nimirum si virtutes suas & mirabilia ipse taceret, nequaquam eum vllus cognosceret. Si nullus eū agnosceret, nullus amaret. Si nullus amaret, nullus ad vitam rediret. Vnde per Psalmistam de eo dicitur: Virtutem operū suorum annuntiabit populo suo: vt det illis hæreditatem gentium, opera manuum eius veritas & iudicium. Virtutes ergo suas annuntiat, non vt laudibus suis ipse proficiat, aut indigeat: sed dū suam nobis magnitudinem narrat, nostrā ad se imperitiam subleuat. Iusti itaq; cū virtutes suas prædicant, reprehensibiles non sunt: quia dum vitam suam referunt, aliorum animas ad vitam quærunt. De quibus tamen sciendum est, quia nunquam bona sua detegunt, nisi eos aut proximorū vtilitas, aut certe nimia necessitas co-

Exod. 6.
Exod. 44.

gat,sicut nunc Apostolum coegit, vnde ipse dixit:Si gloriari oportet.& reuera oportebat.Ergo si gloriandum est Christiano,in humilitate est gloriandum.

CAPVT XII.

DEus & pater domini nostri Iesu Christi scit quia non mentior. Dicturus rē grene incredibilem.quòd Iudæi incredulī cō tra principes gentiumcōcitassent, regnáque terræ contra eum insurrexerint,nihílque ei nocuerunt,deum rectè inuocat, vt facilius credatur.Ideóque talia commemorat, vt ostendat quāta distantia est inter veros Apostolos,qui tanta pro dei amore sustinebant,quærentes salutem auditorum: & pseudoapostolos,qui auditores suos expoliabant, non quærentes salutem illorum. *Damasci præpositus gentis Aretæ regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum vt me comprehenderent.* Damascus ciuitas est metropolis Syriæ, quam ædificauit Damascus Eliezer, seruus Abrahæ:& interpretatur Damasc⁹, sanguinem bibens.quod bene conuenit illi loco, quia ibi effusus est sanguis Abel.Illa autem hic dicuntur de Apostolo,in exordio fidei eius facta sunt, quem quando cæcatus à domino in itinere,productus est Damascum,vbi mānsit diebus tribus, non videns neque manducans.postea verò baptizatus,& accepto pane confortatus introiuit statim in synagogam Iudæorum, & cœpit publice prædicare nomen domini Iesu.Quod videntes Iudæi succensi sunt zelo & quærebant occasionem quomodo eum perderent. Sed dum per se minime hoc auderent agere,audierunt præpositum ciuitatis super hac re, quatenus illius auxilio & permissione valuerent illum occidere. Qui volens placere Iudæis, & strenuus in officio sibi credito apparere, præcepit custodiri vndique ciuitatem,ne vllo modo viuus effugere potuisset:sed dei auxilio procurante effugere potuisset:sed dei auxilio procurante effugit eo modo quo sequentia manifestant. *& per fenestram* (inquit *in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius.* Sporta, vas est ex iunco & palmarum foliis contextum, in quo deorsum cum funibus demissus est per murum à fratribus fidelibus. Quæstio est in hoc loco,quare Apostolus de Damasco fugerit,

gerit,qui dicebat:Ego non solum alligari in Hierusalē,sed & mori pro nomine domini Iesu paratus sum.quæ hoc modo soluenda est:quia non ideo fugit vt martyrium horreret accipere,sed maluit campum certaminis quærere,& latitudinem gentium petere,quàm iuxta claustra ciuitatis teneri,& occidi,vbi perpauci erant credentes,qui eius martyrio corroborarentur & informarentur, vt similia pati non dubitarent.Quod postea impleuit ipse,dum martyriū sustinendo plurimos ad hoc informauit.Impleuit ergo præceptum domini dicentis:Cum vos persecuti fuerint in ciuitate ista,fugite in aliam.Et reuera seruauit pariter exemplum martyrij & vtilitatem predicationis suæ, quæ postea impleuit.Huius ergo exemplo erudimur aduersariorum pugnam & constanter appetere,& prudenter aliquando declinare. *Si gloriari oportet,non expedit quidem.* Si gloriari me oportet propter salutem aliorum & necessitatem supra dictam,qua compellor, in hoc possunt gloriari:quia cuasi manus persequentium:tamen non expedit, id est, non est mihi necesse vt glorier:quia non elegi superbiam & iactātiam,sed humilitatem, *Veniam autem ad visiones & reuelationes domini,* subaudis de quibus potero gloriari.Visiones & reuelationes domini dicit,quod vnum est,quas ei ostendit dominus. Nunc in sequentibus dicturus est quò sit eleuatus, vt per hoc possimus intelligere quanta & qualia ei ostensa & dicta sunt:ne sicut pseudoapostolis aliisque incredulis videbatur, minor cæteris apostolis in gratia crederetur,quamuis nouissimus sit vocatus,& dominum præsentem in carne non viderit. *Scio hominem in Christo ante annos quatuor siue in corpore,siue extra corpus, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum.* Mos & vsitata cō suetudo est scriptorum,qui nobis sacras literas ministrant, vt quando ab aliquo eorum narratur historia,cum ad scipsum venerint,sic de se tanquam de alio loquātur:sicut fecit Moyses qui dixit, Erat autem Moyses vir mitissimus super omnem terram,& Iob,Vir erat in terra Hus, nomine Iob.Sic B.Matthæus,cum in textu narrationis suæ venisset ad seipsum,Vidit,inquit,publicanum, nomine Matthæum:non dixit,vidit me,sed sic se inseruit ordini narrationis suæ,cum venisset ad seipsum, tanquam rerum gesta rum scriptor,non tanquam suiipsius prædicator,Inusitatius

Mat.19.

Num.12.
Iob.1.
Mat.9.

tamen B. Apostolus non in historiam, vbi rerum gestarum susceipitur explicanda narratio: sed in epistola hoc fecit: sicut isto in loco apparet, vbi loquitur de se causa humilitatis, quasi de alio, inquiens: Scio hominem in Christo mantem, ante annos xiiij. raptum vsque ad tertium cælum. Et quo Apostolus raptus vsque ad tertium cælū, vsque ad illud tempus, quo ista conscripsit, quatuordecim anni completi sunt. Vnde liquido apparet, quia magna necessitas coegit illum patefacere, quod per tot annos in intimo cordis arcano cælauerat. Igitur de his verbis Apostoli, diuersi diuersa sentiunt, quorum opiniones huic loco per longum est inserere, & ad præsens narrare, nisi tantummodo paucas ex pluribus Iulianus Pomerius, vir sanæ prudentiæ, primū cælum dicit isto in loco appellatum esse aerium à quo aues cæli vocantur: secundum Tyler eum, vbi continentur 12 signa cæteráque astra, præter septem planetas, quod & firmamentum appellatur, tertium intelligit spirituale firmamentale, vbi angeli & animæ sanctorum in contéplatione dei sunt positæ, contéplantes super se deum omnipotentem, qui omni creaturæ præsidet. Ita tamen, præsidet, vt in præsidēdo omnia sustineat, sustinendo circūdet, circūdādo impleat. Secundū illius intellectū, ad istud tertium cælum mētale raptus est Apost. Et in hoc quidem bene sensit. Sed secundum B. Aug. adhuc necesse est ad altiora cōscendere, & profundiora scrutari, qui in elucidādis quæstionibus omnes doctores post apostolos præcellit. Quia ergo Apost. non humanas, neque angelicas visiones dicit se enarrare, altius ista inquirēda sunt. Tria igitur genera esse visionum manifestū est: Est visio corporalis, quæ corporeis oculis fit, qua videmus cælum terram atque omnia visibilia & corporea. Et est visio spiritalis, qua ea quæ videmus & audimus in presenti pòst in memoria recondimus: & ea quæ audim⁹ vel vidimus in preterito, modo quasi presentia cernim⁹. Et cū alicubi sint à nobis posita ea quæ vidim⁹ corporaliter, nunc absentes quasi pœnitētia cernimus. verbi gratia: Sū modo per præsentiā corporis Romæ, & cerno ita Carthaginē quam dudū vidi, quasi in præsentia mea sit posita, cum longe sim ab illa remotus. Quæ duo genera visionum communia sunt nobis cum pecoribus & auibus, quæ videmantur per corpus: & eorū quæ videntur, imaginaliter spūs insemantur.

mantur. Vnde & pecora presepia recognoscunt, & aues ad nidos suos reuolant. Nisi enim partem spiritalis visionis, id est, memoriæ haberent, quæ constat solum modo in anima, nequaquam recedentes aues à nidis suis recordarentur illorū: neque animalia recognoscerent presepia. Est & tertia visio intellectualis, quæ nihil est aliud, nisi rationabilitas & excellentia animæ per quā quæ corporaliter videmus, & imaginaliter in memoria retinemus, intellectu discernim⁹. Intellectu igitur discernimus, quod illud sit corpus, illud similitudo corporis, & plerunque quid significet. Hanc intellectualem visionē nullatenus pecora aut volatilia habent: quia nec seipsa intelligūt, nec illa quæ oculis cernunt. Postremo corporalis visio sine spiritali esse non pōt. quę sit in anima solū modo. Spiritalis verò sine corporali esse potest, vnde absentes homines recordamur, & in tenebris ea quę videmus imaginaliter cernimus, insuper & somnia. intellectualis nempe nec corporali indiget, nec spiritali. Intellectu nanque nec corpus videmus, nec imaginem corporis. Per hunc quippe videtur iustitia, charitas, ipse deus, ipsa mēs hominis, quæ nullū habet corpus, nullā soliditatē corporis. Quapropter ista diuisio intellectualis transcendit & precedit illas duas præmissas, corporalē scilicet ac spiritalē. Quod probare possumus ex volumine Danielis prophetæ, vbi legimus, quia cū Baltasar epularetur & potaret opipare siue splendide in vasis tēpli domini, quæ asportauerat Nabuchonosor auus eius de Hierusalē, vidit articulos man⁹ scribētis in pariete aulæ regiæ. vidit corporali visione, cōtinuóq; per corporis sensum imago rei corporaliter factæ, spiritu eius impressa est: atq; ad alia⁹ dū se verteret, licet corporaliter illa non cerneret, sed spiritali visione & memoria videret, videbat in spiritu, id est, in anima, & non intelligebat quid significaret: quia nō pleniter habebat intellectualē visionē, licet aliquid inde haberet. Vnde apparet quia nō in omnib⁹ hominibus viget. Intelligebat signū esse quod videbat, id habens ex mentis officio. i. ex intellectuali visione, & quia requirebat quid significaret, etiā ipsam inquisitionē vtiq; mentis intellectus agebat. Quo non cōperto, Daniel accessit, & quia intellectualē visionē habebat, spiritu prophetico mēte illustratā perturbato regi qd illo signo portenderetur aperuit. Ipse potius propheta per

Dani. 5.

hoc genus quod mentis est proprium, potuit intelligere ac dicere quid significaret, quam ille qui in signū factum corporaliter viderat, & eius imaginem in spiritu cogitando cernebat, nec aliquid intellectu nosse poterat nisi signum esse: & quid significaret vt intelligere inquirere. Tres igitur cæli non absurde possunt intelligi tria genera visionum, de quibus hactenus locuti sumus. ita tamen per primam visionem intelligamus quicquid intra ambitum syderei cæli continetur pariter cum ipso, quod & firmamentum appellatur. Per secundum cælum spirituale, vbi angelica natura & animæ sanctorum in contemplatione dei sunt positæ. Per tertium verò cælum intelligitur iam intellectualis visio & rationalis, qua intelligendo conspicitur charitas, pax, gaudium, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continentia, cæteráque huiusmodi, quibus propinquatur deo, & quibus ipse deus videtur, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ad quam, id est, intellectualem visionem, quæ designatur per tertium cælum, raptus & eleuatus est Apost. Pau. vbi, id est, intellectuali visione non solum ea quæ in spiritali cælo sunt intelligendo vidit, sed etiam ipsam dei substantiam, verbum domini, per quod facta sunt omnia, in charitate spiritussancti, non per corpus, non per similitudinem corporis, sed sicut est ipsa veritas, contēplatus est in hac vita, videlicet quomodo de-
Rom.11. omnipotens, trinitas sit in personis, & vnitas in substantia sicut videndus est ab omnibus sanctis post generalem resurrectionem. Quæstio verò non modica isto in loco oritur, quomodo ipsa Dei substantia à quibusdam in hac vita positis videri potuerit, propter illud quod dictum est ad
Exod.10. Moysen, nemo potest faciem meam, id est, in inuisibilitate
Ioan.4. meam videre, & viuere: & propter illud, Deum nemo hominum vidit vnquem, in mortali vita ex toto positus. Quæ ita soluitur, quia potest humana mens, id est intellectus & rationabilitas animæ diuinitus rapi ex hac vita ad angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne soluatur, sicut credendum de beato apostolo, vbi à deo facta est ab huius vitæ sensibus, quædam intentionis auersio. Tam euidens tanquam manifesta fuit eadem visi intellectualis, vt siue in corpore, siue extra corpus fuerit, id est, vtrum (sicut solet) in vehementiori extasi vel excussu ab hac

hac vita mens in illa vitam fuerit alienata, manente corporis vinculo, anima videlicet in corpore: an omnino talis resolutio facta fuerit, qualis in plena morte contingit, anima recedente, ipse se nescire profiteatur. Quapropter nec à nobis est quærendum, ne contra illud agamus quod dicitur, Altiora te ne scrutatus fueris. Ita fit vt & illud verum sit quod dicitur: Nemo potest faciem meam videre, & viuere: quia necesse est ab hac vita abstrahi mente, siue intellectu, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur. Et non fit incredibile, quibusdam sanctis nondum ita ex toto defunctis, vt sepelienda cadauera remanerent, etiam istam excellentiam visionis fuisse concessam.

Superiorum epilogus.

TRes cæli significāt tria genera visionum, quarum prima est corporalis, qua videmus cælum & terram, cæteráque corporea, & visibilia. Secunda spiritalis, quæ fit in anima siue intellectu, cum imagines eorū quæ videmus in memoria recondimus: & in tenebris ea quæ vidimus, imaginaliter cernimus insuper & somnia, & ædificia, & homine, quos dudū vidimus, sic spiritali visione videmus in anima, quasi præsentes sint nobis. Istæ duæ visiones cōmunes sunt nobis cū pecoribus & volatilibus, quæ & corpora vident, & loca propria recognoscunt. Sic pecora agnoscunt præsepia sua, & aues ad nidos suos redeunt: quia recordātur illorū. Est & tertia visio intellectualis, quam nullatenus habent pecora & volatilia, sed angeli & homines ratione vtentes. Vnde intellectus, id est ratio, tamen nō in omnibus hominibus æqualiter viget. Intellectu autē siue ratione discernimus, ꝙ illud sit corpus, illud similitudo corporis: & per hāc visionē videtur iustitia, charitas, ipse deus. Ad istā ergo visionē intellectualē, quę est tertia, & quę designatur per tertiū cælū, quæ etiā trāscēdit sua excellētia duas præmissas, ita raptus & eleuatus est beatus Apostolus, vt deum non per corpus, non per similitudinē corporis, sed sicut est ipsa veritas, cerneret, & sicut videndus est post hanc vitam ab omnibus electis. Quæ visio tam euidēs tamꝙ manifesta fuit, vt ipse Apostolus se profiteatur nescire vtrū quando raptus est in tertium cælum, in corpore fuerit, quomodo est anima in corpore cum corpus viuere dicitur, siue vigilantis, siue dormientis siue in extasi à sensibus corpo-

ris alienata, an omnino de corpore exierit, vt mortuum corpus iaceret, donec peracta illa demonstratione membris mortuis anima redderetur, & non quasi dormiens euigilaret, aut extasi alienatus, denuo rediret in sensus. sed mortuus omnino reuiuiscceret. *Et scio huiusmodi hominem, sine in corpore, sive extra corpus, nescio, deus scit, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Bis raptum se dicit Apostolus, primum ad tertium cælum, postea in paradisum: non in illum paradisum terrenum, vbi quondam fuit protoplastus, sed in cælestem paradisum. Nam paradisus interpretatur hortus delitiarum, & significat beatitudinem electorum, cælestem scilicet requiem, ad quam raptum se dicit Apostolus eo modo quo ad tertium cælum, vbi audiuit arcana verba, id est occulta secreta, atque ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Inter ipsos spiritales viros cælestem vitam ducentes, sunt vtique alij aliis capaciores, atq; meliores, intantũ vt ad ea peruenerint, quæ nõ licet eis aliis loqui. De talibus erat Apost. qui audiuit in paradiso ineffabilia verba, quæ nõ licet homini loqui. i. aut ille qui audiuit, nõ potest ea aliis narrare propter ineffabilitatẽ illorũ, aut nõ permittitur ei, aut si tãtę dignitatis est vt permittatur ei loqui, & possit aliis narrare, illis qui audiũt nõ licet ea loqui, quia nõ valẽt ea capere ob magnitudinẽ mysteriorũ. *Pro huiusmodi*, subaudis visionibus dei manifestissimis, *gloriabor*, lætabor, gaudebo, & exultabo. *Pro me autẽ*, id est pro mea extollẽtia & laude, vel pro mei meritis, *nihil* gloriabor, quia gratia dei sum id quod sum, *nisi in infirmitatibus meis.* Infirmitatis nomine cõprehẽdit omnia incommoda & passiones quas sustinebat pro Christi nomine, in quibus ipse gloriabatur. *Nam & si voluero gloriari*, subaudis propter meritũ quod habeo apud deum, *non ero insipiens*, illud narrando. Quare? *Veritatẽ enim dicam.* Hoc dicit, quia si meritum suũ profiteatur quod habebet apud deum, non erit imprudens, quia veritatem loquetur: Ergo si quis pro vtilitate & ædificatione aliorum bonũ sibi diuinitus concessum cum humilitate narrat, non agit insipienter, quia veritatem loquitur. Qui verò bonũ quod habet, propter iactantiã aliis prædicat, deputans illud suis meritis: vel quod nõ habet, dicit se habere, insipiens & nimium est imprudens: quia mendaciũ loquitur. *Parco autem*, id est

id est dimitto narrare gloriam meam & meritum atq; gratiam, *ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Nolebat Apostolus narrare gratiam sibi largitam, quia nolebat maior apparere & sanctior quã erat. Inde dicit. Idcirco nolo gloriari, & dimitto omnem gratiam mihi concessam, ne quis putet meliorem sanctioremque esse supra id quod videt in mea conuersatione: aut supra id quod audit ex me ab aliis. *Et ne magnitudo reuelationum extollat me*, subaudis in superbiam, *datus est mihi à domino, stimulus carnis meæ, angelus sathanæ, qui me colaphizet.* Quidam dicunt Apostolum dolore capitis laborasse, quidam à diabolo de ardore libidinis tentatum & afflictum, quod verius est. Ne ergo in superbiæ tumorem extolleretur, permissus est tentari à diabolo de ardore libidinis, quam appellat stimulum carnis. Vt enim dicunt doctores, stimulus proprie timoris & libidinis est, ipsumque stimulum carnis, à quo pungebatur & accendebatur, vocat angelum satanæ, id est nuntium diaboli, quia à diabolo immittebatur ei illa talis stimulatio concupiscentiæ. at quandocũque Apostolus patiebatur illam stimulationem, sciebat illam à diabolo sibi immitti. Sed dominus qui permittebat eum colaphizari, id est affligi & tribulari à tẽtatione diaboli, ne in superbiam erigeretur, cognoscendo suam fragilitatem, ipse vtiq; custodiebat eum ne in vitiũ libidinis caderet. Vnde apparet, quia per venenũ fugabat venenũ. Venenũ libidinis & tẽtatio carnis fugabat illo ab venenũ superbię. Dedit nanq; ei dominus antidotũ tyriacũ, quod de serpente conficitur, qui vocatur Tyrus, siue tyriacus, à quo & tyriacum appellatur, & fugat venenũ aliud. A quo tentabatur de libidine, ab illo sanabatur à vitio superbiæ, quia à domino acceperat contra venenum superbiæ antidotũ tyriaticum, quod gustatum venenum pellit. Erudire quippe volẽs dominus electos suos, & custodire in humilitate virtutum, permittit eos tentari sæpe: sicut egregiũ prædicatorem à diabolo permisit tentari, ne magnitudine reuelationum extolli potuisset ipsamque tentationem sic disponit, vt qui elati perire poterant in humilitatis gradu consistentes, à perditione & præcipitatione seruentur. Quapropter si quis tentationem aliquam sustinet, non debet desperare, neq; deficere, sed cũ dei adiutorio decerta-

re vt vincat. *Propter quod*, subaudis impedimentum libi-
Esaiæ. 58. dinis, *ter dominum rogaui vt discederet à me* stimulus carnis,
Ioan. 13. siue angelus satanæ. Quæri potest isto in loco, Cum do-
minus dicat per prophetam de quolibet electo, Adhuc
te clamante dicam, Ecce assum: & in euangelio. Omnia
quæcunq; petieritis in nomine meo, fient vobis, quare ergo
mius apostolorum orans liberari à tentatione diaboli &
stimulatione carnis, non sit exauditus? Sed sciendum est
quia ideo non est exauditus, quia non petebat in nomine
Iesu, id est quod ad salutem suam pertinebat. Nesciebat
enim petere pro se quod sibi vtile erat, sicut alàs ipse dicit.
Nam quid oremus sicut oportet, nescimus. Si ergo esset
exauditus, vt ab illo recederet tentatio diaboli, concupi-
scentiq; carnis, poterat euenire vt cito in superbiam ex-
tolleretur. Et ne nimium contristaretur, audiamus quid ei
dixerit dominus, siue per angelum, siue in corde, aut alia
reuelatione. *Sufficit tibi gratia mea.* Gratia isto in loco in-
telligitur quicq id donorum gratis datum est Apostolo
Paulo, videlicet quòd de cælo vocatus est, quòd fidem ac-
cepit vt crederet, quòd remissionem omnium peccatorum
in baptismate percepit, quòd ad gratiam, apostolatus &
prædicationem gentium electus est, quòd sapientiam præ
omnibus apostolis à deo percepit. & quòd ad visiones &
reuelationes domini ad tertium cælum raptus est, necnon
quòd verba ineffabilia audiuit in paradiso, de ista gratia
dixit ei dominus: Sufficit tibi gratia mea. Ideo noli orare
pro stimulo carnis, ne forte in superbiam labaris. *Nam vir-*
tus in infirmitate perficitur. Virtus, id est perfectio virtutis,
infirmitate carnis & labore atque tentatione perficitur,
ipsa infirmitas patienter sustinetur, & contra tentationem
concupiscentiæ viriliter pugnatur. *Libenter igitur gloriabor*
in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Postquam
cognouit prodesse sibi quod nocere putabat, respondit
que accepit a domino, quòd perfectio vitæ omnium
virtutum in infirmitate perficitur, libenter se dicit
riari, id est gaudere & lætari in suis infirmitatibus,
in suis passionibus, quas pro Christo sustinebat, vt in eo
dignaretur habitare virtus & gratia, siue perfectio omnium
donorum Christi. Ergo quia aliter perfectionem virtutum
habere non possumus, nisi tentamenta & oblectamenta
carnis

carnis patienter sustinuerimus. pugnando tamen contra
vitia, certemus cum Apostolo, vt in nobis habitet virtus
& gratia donorum Christi, paritérque cum illo corone-
mur in cælesti regno. *Propter quod*, subaudis vt inhabitet
in me virtus Christi, *placeo mihi in infirmitatibus meis*. non
in prosperitate & diuitiis huius seculi, sed *in contumeliis*,
id est, flagellationibus vel opprobriis, non in honoribus
seculi, sed in necessitatibus, non in epulis vel otio, sed *in*
persecutionibus, non in saluationibus, sed *in angustiis*: non
in iactantia elationis, & hoc *pro Christo* patior, non pro
aliquo crimine. *Cum enim infirmor*, subaudis in corpore,
tunc potens sum, subaudis in anima. Vnde caro atteritur,
affligitur, & infirmatur, inde anima roboratur & cre-
scit. *Factus sum insipiens*, subaudis mea merita & virtutes
proprias narrando, sed tamen *vos me coegistis*, ad hoc,
quos ab amore falsorum Apostolorum ad nostrum volui
reducere. Insipientem se dicit: sed vtique non est insi-
piens, quia vera locutus est: & licet pro salute aliorum co-
actus suas virtutes narraret, tamen de humilitatis gradu
non cecidit. *Ego enim debui à vobis commendari*, id est lau-
dari. *Nihil enim minus feci* in prædicatione, & virtute mi-
raculorum, *ab his qui sunt supra modum apostoli*, id est à Pe-
tro Iacobo, & aliis prædecessoribus meis, qui à meis detra-
ctoribus dicuntur supra modum meum esse magni apostо-
li. *Tametsi nihil sum*, id est quamuis nihil sim comparatio-
ne illorum, *signa tamen apostolatus mei*, id est miracula fa-
cta *sunt* à me *super* vos siue in vobis, quia mortuos vestros
suscitaui, & infirmos curaui. *Quid minus habuistis præ cæ-*
teris ecclesiis, nisi quòd non grauaui vos? Nihil accipiens à vo-
bis. *Donate*, id est indulgete *mihi hanc iniuriam*, si iniuria
dicenda est. Ironice loquitur. Re enim vera iniuria non
erat, sed consideratio. *Ecce tertio hoc paratus sum venire*
ad vos. Quæri potest: Cum non legamus illum venisse
ad eos, nisi tantummodo vna vice, quando moratus est
apud eos anno vno & dimidio, neque postea quàm ab eis
discessit, sicut ipse, in priori epistola dicit, quia testor
deum non veni Corinthum postquam à vobis recessi, par-
cens vobis, id est ne vobis oneri essem, quare modo dicat
se tertiò venire? Sciendum est quia per præsentiam car-
nis vna vice tantummodo venit, quando eis prædicauit:

Secundo per priorem epistolam venit, non per semetipsum. Tertio per istam secundam epistolam dicit se venire: quasi enim in epistolis suis veniebat ipse: *& non ero grauis vobis*, id est nihil accipiam à vobis. *Non enim quæro vestra sed vos*, id est vestram salutem. *Ego libentissime impendam*, subaudis vobis omnia quæ mea sunt, in prædicatione, & miraculis: *& super impendar*, id est morti me tradam *pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar*, subaudis à vobis. *Sed esto. Ego vos non grauaui.* Esto proprie aduerbium est concedentis, & ponitus pro Etsi: isto autem in loco hunc obtinet sensum: Sed estò, id est si minus diligar à vobis, ego tamen vos non grauaui in aliquo. *Sed cum essem* (inquit) *astutus, dolo vos cepi?* Increpatiue atque interrogatiue est legendum: Cum essem (inquit) callidus & ingeniosus, dolo & fraude vos cepi ad fidem Christi? Non, sed per prædicationem veram & virtutem miraculorum adduxi vos ad fidem, cooperante Christo. *Olim putatis quòd excusemus nos apud vos.* Subaudis non facimus, quia non est necesse. hoc dupliciter intelligi potest: Nunquid à præterito tempore dubitatis de nobis, arbitrantes nos ideo talia loqui, quasi non simpliciter agamus erga vos, & idcirco nos accusemus? Non loquimur ideo talia, vt nos excusemus, quia simpliciter incedimus. Aliter: Olim putatis quòd excusemus nos apud vos. & est sensus, A præterito tempore cognoscitis conuersationem nostram & prædicationem: & ideo non indigemus, vt nos excusemus. *Coram deo* patre *in Christo loquimur*, id est honorem Christi quærentes, Testificatur illis ad satisfaciendum, quia vera dicit: Testis est mihi deus pater & Christus, cuius honorem quæro, qui simpliciter incedo erga vos. *Omnia autem*, subaudis incommoda, *sustinemus propter vos. Ne iterum cum venero, humiliet me deus apud vos*, id est affligat in ieiuniis & fletibus propter vestram incorrectionem. Apostolus non habebat peccata propria quæ defleret, & ideo aliorum deflebat.

CAPVT XIII.

Ecce tertio venio ad vos. Primum per me-
E metipsum, deinde duab⁹ vicibus per epi-
stolas meas. *Vt in oreduorũ vel triũ testiũ stet omne verbum.* Tres testes comparat tribus suis aduentibus. Sicut

Sicut in lege aut tribus testibus defendebat se aliquis, aut tribus testibus cõuincebatur: Ita isti aut tertio aduentu illius correcti & emendati, laudati sunt: aut si incorrecti manserunt, acrius reprehensi ab Apostolo, vindictam perceperunt. *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis.* ac si diceret: Nunquid quæritis probationem Christi, qui in me loquitur, vtrum valeat peccata vestra punire per me qui in vobis est omnipotens miraculis & virtutibus faciendis? Vtique potest. *Nam si crucifixus est Christus ex infirmitate* carnis, *sed viuit ex virtute dei*, id est, in diuinitate sua manet impassibilis. *Nam & nos* Apostoli *infirmi sumus in illo*, id est, tribulationes & angustias sustinemus propter illum, *sed viuimus cũ eo ex virtute dei in vobis*, id est propter vos quibus prædicamus. Viuimus iam cum illo in spe per virtutem dei quæ est in nobis, vel propter vos speramus vitam habere cum Christo. *Oramus autem non vt nos probati appareamus, sed vt vos quod bonum est faciatis, nos autem vt reprobi simus.* Probus siue probatus apparet iudex, quando inuenit quod puniat in subiectis, per quod ostendat suam potestatem. Tunc verò videtur reprobus, quando non inuenit quod vindicet, vbi suam ostendat authoritatem, & probet iudicium. ac si diceret: Non oramus vt in vobis aliquid inueniamus ad puniendum, sed vos quod bonum est faciétes, nos reprobi inueniamur in hac parte, non inuenientes vbi ostendamus nostram potestatem. *Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate*, id est, non possumus nostrã potestatem ostendere contra hominem veritatem habentem, sed pro veritate decertamus. *Gaudemus quãdo nos infirmi sumus* non corpore, sed potestate, quia tunc est iudex quasi infirmus, dum suam potestatem non potest ostendere: & tunc subiecti sunt potentes, quando non timent iudicem. *Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas dei, & cõmunicatio*, id est, societas & cõiunctio *spiritussancti cum omnibus vobis*, subaudis sit. *Amen.* Fiat vt diximus, &c.

FINIS.

IN EPISTOLAM AD GALATAS argumentum Haymonis.

PRimo quærendum est in exordio huius epistolę vnde Galatæ sint appellati: Rex Bithyniæ, quæ est prouincia Græciæ, habēs bellū contra hostes suos, misit ad Gallos circa mare habitantes, promittens vt si venirent in auxiliū eius, facto bello & potita victoria, regnum diuideret cū eis, Qui cū venissent & victoria potiti essent, regnum cū eis diuisit vt promiserat, appellatique sunt primū Gallogræci, hoc est, Galli mixti Græcis, partes regni quā ipsi tenuerant, appellata est Gallogræcia. i. Galli commorantes in Græcia. Postea autē (vt sapientioribus videtur) appellati sunt Gallatæ à candore corporis. Nā Græcè lac galla dicitur. Vnde & candida zona cœli quæ latinè lacteus circulus vocatur. Græcè galaxias nuncupatur. vt Martianus asseuerat. Sunt ergo strenuissimi bellatores, sed stulti, & facile à proposito mētis recedentes. Vnde cū accepissent verbū prædicationis ab apostolo, & Apostolus ab eis ad alios transiret, seducti sunt à falsis apostolis & à Iudæis, qui volebāt eos sectari circuncisionē & sacrificia legalia, dicētes: Licet baptizati sitis, & in Christū credatis, tamen aliter nō potestis saluari per passionem Christi, nisi circuncidamini, & legalia sacrificia offeratis. Quod audiēs Apostolus, scripsit eis ab Epheso hanc epistolam.

IN EPISTOLAM PAVLI ad Galatas Exegesis.

CAPVT I.

Paulus. Quod nomen suum in omnibus epistolis præponit in titulo, auctoritatis causa id agit, sicut reges & principes huius seculi solēt agere. *Apostolus* dignitatis nomen, & græcum est, hoc quidā dicant Hebræū illud esse. Apostolorum genera quatuor sunt. Primū est, quod neque ab hominibus, neque per hominem, sed à deo tantummodo: de quorum numero fuerunt Moyses, Isaias: Ieremias, aliique prophetæ quam plurimi,

plurimi, licet non omnes: & apostoli etiam, qui quamuis ab homine Christo essent missi, tamen ipse homo erat, & verus deus. Secundum, quòd à deo quidem est, sed per hominem, de quorū numero fuerat Iosue, qui deo volente per Moysen missus est: & alij multi, qui electione populi pro vitæ meritis deo volente eliguntur, quia voluntas dei, aliquando voluntas populi est. Tertiū, quando ab homine tāmmodo & nō à deo cum fauore hominū aliquis eligitur, non pro bona conuersatione, vel quando pretio subrogatur in sacerdotiū, de quibus dicebat. B. Ambrosius. O episcope, certe nisi centū solidos dedisses, hodie episcopus nō fuisses. De quibus in lib. Regum dicitur: Tēporibus Ieroboam quicūque implebat manum suam muneribus, fiebat sacerdos idolorum. Ideóque isti tales inter eos sunt reputandi, de quibus dominus per prophetam dicit: Ipsi veniebant, & ego non mittebam eos. Omnes quotquot venerūt, fures sunt & latrones. Quartū genus est, quod neque à deo, neque per hominem fit, sed à seipso, vt sunt pseudoprophetæ & pseudoapostoli, qui dicunt: Hæc dicit dominus, cū dominus non miserit eos, Sciendum etiam, quia inter ipsos prophetas quidam tantæ dignitatis sunt, vt Prophetæ & Apostoli sint, vt Moyses, Isaias, Ioannes Baptista, & Apostoli: quidam verò solummodo prophetæ sunt. Et quia erant apud Galatas quidam Iudæi, qui dicebant beatū Paulum non esse verum Apostolum Christi, neque doctorem veritatis, eo quòd à Christo non fuerat vocatus & doctus, sicut alij Apostoli: Idcirco volens Apostolus Galatas confirmare in doctrina sua, & se verum Apostolum ostendere & prædicatorem Christi, dixit se non ab homine mortali in terris esse doctum & constitutum, se ab omnipotēti deo de cœlis, non ꝙ neget Christum verum hominem, sed iam immortalē effectū. Quid ergo docuit Petrum per præsentiam suā in terris adhuc mortalis, ipse docuit Paulū iā immortalis de cœlo, & ideo dicit: *nō ab hominibus*, subaudis cō stitutus sum, vt Matthias, qui sorte ab apostolis est electus. *neque per hominē*, subaudis iam mortalē, *sed per Iesum Christū, & deū patrem.* quia vna est operatio patris & filij. Et vt ostenderet vnius esse dignitatis illas duas personas, præposuit personam filij dei, patris personæ, paritérque Arriano um dedit errorem, qui dicunt filiū creaturā esse, ideóq;

3. *Reg.* 13. *Hier.* 23.

minorem parte. *qui suscitauit eum à mortuis.* Deus pater tertia die filium suum à mortuis suscitauit, & ipse filius testate verbi à quo assumptus est, seipsum suscitauit: & *qui mecum sunt fratres omnes,* id est omnes condiscipuli & credentes, eadem sentientes de circuncisione. Quid est q̄ in aliis epistolis quorundam discipulorum suorum nomina ponit, & hic specialiter non quemlibet, sed generaliter omnes comprehendit? Ideo hoc egit, vt maioris authoritatis esset eius epistola, vel vt demonstraret omnes condolentes de illorum seductione, & q̄ omnes æqualiter sentirent de circuncisione, quod non deberent circuncidi, neque sacrificia legalia offerre. Quid est etiam q̄ in hac epistola, episcoporum, presbyterorum, diaconorum mētionē non facit, sicut in aliis? quia necdum habebant episcopos ordinatos, neq; alios rectores: ideóque seduci facilius potuerunt. *Gratia vobis & pax,* qua reconciliamur domino, *qui pro peccatis nostris tradidit se morti, vt eriperet nos de præsenti seculo nequam.* Seculum dicitur à sequendo, quia semper sequitur & in se resoluitur. Seculū ergo non potest esse nequam neque malum, quia semper seruat ordinem suum & cursum secundum dispositionem dei, alternantibus diebus ac noctibus: sed sicut dicitur mala domus, non q̄ mala sit per se, sed quòd malos habeat habitatores: ita seculum vel tempus dicitur malum esse, non quòd malum sit, sed quòd pessimos & malos homines in se habeat. Et bene addidit, *secundum voluntatem dei patris:* quia voluntas dei patris fuit, vt filius per passionem suam genus humanum repararet. *Amen.* Amen Hebræum est, & est confirmatio epistolæ. Sonat ergo Amen, vere, siue fideliter, & fiat. *Miror quòd tam cito transferimini.* Mirari se dicit Apostolus quare tam cito potuerint solis verbis à veritate euangelij seduci, & à libertate in seruitutem redigi, & quòd ab euangelio Christi quod ei tradidit, potuerunt mutari, & transferri *in aliud euangelium,* id est, in aliam doctrinam, *quod non est aliud* subaudi euangeliū præter illud quod prædicaui. Euangelium autē dicitur bona annūciatio. Et si aliqua doctrina efficax per se dominus, aut per aliquē nō dederit, iam nec euangelium dici potest, sed error. Transferimini .i. transducimini vel seducimini *ab eo* .i. à deo patre, *qui vos vocauit in gratiam,* id est remissionē peccatorū, quam nobis deus pater gratis dedit

dedit siue p passionē filij sui, siue per baptismū, *in aliud euāgelium.* Aliud euangelium nō est, nisi Christi. Traditio ergo Iudæorum & doctrina, qua dicebant debere circuncisionem seruare, & cætera quæ lex præcipit in mysteriis, error est, postquam Christus venit. *nisi sunt,* id est, sed sunt *aliqui qui vos conturbant,* id est, commouent à rectitudine fidei, *& volunt conuertere.* volunt quidem mutare *euangelium Christi* à spiritualibus ad carnalia, sed non valent: quia firmissimum & verum est. Euangelium enim si mutatum fuerit, non erit iam euangelium. Et licet aliqui possint mutari à rectitudine euangelij, semper euangelium immutabile manet. *Sed licet nos,* id est ego & Apostoli Christi, Petrus & alij, *aut angelus de cælo,* Michael, aut Gabriel, *euāgelizaret vobis præterquam.* id est præter hoc euangelium, *anathema sit.* Anathema varias habet significationes. Aliquando ponitur pro occisione, vt idem Apostolus alibi dicit: Optabam ego anathema fieri pro fratribus meis, id est cupiebam occidi corporaliter pro eis. Aliquando pro maledictione, vt in canonibus habetur. Si quis hoc vel illud fecerit anathema, id est maledictus sit. Alio loco pro separatione, vt hic. *Sicut prædixi,* subaudis præsens, ita modo absens, vel sicut prædixi paulo superius in præcedenti versiculo: *ita nunc iterum dico, præter quod accepistis,* subaudis à me. *Modo enim hominibus suadeo an deo?* Sensus talis est: Suadeo, id est, hortor modo homines credere in Christum, & perseuerare in fide eius, an suadeo deo aliquid noui facere cui, omnia patent præterita atque futura? Hominibus suadebat in Christum credere, deo verò non suadebatur vt aliquid nouum faceret. Tunc suaderet Apostolus deo aliquid noui facere, si circuncisionē ipse primus destrueret: Sed quia Christus legem implendo, euacuauit illam, ideo non suadebat Apostolus deo, sed quæ ostendit ipse debere se iuuari, illa docebat. *Sed si adhuc hominibus placerem.* i. si placerem Iudæis, à quibus ortus sum, permanendo in iudaismo, vel hominibus malis, vt hæreticis, *Christi seruus non essem.* Hoc debet vnusquisque prædicator attendere, vt Christum & prædicationem eius quærat placere auditoribus suis, non seipsum. Si verò vtrunque potest fieri, vt & deus diligatur, & ipse, bonum est. Quòd si Christus non placet eis, nec ipse placabilē se præbere de-

bet illis. *Notum vobis facio fratres euangelium, quod euangelizatum est à me,* id est prædicatum & probatum: *quia non est secundum hominem,* id est, secundum traditionem scribarum & phariſæorum. Euangelium quod ſecundum hominem dicitur eſſe, non eſt euangelium. Omnis enim homo mendax, & quicquid inuenitur in homine veritatis, nō eſt ab homine, ſed à deo per hominem. *Neque enim ego ab homine accepi illud,* id aliquo Apoſt. Et ſi accepi à domino Ieſu Chriſto de cælo, iam immortalis erat. Inter accipere & diſcere euangelium, hoc intereſt, quod accipit euangelium cui primum inſinuatur, & fide eius accipit: diſcit verò, quia ea quæ in eo per enigmata & parabolas à domino prolata ſunt, deo reuelante, vel homine docente, penetrare valet. *ſed per reuelationem Ieſu Chriſti,* id eſt, manifeſtatione diuini euangelium. De qua reuelatione dicit? Tradunt doctores plenitudinem euangelicæ doctrinæ per illud triduum ſpiritu ſancto reuelante, Paulum didiciſſe, quando manſit in Damaſco tribus diebus, non videns lucem ſolis neque diei, ſed neque manducans neque bibens. Vel etiam tunc accepit, quando ſicut ipſe dicit, quadam die cum eſſet in templo, in extaſi poſitus eſt. *Audiſtis enim conuerſationem meam,* quomodo viuebant ſine querela in lege, vt mihi videbatur, quando adhærebam legi, & circunciſionem ſeruabā, & ſabbatum, & cætera quæ lex præcipit, propter quod Chriſtum non cognoſcebam. *quoniam ſupra modum,* id eſt, Plus omnibus Iudæis, *perſequebar eccleſiam dei,* id eſt, credentes in Chriſtum, *& expugnabam illam,* id eſt, valde pugnabam contra illam. *& proficiebam in iudaiſmo ſupra multos coetaneos meos,* id eſt, ſuper omnes coæuos, & qui meæ ætatis erant. Proficiebam ego in doctrina legis ſecundum traditionem phariſæorum, de quorum genere oritus eram, & nullus poterat coæquari mihi in ſtudio lectionis atque quæſtionis, ſed neque in perſecutione Chriſtianorum, ita poterat creſcere pro ſtatu ſynagogæ. *in genere meo,* id eſt, genere phariſæorum abundantius, id eſt, amplius. *æmulator* id eſt imitatur, & ſtudioſus. *exiſtens* ad ſtatuendam ſynagogā, *& paternarum mearum traditionum,* id eſt, phariſæorū. *Cum autē placuit ei qui me,* id eſt, quia me fecit naſci ex vtero materno, vel qui me in preſentia ſua *ſegregauit* & ſeparauit *ex vtero matris meæ,* ad prædicationem euangelij ſui.

ſui. vel ex vtero matris, id eſt ex conſortio ſynagogæ me abſtraxit. *& vocauit per gratiam ſuam,* id eſt per miſericordiam ſuam, ad euangelium ſuum prædicandum, *vt reuelaret filium ſuum in me,* id eſt per me gentibus *vt euangelizarem illum in gentibus continuò,* id eſt cum placuiſſet deo patri vt reuelaret: filium ſuum per me in gentibus, *non acquieui carni & ſanguini,* id eſt non conſenſi in iudaiſmo manere. vel non acquieui carni & ſanguini, id eſt, ſcribis & phariſæis, de quibus ortus ſum, licet aliquis apoſtolos velit intelligi, quod falſum eſt. Beatus Hieronymus ita hanc verſiculum diuidit ſecundum iſtum ſenſum. Petrus aliique apoſtoli, poſtquam vocati ſunt à domino, non ſtatim profecti ſunt prædicare, ſed neque poſt reſurrectionem eius. vſquequo ſpiritum ſanctum acceperunt. ideóque quaſi multā moram fecerunt? Paulus verò ſtatim vt baptizatus eſt, ſine aliqua mora ingreſſus ſynagogam Iudæorum, cœpit publice prædicare. Poteſt tamen & ad ſequentia iungi, quod dicit continuò: ſed melius eſt ita vt diximus, vt reuelaret filium ſuum in me, id eſt per me. Aliter: Verbum dei patris, id eſt, filius cum deo patre & ſpiritu ſancto cælum & terrā continet, & omnia implet. Non eſt enim locus, quem non impleat per plenitudinem potentiæ ſuæ: ac per hoc quod vbique eſt perpotentiam diuinitatis, & omnia loca implet, erat etiam in Paulo, licet à paulo non ſciretur. Quando ergo filij ſui fidem dedit ei, tunc vtique filium ſuum manifeſtauit ei, & ipſe filius ibi erat, vbi ipſe reuelauit. Sicut (verbi gratia) in vtero Virginis Mariæ vbi erat, ibi carnē aſſumpſit. *Neque veni Hieroſolymam.* Quæſtio eſt, quare dicat ſe non veniſſe Hieroſolymam, niſi poſt tres annos, cum in Actibus Apoſt. legatur, Quia poſtquam baptizatus eſt, cœpit prædicare in ſynagogis Iudæorum inſurrexerūt contra eum Iudæi, ob quorum perſecutionem venit Hieroſolymā, Quæ quæſtio ita ſoluenda: Non veni, inquit, Hieroſolymam ad apoſtolos, gratia viſitandi eos, neque cauſa diſcēdi, ſicut nec hic habetur. ſed cauſa perſecutionis veni Hieroſolymā, ſicut ad aliā quālibet ciuitatē iré, ſi in meo itinere eſſet. verbi gratia: vt in Samariā aut in Bethleē. De qua vice dicit lucas in Act. Apoſt. *ad anteceſſores meos apoſtolos* veni ſubaudis, neque cauſa diſcendi, neque viſitādi eos iſta vice, *ſed abij in Arabiam.* De Hieruſalem ſubaudis fuge-

rat. Dicit B. Hieron. Quid mihi prodest si audio Paulum abiisse in Arabiam, & reuersum inde Damascum, si nescio quid ibi fecerit? Forsitan prohibitus est à spiritu sancto ibi verbum loqui, sicut in Asia: ideóque nō dixit scriptura quid ibi fecerit. Sed si perpendimus interpretationem nominum itus & redditus illius, aliquantulum vtilitatis inuenire poterimus. Quòd autem per Arabiam intelligamus vetus testamentum, ipse Apost. ostendit alibi, vbi loquitur de Agar & Sara. Hæc enim (inquit) sunt duo testamenta, & Sina mons est in Arabia. Damascus verò, quæ interpretatur sanguinem bibens, vel effundens, quia ibi interfectus est Abel à Cain, vbi postea ædificauit seruus Abrahæ illam ciuitatem, vocans eam de nomine suo Damascum, significat nouū testamētum, vbi continetur passio Christi. Abiit ergo Apostolus in Arabiā, quia scrutatus legem & prophetas, ibi inuenit Christum promissum, nō tamē datū. Reuersus est Damascū, quia trāsiit ad euangeliū, vbi Christū iam passum inuenit, & credidit in eum. *Diebus quindecim.* Quia denarius numerus pertinet ad vetus testamentū & nouum, propter septenarium numerum & octonariū. Septenarius ad vetus testamentum refertur propter sabbatum, octonarius ad nouum, propter dominicā resurrectionē, quæ octaua die celebratur. Et quia Apostolus doctrina veteris & noui testamenti repletus erat, ideo nō indiguit amplius manere cum Petro, nisi xv. diebus. Et iterum reuersus fuit Damascum &c. vsque, mansi apud eū diebus. xv. Abiit in Arabiam, de Arabia reuersus est Damascum. & expleto triēnio in Arabia & Damasco, venit Hierosolymam altera vice videre Petrum, non causa discendi, sed causa commendandę charitatis, & vtilitatis formam preberet aliis, dum honorem præstitisset priori Apost. Ex hoc apparet eum non causa discendi venisse, quia in tam paucis diebus non poterat doceri: & quia poterat aliquis etiam dicere, Ecquid si non didicit à Petro, didicit ab aliis. Huic obiectioni Apostolus subiunxit: *Alium autem Apost. vidi neminem, nisi Iacobum fratrem domini*, filium, scilicet Mariæ Cleophę, materteræ domini, quem genuit de Alphæo. *Ecce coram deo quia non mentior*, id est digna sunt conspectui dei, quia vera sūt. *Deinde veni in partes Syriæ* prouinciæ, *& Ciliciæ*, sub audis patriæ, vbi est & Tarsus ciuitas Pauli. Venit Apostolus

stolus in Syriam, quæ interpretatur eleuata, vt humiliaret illam ad Christus. Venit ad Ciliciam quæ interpretatur assumptio lamentabilis, vt illam assumeret ad fide Christi, & eam doceret habitum pœnitentiæ & lamenti. *Eram autē ignotus*, facie *ecclesiis Iudææ, &c.* Ignotus quidem erat facie, sed nomine & fama erat notus. Iam enim per quatuordecim annos euangelium prædicauerat. Non ideo dicit pluraliter ecclesiis, quod Iudæi & gentes mixti essent: sed tanta erat multitudo Iudæorum credentium, vt plures ecclesias facerent. *Quoniam qui persequebatur nos*, id est credentes in Christū, *aliquando*, subaudis quando erat in iudaismo, *nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat*, id est, contra quam valde pugnabat. *& in me clarificabant deum.* iuxta illud: vt videant opera vestra bona. & qui de persecutore fecerat prædicatorem.

CAPVT II.

Deinde post annos quatuordecim ascendi Hierosolymā iterū. Iuncti tres anni superiores cū his
D quatuordecim, fiūt septēdecim. Ex quo colligitur quoniā decimusseptimus annus prædicationis suæ, agebatur, quādo tertia vice venit Hierosolymā. Sed quæ causa extitit illū venire Hierosolymā? Seditio erat inter Iudæos credētes & gētiles. dicedāt eni Iudei, Estis baptizati, & creditis in Christū, nō potestis saluari aliter, nisi circūcidamini, & legē obseruetis. Ideo vt hāc seditionem cōpesceret, reuelāte sibi spiritu sancto, venit Hierosolymā, *cū Barnaba.* Barnabas erat Iudæus & circūcisus, Titus gētilis & incircūcisus. Ideo ergo cū istis duobus ascēdit, vt si Apostoli aliisq; Iudæi diceret illum nō recte prædicare in gentib⁹, istorū testimonio tueretur, dū dicerēt illi: Vere sicut vos prædicatis, ita & magister noster: & sic sentit in omni fide, sicut & vos. Ideo dicit, *& conculi cū illis euāgelium*, ne videretur ab aliis aliquid accepisse. Nā inter se conferre, & docere, ac discere hoc interest, quia cōferunt coæquales, docent & discunt superiores, & inferiores. Contuli cū illis, hoc est cum Petro, Ioanne, & Iacobo. *Seorsum autem cum illis qui videbantur aliquid esse*, id est, Petro aliisque Apostolis locutus sum, non in conuentu Iudaici populi, sed separatim. Quare seorsum? Quia multa sciebat ille quę generalis multitudo non poterat capere, vel seorsū, nę

dum prohiberet penitus circuncisionem, persecutionem Iudæorum contra se excitaret. Videbantur, inquit, aliquid esse semetipsis. Videbantur enim doctrinam habere à se & virtute, sed neq; doctrinã, neque virtutes, neq; boni aliquid habebãt à se, neque à suis meritis: ideo licet populo viderẽtur aliquid esse, nihil erant. *ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Licet videatur durum, tamẽ beatus Hieronymus hunc versum interrogatiue dicit esse legendum: quia huiuscemodi sensus est: Nunquid ideo contuli cum illis seorsum, quòd timerem ab illis reprehendi, quasi mea doctrina non esset vera, & illorum roboratione indigeret, aut quasi inaniter currerem, prædicando de loco ad locum? Non sed potius vt illi à me alta & profunda mysteria audirent, quod minus capaces non poterant capere, & nõ possent dicere Galatis: Nolite credere Paulo, quia mendacium prædicat. Aliud enim apud nos prædicat vel docet, aliud apud vos. apud vos prædicat circuncisionem nõn obseruandam, apud nos circuncidit Titum. vnde Apostolus volens eos confirmare in fide: & à circũcisione ducere, dixit: Si Titus cum esset mecum, non est compulsus ab Apostolis, circuncidi, neque minis & terroribus ac multitudine Iudæorum, quare vos seducimini solummodo vobis? *Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circuncidi.* Cum venissent Apostolus Hierosolymam, Iudæi curiositatis causa summiserunt viros in secreto loco, de quibus non poterat suspitio esse, qui considerarent verum Apostolus illorum timore perterritus, circuncideret Titum. *Introierunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu.* Libertas maxima est in Christo Iesu, id est fide euãgelij, quia per fidem domini saluatoris liberi efficimur in baptismate non solùm à peccatis, sed etiam à seruitio etiam legis. *neque ad horam cessimus.* id est, non consensimus eis vel ad tempus, ne seruituti legis subiiceremur. *vt fides euangelij,* quam vobis prædicauimus, *maneat semper* in vobis, & non circuncidamini. *Ab his autem qui videbantur.* Ab his, id est, Petro & Iacobo & Ioanne, qui videbantur *aliquid esse* à semetipsis: sicut supra diximus. *quales aliquando fuerint* antequam per aduentũ spiritussancti corroborarentur non pertinet ad me vt dicam, sed hoc solum modo dicam: quia *nihil mea interest.* hoc est nulla distantia

tia inter me & illos est: & hoc ideo, quia *non est deus acceptor personarum.* Fuit Paulus persecutor Christianorum, Petrus negauit, postquam ab illo doctus est, Ioannes & Iacobus tempore passionis relicto eo fugerunt cum aliis Apostolis. *Qui videbantur aliquid esse,* id est, Petrus, Iacobus, & Ioannes. *nihil mihi contulerunt, sed econtra,* subaudis ego contuli illis. Vel aliter. Cum putassent aliqui reprehensores mei esse, non solum reprehensores non fuerunt, sed etiam laudatores & fautores extiterunt meæ prædicationis. Ita diuidũt & distingunt August. & Hiero. hunc versiculum cum tali subaudítione, *cum vidissent,* subaudis à subsequentibus, Iacobus & Ioannes, qui videbantur aliquid esse. *quod ita datum,* id est, concessum est mihi *euangelium præputij,* id est gẽtium, *sicut Petro* creditum esse euangelium *circuncisionis,* hoc est Iudæorum. *Et cum cognouissent gratiam quæ data est mihi, dexteras societatis mihi dederunt & Barnabæ.* Cætera per parenthesim dicta sunt, sicut Petro circuncisionis, hanc autem habet consuetudinem Apostolus, vt circuncisionem, Iudæos, & Gentiles præputium appellet. *Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes,* & est sensus: Qui Petrum magistrum & principem fecit esse omnium Iudæorum credentium, me etiã in prædicationis officio præposuit omnibus gentibus. Dicit beatus Augusti. quodam in loco, beato Apostolo maiorem sapientiam præ omnibus Apost. concessam esse: & hoc ideo, vt quia ipse omnibus gentibus & philosophis prædicatio sufficere posset. Sed dicet aliquis in isto loco: Nunquid ergo Petrus magister Iudæorum, si videret aliquem gentilem velle conuerti ad fidem, non suscipiebat eũ nisi circuncideretur: an Paulus magister gentium suscipiebat aliquem Iudæorum circuncisum? Vtique Petrus suscipiebat gentilem, non cogens eum circuncidi, vt Cornelium: & Paulus non respuebat Iudæum propter circuncisionem, sed tantummodo legales obseruationes docebat non esse obseruandas carnaliter. *Qui videbantur columnæ esse,* Dicit B. August. Columnæ videbantur esse illi, sed non erant. Sed videamus quæ sint solidissimæ columnæ. Salomon dicit, Sapientia, quæ est verbum dei patris, ædificauit sibi domũ, in vtero videlicet virginali, excidit colũnas septem, id est, septem ecclesias, ad quas scripsit Ioannes in Apoca. sua. Prou. 9.

Apo.1. 1.Tim.3. Quæ septem ecclesiæ vel columnæ faciunt vnam ecclesiam & vnam columnam, de qua dicit Apostolus Timotheo: Vt scias, inquit, quomodo oporteat te in domo dei conuersari, quæ est columna & firmamentum. Si ergo iste columnæ nō fuerant, quid est quod dominus dicit, Qui vicerit, faciā illū columnam in templo meo? Vt ergo dicit Apostolus & beatus Augustinus assentit, columnæ à semetipsis non erant, licet viderentur à simplicibus à se esse quod non erant, & columnæ erant à domino solidatæ sine suis meritis, & fundatores ecclesiæ erant & sustentatores. *dexteras dederunt mihi.* Quod dicit dexteras societatis dederunt mihi & Barnabæ, nihil est aliud, nisi in suam societatem receperunt nos & familiaritatem. Tractū est hoc à negotiatoribus, qui causa negotiationis venientes ad exteras regiones, in primis vt ibi aduenerint, ad eos præfectus loci & homines accedunt ibi habitantes, interrogant illum qui præest aliis, Pacificus ne est ingressus tuus? Et ille, pacificus. Tunc mutuo dāt sibi dexteras manus, & alternatim se osculantur, ac deinceps cum pace negotium suum explent, libere incedentes & cum securitate in iudicium illorum. Sic etiam & illi cū Apostolo fecerunt pacem, vt ille & Barnabas inter gentes prædicarent, ipsi autem inter Iudæos, *tantum*, subaudis præceperunt nobis, *vt pauperum* illorum *memores essemus*, qui propter Christum sua reliquerant, vel qui spolia ti fuerant à Iudæis, vt Nicodemus & alij. *Quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere*, mittens eis quæ necessaria erant, à gentibus fidelibus munuscula accipiens. *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem*, id est, præsentiam *restiti ei, quia reprehensibilis erat*, id est reprehensione dignus.

Apo.2. *Prius enim quàm venirent quidam* subaudis Iudæorum, *ab Iacobo*, id est Hierosolymis, vbi erat Iacobus constitutus episcopus credentibus ab Apostolis, *cum gentibus edebat. Cum autem venissent, subtrahebat se & segregabat, timens eos qui ex circumcisione erant*, hoc est timens reprehendi ab illis. *Sed cum vidissem quod non recte ambularet.* Non recte ambulabat, quia segregabat se à gentibus quasi immundis, eo quòd non essent circuncisi, *dixi Cephæ coram omnibus*, ideo publice eum redarguit, quia ipse publice peccauit, vt & eius correptione cæteri corroborarentur in fide. Publica enim culpa publica esset castigatione coram omnibus, vt in canonibus habetur. *quomodo gentes cogis iudaizare?* non cogebat eos circuncidi verbis, sed operibus per hoc quòd se ab illis segregabat. Poterant enim Gentiles dicere: Si essemus saluati & mundati per baptismum, nequaquam nos quasi immundos reputaret: melius est ergo vt circuncidamur. *Si tu cum sis Iudæus.* Iudæus erat Petrus natura, & gentiliter viuebat, non adorando idola, sed non credens saluari posse per circuncisionem, sed per baptismum: sicut & Gentiles saluabantur non per circuncisionem, sed per baptismum. *Nos natura Iudæi sumus, & non ex gentibus peccatores* quia gentiles peccatores appellabantur, & est sensus: O Petre, si nos qui Iudæi naturaliter sumus, iustificati non sumus per legem, quare cogis gentes iudaizare, non verbo, sed opere, vt credant se saluari non posse per baptismum sine circuncisione. Nos scimus *quia non iustificatur homo* per obseruantiam legalium mandatorum, *ex operibus legis* dicit, id est, per oblationem sacrificiorum carnalium, per obseruationem mandatorum, per circuncisionem, *non iustificabitur omnis homo*, id est, nullus iustificabitur. *Quòd si quærentes nos qui natura sumus Iudæi, iustificati in Christo*, id est, in fide Christi in baptismate, *inuenti sumus peccatores* dum venimus ad baptismum. *Nunquid Christus fecit nos peccatores?* vt peccata haberemus, & inueniret in nobis quod mundaret? *Absit.* Sed quia lex non poterat nos iustificare, ideo venimus ad Christū, vt credentes in eum iustificemur. *Si enim quod destruxi, hoc iterum reædifico, præuaricatorem me constituo*, id est, si circuncisionem quam prædicaui dimittendam, iterum prædico obseruandā esse, trāsgressorem me facio tam legis Mosaicæ, quàm euangelij: quia si circuncisio poterat iustificare, ideo q̄ illam destruxi, transgressor extiti: & si postquàm veni ad euangelium, iterum redij ad carnalem legem: similiter præuaricator extiti. Et notandum, quia contra Petrum ista loquebatur, qui cogebat gentes circūcidere, non verbo, sed opere, subtrahendo se ab illis, cum & ipse circuncisionem prædicauerat non obseruandam. *Ego enim per legem*, subaudis euangelij, *mortuus sum legi Moysi*, id est nihil illi debeo, quia non sum subiectus ei. Vel per legem spiritaliter intellectam mortuus sum legi carnali, quia carnaliter illam non

obseruo. *vt deo viuam* per fidem & iustitiam. *Christo confixus sum cruci*, id est, confixus sum in cruce Christi, quia peccata mea in cruce illius affixa sunt, id est deleta & mortificata. *viuo autem iam non ego.* Viuebat quidem substantialiter, sed non viuebat in illo malitia, sed iustitia. Exanctus & mortuus erat in illo sæuissimus persecutor, & viuebat in illo piissimus prædicator. *Viuit verò* siue regnat *in me Christus* per fidem & per omnes virtutes. *Non abiicio gratiam dei*, id est non repello fidem Christi euangelium, & remissionem peccatorum, quæ omnia nobis gratis data sunt. *Si enim per legem iustitia*, id est, si lex poterat iustificare: *Christus sine causa mortuus est.* & eius passio nec profuit, nec obfuit.

CAPVT III.

Insensati Galatæ. Vnaqueque gens suâ proprietatẽ in conuersatione & moribus habet. Vnde Galatis proprium est, re licet feroces sint, etiã stolidi siue stulti, facileq; transferri possint de vna re ad aliam, *quis vos fascinauit?* i. quis vobis nocuit, vel quis vos decepit? Fascinari dicũtur, pueri & parua animalia pullíque auiũ, hominũ visu & incantatione. *Ante quorum oculos Christus Iesus proscriptus est, & in vobis crucifixus?* Ante illorũ oculos erat Christus Iesus crucifixus & proscriptus: quia illi non solùm quatuor libros euangelij habebant, vbi passio Christi continetur completa, sed etiã libros veteris testamenti græco sermone secũdũ. Lxx. interpretes habebant, in quibus pronuntiabatur & prædicabatur passio Christi, in quibus quasi ante oculos ipsorum erat Christus crucifixus. *Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini?* id est, cum spiritualiter cœpisseris conuersari, vel cum per spiritum sanctum cœpisseris loqui variis linguis, nunc carnali, obseruatione deficiatis, postposites omnia spiritualia, & transeuntes ad carnales observationes, id est, ad circuncisionẽ carnis, & ad legalia sacrificia. Aliter in primordio fidei omnes credentes in Christũ, accipiebant spiritum sanctũ, sicut modo, & insuper accipiebant diuersitatem linguarum, per quod ostendebatur eos habere spiritum sanctum. Quod nullo modo exemplo meo

lius probari potest, quã illo quod in actibus Apostolorum habetur, quid cum dixisset Paulus quibusdam baptizatis, qui baptizati erant in Ioannis baptismate, si spiritum sanctum accepistis credẽtes? responderũt: Sed neq; si spiritus sanctus est, audiuimus: quia nõ possumus omnibus linguis loqui. Et cũ baptizasset eos in nomine Iesu, cœperũt loqui variis linguis. & isti Galatæ nõ acceperũt spititũ sanctum & diuersitatẽ linguarũ ex operibus legis. sed quia crediderunt in Christũ, audientes ab Apostolo fidem domini prædicari. Ex auditu fidei dicit, quia audit homo quid credere debeat, & interrogatur ad fontem quomodo credat, & sic baptizatur. *Tanta passi estis sine causa.* Multa mala passi fuerant à Iudæis & à persecutoribus pro fide Christi, eo ꝙ nolebant circuncisionem seruare. *si tamen sine causa.* Si, affirmatiua cõiunctio est, id est certe sine causa patimini, si iterum ad carnaliũ desideria & circuncisionẽ seruandam reuertimini. *Qui ergo tribuit vobis spiritum*, subaudis sanctum, *& operatur virtutes in vobis*, subaudis miraculorum & linguarum. *ex operibus legis*, subaudis hoc facit: *an ex auditu fidei?* subaudis, non propter obseruantiam legis hoc præstitit nobis, sed propter fidem, quia per fidem iustificati placemus deo. *Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham* id est, qui fidem Abrahę habent, benedictionem Abrahæ consequentur. *Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*, id est qui per legem putant se iustificari, sub maledictione legis sunt, quia nõ possunt omnia implere quæ ibi continentur. Vnde Petrus Iudæis, cur (inquit) tentatis imponere nobis iugum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Sub quo maledicto sunt? sub illo, Maledictus omnis &c. Lex autem non est ex fide, Fides est ea credere & sperare quæ non videntur. Lex ergo non complebatur fide, sed opere: euangelium autem completur fide magis quàm operibus: quia sola fides saluat. Quicunque ergo faciebat ea præcepta quæ lex præcipiebat, viuebat in illis: quia protelabatur ei præsens vita vsque ad statutum finem à deo: qui verò transgressor erat legis, iubebatur interfici, dicente lege: Qui hoc vel illud fecerit, occidatur. *Christus non redemit de maledicto legis.* De quo maledicto? De illo quod dictum est ad Adam, In quacunque die comederis ex eo, morte morieris. De hoc ma-

lectio, id est, de hac morte redemit nos, reuocando ad vitam: quia morte sua simpla, duplam nostram destruxit. Et quomodo? *factus pro nobis maledictum,* Nō est ipse factus maledictus, sicut B. Ambrosius dicit, vt peccatum haberet, sed factus est maledictum, id est hostia pro maledictis & peccatoribus, pro nobis videlicet, qui sub maledicto primo minis & sub morte tenebamur, Vel vt beatus August. dicit, factus est maledictū. i. factus est mortalis, sicut & nos, licet sine peccato esset. *quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Euthicus hoc modo exponit hunc versiculum: Maledictus omnis nocens, qui culpa sua & peccato suo pendet in ligno: qui verò innocens est, si iniuste suspensus fuerit, non ideo maledictus erit. Quid ergo si Mardocheus innocenter suspensus esset in ligno, quod ei Aman parauerat, nunquid maledictus esset ideo? Minime. Ita Christus licet maledictum illud sustineret, id est, passionem & cruciatum, & peccata nostra assumeret: tamen non ideo fuit maledictus, neque peccator: quia sic accepit ipse peccata nostra, non vt haberet, sed vt deleret, Vel etiam quantum Iudæis videbatur, maledictus erat, id est, peccator. *Fratres secundum hominem dico,* id est, secundum humanam consuetudinem, & secundum humanam legem. *tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit.* Testamentum dicitur à testibus, quorum nomina ibi scribuntur, & à quibus illud confirmatur testamentum, vel charta siue scriptum, quod pater facit de suis rebus filiis suis, quid vnusquisque post mortem eius possideat de hæreditate paterna. Quod testamentum nemo despicit, vt aliter illud comprehendat & diuidat, neque aliter ordinat, nisi vt pater viuens ordinauit. *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius.* non dicit singulari numero. Abrahæ dicta est promissio & semini eius. Sed quia multæ promissiones ad eum factæ sunt, tam de terra promissionis, quàm etiam de domino Iesu Christo, dicit pluraliter, Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Videamus & consideremus quæ sint illæ promissiones, si forte inueniamus aliquid de nobis gentibus ei promissum. Prima promissio facta est quando eum vocauit dominus, promittens vt si egrederetur de terra sua, futurus esset in gentem magnam, dicens: Exi de terra tua & de cognatione tua, & vade in terram

quam monstrauero tibi, & faciam te in gentem magnam: deinde dixit ei: Benedicens benedicam tibi, & multiplicabo te, &c. Et rursum, In semine tuo benedicentur omnes gentes. &, Patrem multarum gentium posui te. Quod autem subiungitur: & semini eius, subaudis dictæ sunt promissiones, quamuis apostolus specialiter semé Abrahæ Christum intelligat, possumus tamen simplici modo semen illius accipere Isaac filium eius, & Iacob nepotem eius, ad quos etiam repromissiones legimus factas. Nam legitur in Genesi, quòd dormiente Iacob, quodam in loco apparuerit ei deus, dicens: Terram in qua dormis, tibi dabo & semini tuo. Dicamus modo & secundum apostolum: Abrahæ, inquit, dictæ sunt promissiones, & semini eius, id est Christo, Quæ sunt illæ promissiones, quæ dictæ sunt Christo, vel in Christo, Quod in illo benedicende essent omnes gentes, iuxta quod iam diximus, inquit, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Semen ergo Abrahæ Christus est, quia Abraham genuit Isaac, Isaac Iacob, Iacob autem Iudam, de cuius tribu & progenie assumpsit carnem dominus in vtero virginali. B. Mariæ, & processit velut sponsus de thalamo suo. Sed quæri potest quare omnes gentes dicantur benedictæ in Christo, cum adhuc omnes gentes non credant in eum, & nulli dubium sit alium non mereri benedici, nisi qui fidem eius habet? Quod duobus modis potest solui: Potest enim synechdochicè accipi, hoc est, à toto pars, quia licet omnes non credant, tamen ex omnibus gentibus fidem eius habent, vel omnes qui merentur benedictionem, in Christo benedicuntur. Subnectit ergo Apostolus, & dicit, *Non dicit,* subaudis, Abrahæ dictæ sunt promissiones, *& seminibus* eius, sed singulari numero dicit semini, Non dicit scriptura: In seminibus tuis benedicentur omnes gentes, sed in semine tuo, vt de Christo intelligamus dictum. Si enim dixisset pluraliter seminibus, fortasse diceret aliquis contendendo de Dauid & de aliis Iudæis esse dictum. Quodā in loco Beatus Hieronymus, qui omnes scripturas sacras veteris & nouit testamenti sensu, & memoria peragitabat, dicit: Nusquam potui inuenire semina plurali numero posita, quando de propagatione filiorum res agitur. Si vero ad semētem fructum pertinet, inuenitur

pluraliter positum, vt in Genesi habetur: Præcepit, inquiés, Ioseph Aegyptiis, vt acciperent semina, & seminarent, ne forte terra redigeretur in nihilum. *Hoc autem testamentum*, id est illud promissum quod fuerat factum ad Abraham, *dico* ego *confirmatum à deo*. Hunc versiculum vario modo in suis scripturis distingunt doctores. Quidam enim faciunt perfectam distinctionem, vbi dicitur à deo, quidam verò mediam, quod vtrũque conuenire potest. Testamentum hic appellat promissionem, quæ facta est ad Abraham, quòd in semine eius, hoc est in Christo benedicendæ essent omnes gentes. Quomodo istud testamentum vel ista promissio est confirmata? Natus est Christus ex virgine Maria de semine Abrahæ, prædicauit in seculo, miracula fecit, redemit genus humanũ sua passione, misit discipulos suos prædicare & baptizare, & cõpletũ est quod promisit Abrahæ quando apost. profecti prædicauerunt, vbique ipso cooperante, in tantum vt in omnem terram sonus eorum procederet, & in fines orbis terræ nominis eius fama diuulgaretur, tunc in semine Abrahę, id est in Christo benedictæ sunt omnes gentes, eo modò quo superius diximus, & promissio eius impleta est. *Lex quæ post quadringentos & triginta annos facta est*, vel data in monte Sina, *non facit irritum*, subaudis testamentum, *ad euacuandam*, vel ad destruendam *promissionem* Abrahæ. Irrita res, est inanis & vacua. Verbi gratia: Sicut solent folliculi esse grani frumenti, aut ciceris, siue alicuius leguminis vel seminis. Lex ergo quæ data filiis Israel post factam promissionem ad Abraham, non fecit vacuum & inane illud testamentum, vt illa promissio euacuaretur. De hoc numero quadringentorum & triginta annorum, vario modo doctores disputant, & per longas ambages circuitum illum colligentes, sed nos omnia illa succinctè perstringentes, compendioso vtamur exitu, computantes ipsos annos. A vocatione Abrahæ de terra Chaldæorum vsque ad ingressum Iacob in Aegyptum, computantur ducenti quindecim anni. Rursum ab ingressu Iacob in terram Aegypti vsque ad exitum filiorum Israel ex ea, computantur similiter anni ducenti quindecim. Qui simul iuncti, complét numerum quadringentorum triginta annorum, post quos data est lex, ex quo repromissio facta est ad Abrahã. Dicendũ etiam est, quomodo

modo illud intelligendum sit, quod loquitur ad Araham deus in Genesi. Scito prænoscens quòd peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & affligent eos, maléque tractabunt annis quadringentis. Non enim possumus inuenire quomodo per quadringentos annos sint afflicti, maléque tractati. Narrat nanque scriptura quia post mortẽ Ioseph surrexit rex in Aegypto, qui ignorabat Ioseph, & cœpit affligere filios Israel. Sed sciendum est, quia quod dixit, Peregrinum erit semen tuum in terra non sua, ad omne tempus quadringentorum annorum est referendum, quo Abraham, Isaac, & Iacob in terra non sua peregrini & aduenæ fuerunt, filique eorum post eos longo tempore. Quod autem subiungit: Seruituti eos subiicient, maléque tractabunt annis quadringentis, ad extremam partem & ad vltimum quadringentorum annorum est referendum, in quo illi afflicti sunt à morte Ioseph, vsque ad egressionem illorum de Aegyptiaca seruitute. *Nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione*, hoc est, Si per legem data esset Abrahæ hæreditas terræ repromissionis, quam possidet in filiis suis, vel hæreditas totius mundi, quam possidet in Christo, qui de semine eius natus est, iam non esset repromissio illa datio, sed lex. Hæreditatem totius mundi Abraham in Christo possidet. *Abrahæ autem* non per legem *donauit deus* hæreditatem totius mundi, *sed per repromissionem* datum est semen, quod est Christus, in quo benedicuntur omnes gentes. *Quid igitur lex?* Beatus Augustinus exponens hanc epistolam ad Galatas primùm ita distinxit: Quid igitur? Sed postea relegens ea quæ dictauerat, correxit suum errorem in libro retractationum, atque ita distingui præcepit: Quid igitur lex? id est, vt quid venit lex? aut quid pro fuit? vel, quare data est, si Abrahæ hæreditas per repromissionem data est? Ad hæc sibi respondit ipse Apostolus, inquiens: *Propter transgressiones posita est, quoadusque veniret semen*, id est Christus. Cui Christo vel semini, *promiserat*, subaudis quòd in ipso benedicendæ essent omnes gentes. Transgredi, est vltra ire & præuaricari. Ideo ergo data est lex post repromissionem, vt homines compesceret & prohiberet à peccatis, qui proni erant ad transgredienda præcepta omnipotentis dei & naturalẽ legẽ. Statim enim vt egressus

est populus de ergastulo Aegytiorum, antequam transiret mare murmurauit, rursumque transito mari murmurauit, atque dum peruenissent ad montem Sina, postquam acceperunt decem præcepta, caput bouis quē adorabant Aegyptij, coluerunt, & inclinati sunt ante illud. Pro talibus ergo & huiusmodi transgressionibus data est lex, vt prohiberet talia, deo minante mortem illis, *ordinata per angelos*, hoc est disposita & descripta atque dictata est ipsa lex per angelum. Per subiectam siquidem creaturam loquebatur deus ad Moysen, hoc est per angelum, sicut Stephanus in actis. Apostolorum dicit Iudæis: Hic est Moyses qui fuit in ecclesiæ solitudine cum angelo, qui locutus est ei in monte Sina. *In manu mediatoris*, id est, in potestate verbi dei, hoc est, filius dei, qui postea assumendo carnem, nobis mediator factus est. Nisi enim hominem assumeret, mediator nobis alio modo esse non posset. Sed assumendo carnem nostræ fragilitatis, nobis factus est mediator, assistens nunc vultui dei, pro nobis, & per illum nostras præces dirigimus ad deum patrem. Quidam voluerunt interpretari in hoc loco mediatorem Moysen, propter hoc quod ipse dixit: Ego sequester & mediator fui inter deum & vos in tempore illo. Sed melius est, secundum B. Augu. vt modo superiori intelligamus referētes ad illū Christum, cuius dispositione ipsa lex data est per angelorum ministeriū. Sicut potestate eius prædicta sunt oracula prophetarum, qui dicebant, verbum domini quod factum est ad Iohel, aut Isaiā, ita eius dispositione conscripta est lex. *Mediator autem vnius*, subaudis patris, *non potest esse*, sed inter duas, aut inter plures, vt ipse sit medius. *Deus autem vnus est*. Hoc ideo addidit apostolus, ne quis putaret Christum ab vnitate diuinæ naturæ penitus esse diuisum, quia mediatoris suscepit officium. Licet enim ipse nobis mediator sit per humanitatem, tamen non est abruptus à natura paternitatis diuinæ. Sed ipse qui est verus deus & verus homo in vna natura, semper ipse manet æqualis patri in natura & potestate diuinitatis. *Lex ergo aduersus promissa dei?* id est, nunquid ergo lex contraria est promissioni omnipotentis dei, quæ facta est ad Abraham de Christo, quòd in semine eius benedicendæ essent omnes gentes? *Absit*, Non fiat istud vt aliquis credat legem contrariam

trariam esse huic promissioni, vt illam euacuaret. *Si enim data esset lex quæ posset viuificare*, id est, iustificare. Anima quandiu non peccat, viuit deo: cum verò criminibus seimplicat, moritur. Lex illa Mosaica non poterat hominem ab hac morte suscitare, quia ostendebat peccata, non tamen tollebat. Impossibile quidem erat sanguine hircorum auferri peccata. Quòd si posset viuificare hominem, & ianuas aperire regni, *vere ex lege esset iustitia*, hoc est putaretur esse exclusa promissio. Si enim lex posset nos mundare & iustificare, quid esset necesse Christum venire? Sed quia illa hoc nón valuit, ideo aduentus Christi nobis necessarius fuit. *Sed concludit scriptura* legis, *omnia* genera hominum & omnes Iudæos *sub peccato*, id est ostendit quòd nullus esset qui illam posset implere. Dicebat enim lex: Non occides, non adulterabis, non facies hoc vel illud: quia si feceris, morte animæ morieris. Prædicebat ista cauenda sed si committerentur, non tollebat: & dum aliquis illa perpetrabat, ostendebat lex illum esse peccatorem. Si ergo ostendebat peccata, & non tollebat, nunquid erat author sceleris & culpæ peccantium? Minime. Verbi gratia, Sic erat ipsa lex, sicut quidam rex, vel quælibet maiestas terrena, quæ statuit & proponit legem & edictum, vt si quis hoc vel illud fecerit, aut in carcere detur, aut capite truncetur. Transgreditur aliquis edictum illud, & ponitur in carcerem, nunquid rex author est suæ culpæ? Quòd si inde liberatur, gratia & pietas est regis. Et lex ostendebat peccata & prohibebat, non tamē tollebat. *Vt promissio ex fide Iesu Christi*, quæ facta est ad Abraham, *daretur credentibus*, vt in nomine eius benedicerentur omnes gentes, & in fide ipsius iustificarentur, essetque gratia & indulgētia illius, vt quos lex nō poterat saluare, ipse redimeret: & qui per legis opera nō eramus digni saluari, iustificationem per eius fidē obtineremus, &c.

CAPVT IIII.

Q Vanto tempore hæres parvulus est. Secundum consuetudinem humanę legis loquitur hic apostolus. Solent enim patres morituri filios suos paruulos quos hæredes relinquunt, cōmittere sub tutoribus & actoribus vsq; ad illud tēpus, quo ipsi possunt res proprias regere, hoc est secundū legem Romanā vsq;

ad viceſimum quintum annum. Ipſi etiam turores cum cõſilio ſcabinorum in generali malo debent eligi: Quandiu autem ſub illorum tutela eſt paruulus *nihil diſtat à ſeruo*, licet dominus ſeruorum & filius regis aut comitis ſiue alicuius principis, ſit quia ſicut ſeruus flagellatur, affligitur & ille plerunque etiam à ſeruo. Tutores ſunt defenſores rei, cauſidici & aduocati. Quòd autem dicitur hic actoribus, quidam doctores dicunt, melius eſſe authoribus iſto in loco, quia author ipſe eſt tutor ſiue aduocatus, actor verò eſt patronus, nutritor, qui more paterno nutrit illum & ad tutorem pertinet defendere & diſponere res pueri, victúmque & veſtimentum miniſtrare: ad authorem verò diſciplina & honeſtas morum & conuerſationis. Similiter Iudæi quandiu fuerant paruuli ſenſu, ſub tutoribus actoribúſque fuerunt vſquequo venit diſpoſitum. tempus à deo patre, quando miſit eis filium ſuum: tutores verò illorũ fuerunt reges & principes, vt Dauid & Zorobabel, quia defendebant hæreditatem: actores verò ſacerdotes & prophetæ, qui eos erudiebant, ſecundum legem & cogebant etiam à dei cultura non recedere, ſi aliquis adorare vellet idola. *Ita & nos cum eſſemus paruuli ſub elementis mundi eramus ſeruientes.* Elementa dicuntur quaſi eleuamenta, eo quod ex illis omnia corporalia & viſibilia eleuata ſunt. Quòd verò dicitur, hic ſub elementis mundi eramus ſeruientes, quantum ad Iudæos pertinet, dupliciter poſt intelligi: ad primum intellectum elementa vocantur lex & prophetæ, quia ſicut elementa initium & fundamentum ſunt omnium corporalium, ita lex & prophetia initium & fundamentum ſunt omnium diuinorum eloquiorum. Sic etiã in epi. ad Heb. elementa appellat legem: Sub lege verò & prophetia erant ſeruientes. Aliter: Sub elementis etiam ſeruiebant, quia ſub obſeruatione ſolis & lunæ degebant, celebrantes neomenias aliáſque feſtiuitates. Notandũ autem quia non dixit, elementis ſeruiebamus, ſed ſub elementis eramus, id eſt, ſub obſeruatione legis & prophetiæ, vel ſub temporum obſeruatione curſum & ætatem lunæ attendentes. Nam ſol & luna elementa ſunt: gentiles autem erant elementis ſeruientes. *At vbi venit plenitudo temporis*, id eſt, præfinitum tempus à deo patre, finiente quinta ætate, & inchoante ſexta. *miſit deus filium ſuum factum ex*

muliere, id eſt, ex ſemine mulieris opere ſpirituſſancti creatum. Quidam volunt dicere natum, ſed melius factum ex muliere, propter hæreticos, qui dicunt, vt ingreſſus eſt virginem, ſtatim exiit. *factum ſub lege.* Factus eſt ſub lege, quia octauo die circunciſus eſt: quadrageſimo die ſunt pro eo legalia munera oblata. & hoc ideo, vt demonſtraret legem eſſe ſanctam, iuſtam, & bonam: vel *vt eos redimeret qui ſub lege erant*, id eſt, qui ſubiecti erant legi, peccatores non valentes per eam mundari. *vt adoptionem*, id eſt, electionem *filiorum*, ſubaudis dei, quam perdidimus in Adam, reciperemus. *Quoniam autem eſtis filij dei* adoptiui, non naturales, *miſit deus ſpiritum filij ſui.* Spirituſſanctus communis eſt patris & filij: & quando mittitur à patre, mittitur & à filio. *clamantem*, id eſt, clamare nos faciẽtem, *abba pater*, ſubaudis, miſerere mei. Abba, Hebræum eſt & Syrum, pater, Græcum & Latinum. *Itaque* qui habet ſpiritum Chriſti, *non eſt ſeruus*, ſubaudis peccati, *ſed filius* ſubaudis dei. *Quòd ſi filius*, ſubaudis dei, *& hæres*, ſubaudis vitæ æternæ, id eſt, non ſuo merito, ſed gratia dei, per quem eſt redẽptus. *Eſtote ſicut ego, quia & ego*, ſubaudis fui *ſicut vos.* Erãt Galatæ infideles & peccatores alienati à deo, vt fuit quondam & Apoſtolus, quando perſequebatur eccleſiam Dei: ſed iam Dei gratia fidelis erat & iuſtificatus. Eſtote vos perfecti in fide, ſicut & ego ſum modo: & nolite deſperare de venia, quia & ego quondam fui infidelis & peccator, ſicut vos eſtis modo, & eo amplius. *Obſecro vos fratres*, ſubaudis patienter me audiatis, *nihil me læſiſtis*, ſubaudis quãdo primùm vobis euangelium prædicaui, & ſicut tunc me nihil læſiſtis, & patienter audiſtis: ita & nunc nolite me læ dere, ſed cum patientia audite quod dicturus ſum. *Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia ſi fieri potuiſſet* ſine veſtro diſpendio *oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi*, id eſt, ſi fieri potuiſſet vt oculis corporis poſſem maiora de deo cognoſcere, & arcana myſteriorum eius lumine corporis amplius penetrare, oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi, tanta charitate erga me fruentes eratis, & in tantum deſiderabitis audire verbum dei per me. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Parturire eſt patrem velle. B. Apoſto. iam pepererat Galatas in fide per Euangelium, ſicut ipſe dixit: Per Euangelium ego vos ge-

ui:sed illi receſſerunt à fide, & ſecuti ſunt pſeudoapoſtolos,dolénſque Apoſtolus de eorum miſeria, & volens eos reuocare ad fidé Chriſti,parturiebat illos,id eſt,parere volebat iterũ verbo & exéplo.vnde & dicit,Filioli mei,quos iterum parere volo mea prędicatione in fide Chriſti.ſicut iamdudum vos parturiui,quando ad fidem vos adduxi,donec formetur fides Chriſti in vobis.Tunc enim Chriſtus in nobis formatus eſt,quando à nobis ita creditur,ſicut debet credi. *Scriptum eſt enim,quoniam Abraham duos filios habuit.* Non ſine cauſa Apoſt.ad memoriam reduxit factum Abrahæ.Iudæi nãque in hoc maxime gloriabãtur,quia filij Abrahæ erant ſecundum carnẽ:vnde cũ dominus dixiſſet eis in euãge.Si vos filius liberauerit,vere liberi eritis,reſpõderunt illi:Nos filij Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquam.ergo Apoſt.volés Galatas ſolicitos reddere,ne potuiſſent ſeduci à Iudæis,qui circunciſionem docebant obſeruare,& ſacrificia legalia offerre, dicentes,Non poteſtis ſaluari per paſſionem Chriſti,nec per baptiſmum,niſi circuncidamini,& legalia:ſacrificia offeratis:oſtendit eis quo modo Abraham non per obſeruationem legis meruit iuſtificari,& amicus dei appellari,ſed propter fidem ſynceriſſimã,operationẽque probatiſſimã.*ſed qui de ancilla*, id eſt,Iſmael,qui de Agar *ſecũdum carnem natus eſt*, id eſt, ſecũdum humanæ conſuetudinis vſum,Dicit B.Auguſtinus quia cõſuetudo humanæ naturæ eſt,vt ſenex,iunctus iuuenculæ in coitu filios procreet:econtra ſenex & vetula copulati,naturale eſt vt deſiſtãt parere: Si verò iuuenis cum veterana mixtus fuerit,dicit etiam illos poſſet propagare filios,licet illud rariſſime in vſu habeatur.Secũdum hunc modũ & naturalem conſuetudinem quam primò diximus,vt ſenex iunctus iuuenculæ poſſit iuuencula generare,dicit Apoſtolus Iſmaelẽ natum eſſe. *Qui autẽ de libera*, id eſt,Iſaac de Sara *per repromiſſionẽ*, ſubaudis dei natus eſt, quæ facta eſt ad Abraham,non ſecundũ conſuetudinẽ humanã Sed quęſtio oritur in iſto loco,quare Apoſt.Iſaac ſolũmodo per repromiſſionem dicat natũ eſſe, cùm legamus etiam de Iſmaele promiſſionem factã eſſe.Nã legimus in lib.Ge.quia cum eſſet Agar in deſerto Sur, apparuit ei angelus domini inquiẽs:Agar ancilla Saræ vnde venis,aut quo vadis?Quæ reſpõdit,à facie Saræ dominæ meæ ego fugio.Cui angelꝰ reſpõdit

ſpondit reuertere,inquit, & humiliare ſub manu illius.Et rurſum.Multiplicãs,inquit,multiplicabo ſemen tuum.Ecce paries filiũ & vocabis nomen eius Iſmael.Hic erit ferꝰ homo.Manus eius contra omnes, & manus omniũ cõtra eũ? Ad hoc dicendum eſt,quia quando iſta promiſſio facta eſt, Iſmael iã erat conceptus.Promiſſio verò quæ de Iſaac facta eſt, antequam conciperetur data eſt Abrahæ, ſicut ex verbis angeli poſſumus probare dicentis ad Abrahã:Secũdũ hoc tẽpus veniã,& erit Saræ filius.Vnde apparet Iſaac, non ſecundum naturã humanæ conſuetudinis eſſe natum, ſed per repromiſſionẽ ex lõgæuo patre & vetula matre,& quod maius eſt,ſterili, deo operante natus eſt *quæ per allegoriã ſunt dicta*, id eſt,quę ſuperius dicta ſunt de Agar & Sara,De Iſmael quoq; & Iſaac ſpiritualiter ſũt dicta,& ſpiritali indigẽt expoſitione.Hãc habet cõſuetudinẽ B.Paulus,vt ſpiritalẽ intelligentiã allegoriã appellet.Allegoria autem propriè ad grãmaticos pertinet.Eſt enim tropus quo aliud ſignificatur quã dicitur & quæ hic dicta ſunt,allegoricæ intelligenda ſunt,vt ſequentia manifeſtant. *Hæc* inquit *ſunt duo teſtamenta*, id eſt,illa quæ ſupra memorata ſunt ſignificant duo teſtamenta.Nã quantum ad ſenſum pertinet litteræ Agar & Sara duæ mulieres fuerunt, & Iſmael,& Iſaac duo homines.Quantum autem ad ſpiritalem intellectum attinet Agar ancilla quæ filiũ genuit in ſeruitute,ſignificat legem quæ genuit & habuit Iudaicum populũ ſub ſeruitutis iugo.in quo ergo fuit Iudaicus populus ſeruus?In hoc vtique,quia cogebatur ſeruire legi,circunciſionẽ ſeruare, legalia ſacrificia offerre,& cætera innumerabilia cuſtodire, quæ impune non poterant tranſgredi.Non ſolum autẽ corporali vindictæ tranſgreſſor ſubiacebat,ſed etiam maledictioni ſubiiiciebatur,quæ & ipſa lege,continebatur.Maledictus omnis,inquit,qui non permanſerit in his omnibus. *Deut.26.* Et dum huiuſcemodi mãdatis ſtringebatur,quodammodo ſeruus erat.Sara autẽ libera,quæ filiũ liberum genuit, ſignificat gratiã noui teſtamenti quæ genuit populum Chriſtianum liberatum in baptiſmate,non ſolum ab originalibus & actualibus peccatis,ſed etiã ab omni ſeruitio legis, qui hęreditatẽ Chriſti,hoc eſt patriã Chriſti hæreditabit. Habuit autẽ & Abrahã duos alios filios de Cæthura,quam Hebræi Agar dicunt eſſe,ſed tamen illi nõ fuerũt digni ad

hæreditatem paternam admitti. Similiter in sancta ecclesia sunt multi qui renascuntur in baptismate, & qui filij videntur esse Abrahæ, sed quia opera non habent Abrahæ, sequendo varios errores, diuersáque schismata, & variis erroribus se implicunt, se implicant, nō merebuntur cum electis hæreditate patriæ cælestis frui. De istis talibus dicit Ioan. euang. De nobis exierant, sed non erant ex nobis. hæc in quit, sunt duo testamenta. Testamētum dicitur à testatoribus. Testamentū verò vetus habuit testatores, angelos & Moysen, aliósq; prophetas. Testamentū autē nouum habuit vnum verissimū dominū Iesum Christum, & Apoquorum ministerio per quadrisidum orbem est diuulgatū *vnum* subaudis testamentum datum est *in monte Sina generans* subaudis Iudaicam plebem in seruitutē *quæ Agar* hoc est quæ significatur per Agar. Lex per doctores synagogæ generabat populum in seruitutem sibi. *Sina enim mons est in Arabia* prouinca *quiconiuncta est ei quæ nunc est Hierusalem* hoc est conterminus terræ repromissionis, in qua est Hierusalem & ipsa Hierusalem *seruiuit cum filijs suis*, id est, sacerdoti & doctoribus qui in Hierusalem maxime habitabant cum subiectis suis omnipotenti deo sub seruitute legali, Arabia prouincia est multas gentes & regiones in se continens. Ammonitas videlicet Moabitas Philistæos, Idumæos & alias quam plures. In qua prouincia est Sina mons, tantæ magnitudinis & longitudinis, vt conterminus sit terræ repromissionis, sicut sunt, verbi gratia montes qui cingunt Italiā, & diuidunt ab aliis regnis, & omnia quæ superius premisit apostolus, ideo texuit vt ad hoc peruenire quod modo dicit de Sina monte, qui est vicinus terræ iudæorum, vt ostenderet iudæos non solum, per legem quam acceperunt seruos esse, sed etiam ex vicinitate locorum & quia mons illis adhęrebat, in quo legem seruitutis acceperunt. *Illa autem quæ sursum est Hierusalem* Hierusalem quæ interpretatur visio pacis, significat sanctā ecclesiam, deum mente videntem, quæ constat ex angelis & hominibus, quę partim iam regnat cum Christo, partim autem adhuc peregrinatur à deo in terris. Sed de illa quæ iam cū Christo regnat in angelis & hominib⁹ iustis, partim in corpore, partim in anima, non est dubium quin sursum sit in cælesti beatitudine. De ista autē quæ adhuc peregrinatur

egrinatur in terris quærendum est quomodo sursum sit. Sursum dicitur esse, quia licet corpore inhabitet terram, mente tamen inhabitat cælum dicens cum Apostolo. nostra autē conuersatio in cælis est, & semper cælestia opera agit, id est illa per quæ ad cæleste regnum possit pertingere. Quæ etiā bene mater nostra dicitur, quia Apostoli & martyres sanctiq: prædicatores, qui nos præcesserunt, ipsi nos genuerunt in fide Christi sua doctrina, & suis scriptis atq; exemplis. De qua generatione dicit Apostol. Corinthiis: Per euange. ego vos genui. *Scriptum est enim. Lætare sterilis quæ non paris, &c.* Hoc testimonium in Isaia nobilissimo prophetarum habetur. Quod dupliciter potest intelligi. Dicit ergo ecclesiæ de gentibus quæ diu & longo tempore sterilis mansit à bono opere, & deo filios non genuerat, hoc est à destructione turris Babel, quæ nūc est Babylon vsque ad aduentum domini ibi enim diuisum est labiū vniuersæ terræ, & tantummodo dei cognitio in sola domo Hebræorum mansit. Dicatur ergo. Lætare, id est gaude & exulta ó ecclesia de gentibus, quæ antea sterilis eras, & quæ deo filios non pariebas. *Erumpe* in gaudium, *& clama* præ nimia iucunditate, quæ non pariebas, quia plures filij deo accepti tibi erunt: quam synagogæ, quæ quondam habuit deum omnipotentem verum protectorem sui, vel quæ modo gloriatur, & putat se habere verum deum, cum illum amissum habeat postquam dixit, non habemus regem nisi Cæsarem. Dicamus & altius iuxta beatum Augustinum: referentes ista ad ecclesiam, quæ iam regnat cum Christo in cælis, quæ sterilis appellatur, non à bono opere & laude creatoris sui, sed carnali propagatione, propter peccatum enim venit mors, quæ nihil aliud est nisi dissolutio elementorum, & propter mortem venit successio filiorum. In præsenti siquidē vita necesse est vt procreentur filij carnales: qui patribus mortuis vel morituris succedent in hæreditatē: In illa autem beatitudine vbi nemo moritur, non est necesse vt fiat successio filiorum per propagationem carnis. Quapropter appellatur sterilis: & dicitur ei congaudendo voce prophetica. Lætare ecclesia sterilis à carnali procreatione, quæ non paris filios carnales cum dolore & nimia anxietate, quia plures filij desertæ quodam gentilitatis venient tibi, quam ex synagoga quæ

olim habuit deum omnipotentem virum, vel quæ modo gloriatur se habere. Omnibus enim patet plures ex gentibus transire ad gloriam sempiternam quàm ex Iudæis. Similiter in præsenti ecclesia plures habet filios fideles ex gentilitate quàm de synagoga. Per omnes enim pene ciuitates & regiones, vicos quoque & villulas gentiles clamant se credere in Christum, Iudæorum autem rarus aut nullus inuenitur qui credere in Christum confiteatur. *Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filij sumus* iungit se Apostolo Galatis credentibus, & dicit: Nos autem fratres, id est ego & vos secundum Isaac promissionis filij sumus, hoc est, Sicut nos qui in Christū credimus filij Abrahæ sumus, dicente domino ad Abraham, in semine tuo benedicentur omnes gentes: & sicut Isaac secundum promissionem natus est, ita nos filij sumus promissionis. *Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat*, &c. Alloquitur Apostolo Galatas vt se custodiant à Iudæis, ne possint ab eis seduci: O Galatæ cauete & declinate à Iudæis: quoniam sicut Ismael qui secundum humanæ consuetudinis vsum natus erat, eodem modo quo superius diximus *persequebatur* tunc Isaac, qui secundum spiritalem repromissionem datus fuerat Abrahæ, *ita & nunc* persequitur Iudaicus populus qui designatur per Ismaelem natum de ancilla: populum Christianorum nos & alios qui designantur per Isaac natum de libera, vt ad seruitutem illos legis inclinent. De ludo puerorum Ismael & Isaac Iudæi varia dixerunt. Quidam enim dicunt, quia volebat quodam genere ludi prouocare ad saltum, teneus pertica in manu vbi optabat eum ita debilitari, vt indignus fieret honore primogeniti & hæreditate paterna. Quidam etiam dicunt, quia volebat ei suadere quibusdam turpitudinibus misceri, pro qua notabilis & despectu haberetur patri & matri, & vt diximus, indignus fieret hæreditate primogeniti. Sciebat enim se nullo modo posse pertingere ad hæreditatem paternam & dignitatem primogeniti, vtpote qui ex ancilla erat, licet primogenitus fieret nisi illum ita vituperabilem redderet aut in corpore, aut in leuitate mentis, vt patri, & matri pro nihilo haberetur. Sed quicquid illud fuerit, plane apparet, illum laudum non simplicem fuisse, pro quo mater indignata præcepit

Gene. 22.

Gene. 19.
Gene. 21.

cepit pariter matrem cum filio, à domo & consortio filij liberi eiici, Beatus etiam Apostolus doctus ad pedes Gamalielis legis doctoris, qui omnem scientiam legis & prophetarum quæ tunc temporis penetrari poterat, intellexit: similiter illum ludum non simplicem esse sciebat, quem appellauit persecutionem, Volebat enim eum leuem & scurrilem facere, ac dignitate priuari, & se sublimari. *Sed quid dicit scriptura? Eiice ancillam & filium eius.* Quantum ad literam pertinet, ob huiusmodi causam quam diximus, præcepit eum mater eiici, quantum vero ad spiritalem intelligentiam attinet, quandiu Iudæi ancillæ filij volunt esse, & filium liberæ persequi. hoc est, quandiu legi volunt esse subiecti in circuncisione & sacrificiis legalibus, non credentes se per passionem Christi posse saluari, & quandiu nos volunt persequi qui iam sumus liberi effecti ab hæreditatem ecclesiæ repellēdi sunt. *Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Hoc est, filius peccati & malæ concupiscentiæ, quæ potest intelligi per ancillam filius carnalis legis, qui legem carnaliter obseruare nititur, non erit hæres in hæreditate patriæ cælestis cum filiis liberis, qui liberi efficiuntur in baptismate, nō solum ab originalibus peccatis, sed etiam ab omni seruitio legis, *itaque fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ*, id est non sumus iam legis filij, quæ suos obseruatores seruos facit, sed filij nouæ gratiæ & filij euangelij per baptismum & per dona spiritussancti, quæ accepimus tam in baptismate quam per impositionem manuum episcoporum, & per communionem corporis & sanguinis domini cui participamus, & illa *libertate* sumus liberi *qua Christus nos liberauit*. Per passionem suam & per baptismi gratiam, Omnis enim qui fidem Abrahæ habet, & imitator operum Abrahæ existit, vtique filius est Abrahæ, non per naturam, sed per imitationem, sicut alias Apostolus dicit: Si ergo vos Christi, ergo semen Abrahæ estis. Qui vero fidem quam habet, bonis operibus non exornat, nimirum non reputabitur inter filios Abrahæ, neque accipiet hæreditatem cælestem cum illis. Quapropter laborandum est omnibus nobis, vt fidem quam habemus, executione bonorum operum studeamus decorare veri imitatores illius effecti.

Actu. 22.

PAPVT V.



Ico autem in Christo: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. De hac lectione diuersi doctores non æqualiter sentiunt, dicentes quidem de spiritu hominis locutum esse hic apostolum sicut Cassianus vir prudentissimus in collationibus patrum quidã de spiritusancto, vt beatus August. Quod vtrunq; non incongrue: neq; cõtra rectitudinem fidei accipi potest. Dicamus igitur iuxta Cassianum, spiritu ambulate, id est spiritu ducẽte viuite. Quid est ergo spiritus hominis? Principalitas animæ quæ, & rationabilitas mentis appellãtur, per quã possumus cognoscere quid debeamus appetere, & quid vitare, Si (inquit) spiritu vixeritis hoc est, si iuxta rationabilitatẽ & intellectũ mentis vixeritis, desideria carnis, id est desideria carnalis hominis & cõcupiscẽtiæ malæ ac desideria delectationis prauæ non perficietis. Quæ sint desideria carnis, in subsequentibus manifestabitur. Dicamus & aliter, sequentes sensum beati Augustini. Notũ habetur apud eruditos, spiritusancto dictante, atque reuelante (qui vnius substantiæ est cum patre & filio) scripturas sacras conscriptas esse, & omnia diuina eloquia & præcepta quæ in lege & prophetis & euangelij gratia continentur ab illo data esse. Idcirco dicit Apostolus: Spiritu ambulate, id est, sicut spirituſsanctus docet ac præcipit in diuinis scripturis, ita viuite & conuersamini, ambulantes & crescentes de virtutes in virtutem, de fide ad spem, de spe ad charitatem, de charitate ad operationem perfectam. Quod si hoc feceritis, desideria carnalis concupiscẽtiæ non perficietis. Quid est quod dicit Apostolus? *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autẽ aduersus carnem?* Nunquid potest caro aliquid concupiscere si defuerit spiritus? Non. Quod probari potest ex corporibus mortuis, postquam enim spiritum exhalauerint, non solum concupiscere non valent, sed etiam aliquod membrorum per se mouere non possunt. Carnem ergo appellat hominem, qui carnalia tantum & corporalia quærit, carnalem quoque consuetudinem & delectationem. Licet enim caro non valeat per se aliquid implere, si defuerit spiritus, tamen quandiu

quandiu à spiritu viuificatur, semper contraria videtur spiritui, id est, rationabilitati mentis. Quapropter dicit Apostolus. Caro concupiscit, &c. Quomodo concupiscit caro aduersus spiritum audiamus. Caro desiderat semper repleri cibis, inebriari, luxuriare, in omni delectatione manere, quærens semper quod suum est. Ecce quomodo caro concupiscit aduersus spiritum. E contra spiritus cõcupiscit aduersus carnem, quia ille delectatur ieiuniis, abstinentia, castitate, & his quæ carni contraria sunt. Sed sequẽdus est semper spiritus, quia ille quærit per quod anima viuit deo. Similiter possumus & de spiritu sancto dicere. Dum enim carnalis delectatio desiderat transgredi præceptũ dei, aduersus spiritum sanctum cõcupiscit, & dum spirituſsanctus prohibet in lege & prophetis atque in euangelio quę caro desiderat, aduersus illam concupiscit. Vnde subdit Apost. *Hæc* inquiens, id est caro & spiritus *sibi inuicem aduersantur.* &c. Sic sibi inuicem cõtraria sunt caro & spiritus, vt quod vult caro non consentiat spiritus: & quod spiritus, non cõsentiat caro: quia caro delectat seruire vitiis, spiritus autẽ virtutibus. *Quod ducimini spiritu*, id est si rationabiliter viuitis & conuersamini, *non estis subiecti legi*, & nõ est vobis necessaria lex: quia lex non est iustis posita, sed impiis & peccatoribus. Aliter: Si spiritu ducimini, id est si spirituſsancto gubernamini, & secũdũ quod spirituſsanctus docet in scripturis sanctis viuitis: non estis subditi legi, sed alieni estis ab ea. nihil ei debẽtes. *Manifesta autem sunt opera carnis quæ sunt.* Omnibus in Christum credẽtibus, maximẽq; illis qui spiritalem vitam sectantur, intantum nota sunt, vt etiam ab illis se alienos reddant: scientes quia mortem generant. *Fornicatio*, dicitur à fornicibus, hoc est, à locis theatralibus & lupanaribus, quæ fornicibus, id est arcubus sunt cõstructa quæ & harenaria tunc appellabantur, in quibus erant meretrices, cum quibus commiscebantur spurciſsimi quique. Fornicari autem est, cum puellis liberis, cũ viduis nõdum deo sacratis coire, *immunditia*, *impudicitia*, luxuria, potest appellari quocunque modo fiat, Luxuria vero est noxius humor superabundans. *Idolorum seruitus*, est idololatria, quæ tunc temporis erat pene in omnibus gentibus. Possumus & per hoc quod dicit, idolorum seruitus. altiori sensu auaritiam intelligere. Vnde in epistola ad Colosſ.

Veneficia sunt maleficia, hoc est, maleficæ artes per quæ coguntur sæpe miseri amare & amari. Vnde dicuntur veneficia, quasi veneno infecta. *Inimicitiæ* sunt malæ voluntates *contentiones* sæpe ex superbia procedunt quia volunt contendere de quæstionibus diuinarum scripturarum atque etiam humanarum, vt dum illi victores existunt, glorificentur *æmulatio* est inuidia, de qua legitur, quod æmulantes, hoc est inuidentes Ioseph fratres sui, vendiderunt illum. *Ira*, est grandis commotio animi. Et hoc distat inter iratum ac iracundum, quia iratus pro tempore est: iracundus vero facilè irascitur, & semper pronus est ad irascendum *rixæ* sunt lites & cõtentiones, quæ plerumq; sine causa exurgunt. *Dissensio*: est discordia quę solet oriri inter maritum & vxorem: inter fratres quoque atque contubernales vel cõmilitiones *sectæ* sunt diuisiones. Idem sunt & hæreses. Dicuntur autem vel à secando, id est diuidẽdo, eo quòd diuidant se à cõmunione aliorũ sicut hæretici faciebant, qui ab ecclesiæ vnitate se segregabant de quibus Ioan. dicit: A nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Vel etiã à sequẽdo dicuntur sectæ, sicut hæreses ab eligendo, ex eo quod ex multis erroribus vnum eligant, & illum sequantur. *Inuidiæ*. Inuidia in geminam scinditur passionem cum aut is qui in honore est, videns alium attente attendere, inuidet ei ne ad eundem peruenire possit honorem: aut cũ aliquis alterius fœlicitate torquetur, videns illũ superiorẽ se *ebrietas*, Briam genere masculino dicimus calicem aptum potioni vini. *Comessatio* dicitur mensæ collatio siue mensæ alternatio. Sunt enim conuiuia quæ celebrantur alternatim, & præparãtur à sociis per dies & vices sunt alia quæ ex communicatione præparantur, quando vnus affert panem, alius vinum, alius aliud. Quæ idcirco appellantur comessationes, hoc est mensæ collationes, quia sicut omnes propriis vtuntur cibis & communibus, ita etiã pro libitu suo vnusquisque quicquid scurrilitatis & otiositatis ei placet loquitur, ideo vocantur turpia conuiuia, *& his similia* subaudis peccata, opera sunt carnis *quæ* opera *prædico vobis* modo *sicut prædixi*, vbi prædixit? Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. *Quoniam qui talia* subaudis opera *agunt, regnum dei non consequentur*. Non dixit, qui talia egerunt sed qui talia agunt, id est, qui in talibus

libus permanent vsque ad diem mortis suæ, vitam æternã non possidebũt. Sic & dominus dicet in die iudicij reprobis: Discedite à me qui operamini iniquitatẽ, non operati estis, sed qui in peccatis vitam finistis. *Fructus autem spiritus est charitas*. Charitas græcum est, & interpretatur in latina lingua dilectio. Dicitur autem dilectio, eo quòd duos liget, deum & hominẽ vel duos proximos. Quæ merito in numero virtutum primatum tenet quia ipsa ligat cæteras virtutes. Est autẽ charitas, amor & dilectio qua diligitur deus & proximus & inimicus etiã propter deũ. *gaudiũ*, est exhilaratio cordis, & hoc distat inter gaudiũ & lætitiã, quia gaudiũ nimia est exultatio cordis & corporis: lætitia verò est mediocriter, & fit solũmodo in corde. *pax*. est quies & trãquilitas siue lenitas mẽtis, à qua Salomon nomen accepit. i. pacificus, eo quòd in diebus eius quies esset data, *longanimitas* est perseuerentia in bono opere, & tolerãtia inter aduersa vnusquisq; enim fidelis lõganimis debet esse, vt perueniat ad præmiũ promissum. iuxta quod dominus ait: Qui perseuerauerit vsq, in finẽ &c. *bonitas* est bona volũtas, *benignitas* est volũtas prõptissima moribus & dulci eloquio tẽperata, inuitans nõ solũ benevolos ad se diligẽdos, sed insuper illos qui contrarij videbantur esse. Vnde dicitur benignus, quasi valde nimisq; bon⁹ *fides*, est qua credimus deũ omnipotentẽ trinitatẽ habere in personis, vnitatẽ in subst ãtia: & qua speramus & credimus ea quæ necdũ videmus. Illarũ enim rerũ quas videmus, neq; est fides, neq; spes, sed illarũ quæ necdũ viſę sunt à nobis, verbi gratia. Credimus dominum Iesum passum esse resurrexisse à mortuis, & ascendisse ad cælos, vẽturũ ad iudiciũ, reddere vnicuiq; secundũ quod meretur. Fides est & credulitas, qua speramus ea quę nõ cernimus oculis corporeis. *modestia* est mansuetudo & lenitas mentis, quæ læsa non facile irascitur. *continentia*, est abstinẽtia qua se cohibet homo à coitu, & mulier vidua similiter ab omnibus illecebris. *castitas* verò proprie virginum est, vnde dicitur castitas quasi castratus. Et hoc est inter continentiam & castitatẽ: quia continentia potest esse coniugatorum viduarum & viduorum atque virginum: castitas verò virginum propriè est. *Aduersus huiusmodi non est*. i. huiusmodi hominibus talia operantibus non est lex contraria neque illis necessaria. Etenim alieni sunt ab ea. Qua-

re non est lex illis necessaria,aut cõtraria? Dicit illa. Non adulterabis,non occides, illi non solum hoc non faciunt, sed etiam castitatem seruant, & custodiunt se non solum ab homicidio:sed insuper inimicos suos diligunt. *Qui autem sunt Christi,* id est,qui pertinent ad sortem Christi vitia & concupiscentias malas in carne sua mortificauerunt. Quot enim peccata à nobis expellimus, tot vitia in nobis semper occidimus: & carnem crucifigimus & mortificamus, quando delectationi prauæ & voluntati peruersæ non consentimus.

CAPVT VI.

Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. Hic de spiritu sancto loquitur: Si,inquit,spiritu viuimus,hoc est,si per spiritum sanctũ vitã habemus,per quã viuimus deo,spiritaliter debem⁹ cõuersari & viuere ambulãtes de virtute in virtutem,virtutes sectãdo,vitia respuẽdo. Vita animę,fides est qua credimus deũ omnipotentẽ:& sicut corpus viuit anima,ita anima viuit fide,iuxta quod per prophetam dominus dicit:Iustus autem meus ex fide viuit. Quod si subtraxerit se,non placebit animæ meæ. Quæ fides per spiritum sanctum nobis tribuitur, quæ est vnius substantiæ cum deo patre & filio: & non sola fides ab illo nobis datur sed etiam quicquid boni habemus ab illo nobis administratur. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Quæ est inanis gloria? Laus humana, fauor terrenus, de qua dicit Christus: Si gloriam ab hominibus quæro,gloria mea nihil est. Quæ recte inanis gloria dicitur,quia vacua est ab omni vtilitate, Est tamen gloria vtilis,de qua dominus dicit. Qui me glorificauerit, glorificabo eum. Qui sunt ergo cupidi inanis & terrenæ gloriæ? Qui per hoc quod agunt non quærunt deo placere, neque mercedem æternæ remunerationis ab eo recipere,sed gloriam & laudem temporalem, de quibus dicit dominus: Omnia opera sua faciunt vt glorificentur ab hominibus. Isti tales audient in die iudicij: Recepistis mercedem vestram, quia multi sunt qui non solum pro bono quærunt laudari,sed etiam pro malo: & non solum ab aliis, sed insuper ipsi se extollunt & gloriantur de virtutibus. Perfecta

ta autem & plena est gloria,vt homo pro bono quod agit,omnipotenti deo desideret in corde placere, & ab illo mercedem expectet,& gaudeat in corde quod placeat creatori suo,& ita agat bonum quod operatur vt opus sit in publico,& intentio in occulto. Qui hoc facit ille non est cupidus inanis gloriæ. *inuicem prouocantes* vos ad iracundiã, ad lites,ad contentiones. *inuicem inuidentes* vobis. Erant ex Galatis quidam seducti à pseudoapostolis & à Iudæis, contendentes de genealogiis & quæstionibus legis. Ex quibus quidam dicebant. Melior est circuncisio quam baptismus. Et econtra alij: Melior est baptismus quam circũcisio. Item alij dicebant: Melior est allegoria quam historia:quia allegoria,id est,spiritalis intelligentia viuificat,litera occidit. Et econtra alij dicebant: Melior est historia vbi veritas continetur,quam allegoria vana & vmbratica.

Fratres si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto. Præoccupare est præuenire. vnde in Psal. canitur, præoccupemus,id est, præueniamus faciem eius in confessione peccatorum nostrorum. Præoccupatur ergo homo in peccato, quando subitò & insperato peccat, quod ante non fuerat præmeditatus: Quando vero præmeditatur quomodo perpetret homicidiũ,adulteriũ,aut aliquid tale,non est præoccupatio,sed præmeditatio & perpetratio sceleris: & aliter reprehendendus est ille qui insperate peccat, quod ante præmeditatus non fuerat,i. præuentus à peccato, & aliter ille qui diu illud est præmeditatus. Ille enim corripiendus est cum lenitate mentis,ne labatur in desperationem: iste verò atrociori indiget castigatione,& bene addidit, homo quia fragilis est & caducus, citóque labens ad culpam,& maximè ille,qui simplicitatem habet sine astutia *vos qui spirituales estis* qui duplicitis vitam spiritalem, & soliciti estis in fide & in doctrina illos qui præoccupantur & simplicio res sunt *instruite* & corripite leni affectu & cum suauitate mentis, promittentes eis veniam, ne forte in lapsum desperationis ruant. *considerans teipsum* quia homo fragilis naturæ es sicut & ille, ideóque potes tentari & præueniri à peccato sicut & ille,& dum consideraueris te posse tẽtari,& in peccatum ruere,sicuti velles corripi, si talia ageres,& castigari cum lenitate mentis,ita corripe, & admone illum. *Alter alterius onera portate.* Sunt onera alicu-

ius ponderis, & sunt onera peccatorum, de quibus dicit Psalmista: Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue, &c. De quo onere & hic dicitur, & est sensus: Si vis patienter portari & sustineri si peccas, & cum moderatione corripi porta similiter patienter fratrem tuum, si peccauerit. Potest & aliter intelligi secundum sensum beati Hieronymi, Alter alterius onera portate, hoc est, qui abundas diuitiis bonisque temporalibus, sustenta fratrem pauperem. Verbi gratia, Habeo sororem pauperrimam, cuius paupertas onus meum est, præbendo ei victum & calciamentum, sustento onus meū. Habeo vxorem: nō possum esse continens: sed egestate nimia præmor, tu qui deo donante continēs es & bonis temporalibus abundas: porta onus meū. Vide comparationē ceruorum in epist. ad Colos. quā B. August. ex hoc donat. Quia & si in animalibus ratione non vtentibus illud fit, quanto magis in hominib⁹ debet fieri? Si (inquit) hoc feceritis, adimplebitis legem Christi, hoc est, pactū Christi quod ipse dedit discipulis suis, dicens: Hoc est præceptum meū vt diligatis inuicem, & mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem, *Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit,* hoc est, qui confidens in suis virtutibus & meritis, dedigna tur onus fratris portare castigando cum suauitate & admonitione dulci, cum sit ipse nihil apud deum, & quia eius opera deo non placent *ipse se seducit* & decipit. Ideo autem dicitur nihil esse, quia non adhæret illi qui substantialiter habet esse, & qui nostræ fragilitati condolens pro nobis humiliari indignatus est, cum deus esset. Omnis enim creatura quæ non adhæret illi qui semper habet esse, nihil est. *Opus autem suū probet vnusquisque*, hoc est, consideret quid boni habeat factū, & sic in corde suo gaudeat, eo quòd placeat creatori suo, & non quærat alterius laudē, *Vnusquisque enim onus suum portabit.* Contraria videntur hæc verba superioribus, vbi dixit. Alter alterius onera portate, Sed sciēdum quia pertinent illa ad tempus præsentis vitæ, ista verò ad diem mortis, vel generaliter ad diem iudicij, & est sensus. Qualia fecerit vnusquisque, talia recipiet, si bona fecerit, bona recipiet: si mala, damnationem æternam recipiet. Et notandum, quia onus in bonam & malam partem in hoc loco potest accipi, quia ad electos & reprobos pertinet.

tinet. Onus sanctorū erit magnitudo gloriæ, onus reproborum ineffabilis miseria & cruciatus. *Communicet autē is qui catechizatur verbo ei qui se catechizat in omnibus bonis*, id est, discipulus vel quilibet auditor qui instituitur & docetur verbo doctrinæ, communicet vel administret ei magistro vel prædicatori in omnibus bonis qui se instruit & docet. Auditores & discipulos admonet, vt doctoribus suis à quibus accipiunt verbum vitæ & fidei, impendere studeāt bona temporalia, hoc est, victum & vestimentum, quia dignus est operarius mercede sua: quia dominus ordinauit de euangelio viuere qui euangeliū annuntiāt. Possumus & per verbū intelligere & deuotionis fructū, & ré boni operis & studij, vt illud Moysi, quomodo palā factū est verbū istud? vt referamus hoc ad discipulū, cōiecit autē. 1. placabilem se facit studio & fructu deuotionis discipulus vel qui catechizatur, magistro qui se instituit bonis, & docibilē & obedientē in omnibus bonis quæ deo non displicent. Poterat aliquis discipulorū dicere: Non habeo quod impendā magistro: quia ager meus, id est annona mea siccitate aruit, vinea mea grandine consumpta est, oues pestilētia correptæ sunt: sues sagina tumescēte mortuæ sunt. Sed vt Apost. omnem occasionem excluderet, dixit: *Nolite errare, deus non irridetur* hoc est, nolite mentiri: quia homo potest mendaciū suscipere, deus verò non potest: & deus qui omnia secreta cordium penetrat non potest falli. Dicis ò auditor quicunque es, non posse te sumptus ministrare magistro tuo, præmente te nimia egestate. Nolite decipere quasi fallere possis deum, sed vnde tu viuis, inde sustenta & magistrum, quia si non habes ex præsenti anno fruges, habes ex præterito, potes etiam impetrare mutuo à vicinis de futuro. *Quæ enim seminauit homo, hæc & metet*, hoc est qualia fecerit, talia recipiet. Duos agros habemus corpus & spiritum. *Si seminauimus in carne*, id est, si carnalia opera egerimus & carnalia desideria secuti fuerimus, de ipsa carne. *metemus corruptionem*, hoc est, damnationem accipiemus, & trademur in die iudicij pœnis inferni, vbi corrumpemur à vermibus & igni perpetuo. *Si verò seminauerimus in spiritu*, hoc est, si spiritalia opera impleuerimus & præceptis sancti spiritus obedientes fuerimus *de spiritu*, spiritalibus operibus spiritusancto donante *vitam æternam ac-*

cipiemus. Bonum autem facientes non deficiamus, id est,à bono opere quod inchoauimus,non cessemus,sed in hoc perseue remus,vt salutem cõsequamur quam dominus promisit,inquiens,Qui perseueraverit vsque in finẽ,hic saluus erit. *tẽpore enim suo,* id est tempore congruo & oportuno *metemus* hoc est, mercedem nostri laboris accipiemus *non deficientes* à præcipienda mercede operis.Modo est tempus seminandi,hoc est:bonum operandi,in die autem iudicij vel in die mortis erit tempus messionis & collectionis. Illa nunquam deficiet collectio,quia illa vita sine termino manet.annisq; voluentibus illa semper iuuenescit & pollet, *Ergo dum tempus habemus,operemur bonum ad omnes.* Tempus seminandi & operandi virtutes,præsens vita est, quia post istã nõ erit tempus vel spatium pœnitẽtię atque salutis.De hoc tempore dicit Apost.alibi:Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.In isto tẽpore debemus operari bonum ad omnes homines,ad fratres,ad hæreticos,ad paganos,tam in eleemosynæ officio quã in doctrina verbi.Omnibus enim hominibus misericordia impendenda est,& doctrina fidei imitando patrem nostrum, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. *Maxime autem ad domesticos fidei* oportet bonũ operari.Domestici dicuntur à domo,qui in vna domo nutriuntur & cõuersantur.Ad omnes quidem bonũ debemus operari,hoc est,ad hæreticos ad paganos,sed maximè ad illos qui vna domo,id est,in vnitate ecclesiæ nobiscũ sunt,& qui eandem fidem habent,&præcipue ad illos qui iter rectitudinis nobis ostendunt verbo & exemplo. *Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu.* In fine omnium epistolarum suarum.Apostolus nomen suum Hæbraicis literis scribebat ne à pseudoapostolis eius dicta corrumperentur in hac verò epistola sicut tradunt doctores,ab hoc loco vsque ad finẽ propria manu scripsit,vt eos ad fidem Christi plenius traheret,dum viderent eius amorẽ erga se. *Quicunque enim placere vult in carne,* id est,qui volunt placere in carnali circumcisione scribis & pharisæis suis ministris.illi cogebant circumcidere gentiles, & hoc ideo vt persecutionem crucis Christi non paterentur.Nã Octauianus,Caius, aliique imperatores decreuerant, vt vbicunque essent Iudæi,suis legibꝰ vterentur,& Iudæi qui legem & euangelium volebant tenere,idcirco se circumcidebant,

Matt. 10.

debant,ne propter nomen Christi persequerentur,dicentes se Iudæos esse,& circumcisos,& legẽ custodire.Sed ideo non custodiebant,quia erant homicidæ,adulteri,inuidi,cupidi,aliisque vitiis pleni. *vt in carne vestra glorientur.* Gloriabantur Iudæi,dicentes tot gentiles heri coegi ad circũcisionem,tot hodie. *Mihi autem absit gloriari.* Nolo gloriam in diuitiis huius mundi & dignitatibus, *sed in cruce Christi,* id est passione illius quæ in cruce est celebrata,gloriabor , vnde est mea redemptio & saluatio , vel in cruce Christi gloriabor , id est ex hoc gloriabor si potuero imitari passionem Christi,vt qualia ipse sustinuit pro me talia sustineam pro nomine eius *per quem* subaudis crucem vel Christũ.Dicit B.Hie.quia crux masculini generis est apud Græcos,& interpres huius epistolæ eundem articulum & eiusdem generis transtulit in latinum quã inuenit in Græco.Potest & referri ad Christum,vel pro amore passionis eius. *mortuus est mihi mundus & ego mundo* quia nec quæro nec diligo ea quæ sunt in mundo,nec mundus,id est amator huius mundi quærit vel diligit me.Verbi gratia , Sicut sunt duo mortui,ex quibus nullus tangit,vel diligit alterũ. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet,* id est,vtrum sit circumcisus an incircumcisus,nec prodest,nec obest in fide Christi, tantum vt per illam circumcisionem nõ credat se posse saluari.Si verò hoc credit,tunc obest. *super Israel dei* non super Israel carnalem,sed super omnes gentes veros Israelitas , qui deum mente vident. *nemo mihi molestus sit,* id est,nemo mihi quæstiones moueat de circũcisione & sacrificiis legalibus,quia multum tractaui de his omnibꝰ sæpe vobiscum. *ego enim stigmata Iesu in corpore meo porto.* Stigmata sunt notæ seruilium pœnarum,quibus solent serui fugitiui vinciri comprehensi à dominis suis.Et B.Apost. stigmata siue notas ferebat , quæ pro Christo sustinuerat, quia adhuc plagæ virgarum & lacerationum in corpore eius apparebant,& quomodo catenis fuerat astrictus & per plateas tractus, &c.

FINIS.

In epistolam ad Ephesios Argumentum Haymonis.

Ephesus ciuitas est Asiæ & Græciæ cuius habitatores Ephesij nominantur à noie suæ ciuitatis quam incolunt. Hi accepto verbo veritatis ab Apost. perstiterunt in fide, nec receperunt falsos Apostolos sicut & galatæ & alij. Ad hos ergo cum venisset Apost. mansit cum eis anno vno & mensibus sex instanter predicans verbum euangelij, & confortans in fide credentes. Erant autē mixti in eadē ciuitate magi & philosophi, iudæi & gentiles, contra quos Apostolus viriliter pugnauit pro veritate euāgelij quasi ad bestias sicut alibi dicit, Si ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest si mortui non resurgunt. Ipsos ergo appellauit bestias propter sæuitiā & propter bestiales mores. Ephesus interprætatur voluntas in ea. & vbi quondam ira omnipotentis dei fuerat propter idololatriā atque maleficia, vbi per prædicationem Apostoli voluntas dei omnipotentis requieuit. Sed & hoc sciendū, quia hanc epistolam de Roma, positus in carcere, per Tychicū Diaconum misit eis: & pene omnibus epistolis difficilior est quia sicut cor in medio ventris, ita ista in medio corpore epistolarum consistit.

In epistolam Pauli ad Ephesios, exegesis.

CAPVT I.

PAulus Multi quærūt quare Apostolus qui antea Saulus vocabatur quā ad fidē veniret, Postea Paul⁹ sit appellat⁹. Ex qua quæstione diuersa est autoritas patrum. B. Hieronymus dicit, quia à primo spolio quod abstulit diabolo, & attulit ecclesiæ, Paulus sit appellatus, à Paulo Sergio, scilicet viro prudēti, quē Christo acquisiuit. Dicit etiā beatus Hieronymus, quia humilitatis causa appellauit se Paulum, quasi modicum, Nam paulum siue paululum, modicum dicimus. Verg. habetur de Achæmenide fugiēte Polyphemum: Arma procul paulū conspectu territus hæsit. Paulū enim pro paululum posuit, sic & ipse Apost. alibi ait, Mihi omniū minimo data est gratia, & ego sum minimus Apostolorum. Quidam etiam dicūt illum fuisse binomium, vt Claudius quod autoritate patrum non roboratur. Autoritatis autem causa nomen suum posuit in omnibus epistolis suis, præterquam ad Hebræos, veluti solent facere hoc modo reges: Nero imperator Senecæ suo salutem, *Apostolus* hoc nomē græcum est, licet quidam dicant Hebræum, & interpretatur missus. Et rectè semetipsum nominat Apost. qui à domino missus est, dicente ipso ad eum: Ecce ego te mittam longè in regiones & gētes. Hoc etiam nomē Apostolatus, dignitatis causa posuit, vt maioris honoris essent eius epistolæ apud auditores. Apostolorum autem genera sunt quatuor: Primum est quod neque ab hominibus est, neque per hominem, sed à deo tā tummodo, de quorum numero fuerunt Moyses & Isaias, aliique quam plurimi prophetæ Apostoli, qui quamuis ab homine Christo essent missi, tamen ipse homo erat & verus deus, Moysi dictum est. Mittam, ad Pharaonē, & Isaiæ: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et ille, Ecce ego, mitte me. Et dominus. Vade, inquit, ad populum istum. Secūdum genus à deo est, sed per hominē, de quorum numero fuit Iosue, qui Deo præcipiente per Moysen missus est, aliique quā plurimi, qui electi vocibus populi pro meritis vitę deo volēte electi sunt, quia voluntas populi aliquādo voluntas dei est. Tertiū genus est quod de homine tantūmodo, & non à deo, cum fauore hominū aliquis eligitur, nō pro bona conuersatione, neq; causa religionis, sed pretio subrogatur in sacerdotij dignitatem: de quorum numero dicit vnibeatus Ambrosius: O episcope, vere nisi centum solidos dedisses, hodie episcopus non esses. De istorum etiam numero erant illi de quibus dicitur in lib. Reg. quia temporibus Ieroboam implebant manus suas, & fiebāt sacerdotes idolorum. Quartū genus est quod neq; à deo, neq; per hominē, sed à semetipso fit, vt sunt pseudoprophetæ & pseudoapostoli, qui dicūt. Hæc dicit dominus, cū dominus nō miserit eos. Sciendum etiam, quia inter istos omnes sunt quidā tantæ dignitatis, vt & prophetæ & Apostoli sint, vt Moyses, Ieremias, Isaias, Ioannes Baptista, de quo dicitur: Ecce ego mittā angelū meum ante faciem tuā. Ex quibus fuerūt Apostoli, qui præmia electorū & mala reproborū suis prædixerunt auditoribus. quidam vero solummodo prophetæ

officio funguntur *Iesu Christi* Iesus nomen est dominis assumpti à verbo, sicut ad Mariam angelus ait: Vocabitur nomen eius Iesus Christus vero nomen est dignitatis. A christmate enim, id est, ab vnctione dicitur Christus. Nam sicut apud Romanos diadema & purpura reges facit, ita antiquo tempore apud Iudæos vnctio chrismatis reges & sacerdotes faciebat: & per illam vnctionem visibilem, inuisibilem merebantur accipere gratiam spiritussancti. verbi gratia sicut in baptismate modo accipiunt credentes spiritussancti dona: Christus vero non est vnctus oleo visibili, sed plenitudine spiritussancti repletus, de quo dicit Psal. Vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ. Paulus ergo Apost. est Iesu Christi, quia ab illo est electus, & ab illo est missus *per voluntatem dei* subaudis patris. Ideo autem dicit per voluntatem dei patris, quia voluntas vna est patris & filij, Omnis salutatio epistolarum istarum, potest etiam media distinctio in hoc loco esse vbi dixit, in Christo Iesu, vt quidã simplicium dicũt, & postea subinfert. Gratia vobis: sed melius & congruentius est perfectam distinctionem ibi ponere. Et cum subauditione, Salutem dicit, ac deinde alium versum incipere, Gratia vobis & pax: quia quod dicit, omnibus sanctis qui sunt Ephesi, salutem optat, tertia persona est, quam requirit omnis salutatio, & quod subnectit, Gratia vobis, iam secunda persona est, ad quam debitus conuertitur postea salutationis sermo. quare autem dicit, cum omnibus sanctis & fidelibus? Quia non omnes fideles sancti sunt. Sunt enim cathecumini fideles, quia credunt in verũ deum, sed quia nondum sunt baptizati, nõ sunt sancti. Ideo addidit *in Christo Iesu* quia sunt multi qui sunt fideles, sed non in Christo Iesu: sicut sunt serui, qui non ideo sunt fideles dominis suis, vt gratiam Iesu Christi inueniant, sed gratiam dominorum suorum, & quia timent flagellari ab illis. Illis ergo Apost. optat salutem qui sanctificati sunt in baptismate, & fideles sunt in Christo Iesu, hoc est, fidem habent Iesu Christi: & fidem quam habent, bonis operibus exornant. *Gratia vobis* subaudis sit, id est, fides sal⁹, & remissio peccatorum, quæ vobis gratis data est in baptismate *& pax* qua reconciliati sumus à deo per passionem filij eius *à deo patre & domino Iesu Christo.* Quidam voluntacere. Gratias vobis à deo patre, qui gratis misit nobis filiũ suum:

sauum: & pax à domino Iesu Christo, per cuius passionem pacificati sumus deo & angelis. sed vtrunque possumus referre ad vtramque personam, vt dicamus hoc modo: Gratia vobis & pax à deo patre, & gratia & pax à domino Iesu Christo. Videtur tamen quibusdam, personam spiritussancti prætermisisse Apost. sed subtiliter insipientibus patebit, nihilominus totius trinitatis mentionẽ fecisse. In eo enim quod dixit, Gratia vobis, comprehẽdit personã spiritussancti, quia gratiã, hoc est remissionem omniũ peccatorũ, per donum sancti spiritus accepimus: siue vbi vna persona trinitatis ponitur, ibi tota trinitas intelligitur: quia sicut inseparabilis est substantia diuinitatis, ita inseparabilis est virtus operationis. *Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi.* hoc dupliciter potest accipi: Benedictus, inquit, deus: deus creator omnium rerum. qui est pater domini nostri Iesu Christi, & qui illum genuit ante omnia secula in natura diuinitatis. Aliter: Benedictus deus filius, qui erat in principio verbum, & qui est pater domini nostri Iesu Christi, hoc est, hominis à se assumpti. Homo siquidem assumptus à verbo, totius trinitatis operatione formatus est in vtero virginali Et hoc attẽdendũ, quia à laudibus & benedictionibus inchoat Apost. sicut solliti sunt agere sancti patres, & benedixit deũ, à quo omnia quæ benedici meretur, benedicuntur *qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo.* Cũ dixit, in omni benedictione, quid necesse fuit addere spirituali, vel in cęlestibus vel in Christo? Quia est benedictio tpalis nõ in cęlestibus siue in Christo, & terrena. Benedictio tẽporalis est turba filiorũ, famulorum atq; ancillarũ, Benedictio terrena, diuitiarũ exuberentia & frugũ. Quæ etiã benedictio vsq; ad animãtia peruenit, sicut legitur in Genesi ꝙ benedixit omni creaturæ, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete terrã. Benedictio verò spiritualis & æterna, est fides, spes, charitas, cęteræque virtutes. In cælestibus verò subnexum est quasi de cælestibus, quia omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est. Addidit etiã quasi per Christum, quia quicquid boni habemus, nõ nostris meritis, sed per illũ & ab illo habemus. Sed quæstio oritur, quare dixerit in omni benedictione spirituali, cum nullus hominũ possit habere in præsenti seculo omnes benedictiones, id

est, virtutes siue omnia bona spiritussancti vsquequo illud impleatur quod alibi idem Apostolus ait: Cum tradiderit regnum deo patri, tunc erit deus omnia in omnibus. Nam in præsenti seculo dona spiritussancti singulis diuiduntur, non tamen omnia singulis dantur, quia alij datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ &c. vsque dum subiungitur. Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Quæ quæstio tripliciter soluitur: vel quia quod vnusquisque in se habet, in generalitate habet, charitate fraternitatis hoc faciente: verbi gratia: Quia vnus habet charitatem, alius castitatem, alius abstinentiam, alius mansuetudinem, alius sapientiam. Vel quia in omni benedictione quam habemus, ab illo benedicimur. Vel tertio modo potest esse præteritum tempus pro futuro, vt sit sensus: Qui benedicet nos post generalē resurrectionem, in omni benedictione spirituali. Sequitur,

Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Ex superioribus ista pendant. Sic (inquit) benedixit nos, sicut elegit, hoc est prædestinauit, & præordinauit in ipso, hoc est, in Christo. Omnipotens ergo pater ante omnem creaturam, spiritalem videlicet atque corporalem prædestinauit omnes credentes in Christo, vt ipse sit caput omnium in se credentium, & omnes credentes sint eius membra, & hoc ideo, vt essemus sancti & immaculati in conspectu dei patris in charitate & dilectione, qua diligitur deus & proximus: vel etiam in ea charitate, qua ipse dilexit nos, in ipsa nos præ destinauit: qui intantum dilexit nos, vt filium suum vnigenitum daret pro nobis, sicut etiam Ioannes dicit: Sic deus dilexit mundum, vt vnigenitum filium suum daret pro mundo. Hoc autem distat inter immaculatum & sanctum, quia immaculatus est puer vel aliquis hominum, quando ab omnibus maculis peccatorum mundatur in baptismo: sanctus verò efficitur labore & studio, tradendo corpus suum variis tormētis pro Christi nomine, sicut sancti martyres fecerunt, siue mortificando cum vitiis & concupiscētiis, Vel ideo nos elegit vt sancti & immaculati essemus, quod nondū eramus cum dixit, Sicut elegit nos. i. præordinauit sua dispositione, quia futurū erat vt in Christū crederemus, *qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*

Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ. Prædestinare est præordinare & præfinire quando illud quod facturi sumus, longè antè præfinimus in corde quando & quomodo illud opere impleamus; Adoptio autem siue optio dicitur electio. Vnde dicimus optiuum, hoc est electū. Sic ergo deus pater præfiniuit, & statuit in voluntate & dispositione sua, vt nos in electionem filiorum eius recipe-remur per Iesum Christum in ipsum, hoc est, vt in ipsum Iesum Christum credentes, filij dei efficeremur per gratiam, qui non eramus per naturam. Secundum propositum voluntatis suæ, id est, secundum quod disposuit in voluntate sua, *in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilectione filij sui:* Deo dicit gloriam & gratiam. Gloria autem referenda est ad redemptionem nostram: qua nos redemit: gratia autem ad redemptionem peccatorum, quam nobis gratis dedit in baptismo per fidem passionis suæ, & per gratiam sancti spiritus. Elegit itaq; nos in electionē filiorum per Iesum Christum in laudē gloriæ & gratiæ suæ, vt ipse laudetur & gratificetur ab omni creatura rationabili. In qua, subaudis gratia, gratificauit nos, hoc est, gratis redemit, & dedit remissionem peccatorum: & sic postmodum gratos & acceptos nos fecit sibi, & hoc per passionem dilecti filij sui. Dicit beatus Hieronymus, quia in græco sermone non habetur, filio suo, sed tantummodo absolutè dilecto, vt ostendatur dilectus esse omni creaturæ rationabili. Ita autem dicitur à gratia gratificare, sicut à iustitia iustificare *in quo*. i. Christo, vel per Christum *habemus omnes redemptionem* siue liberationem de morte ad vitam, *per sanguinem* passionis eius *& remissionem peccatorum* in baptismate per fidem passionis eius, sicut Ioannes dicit, Qui dilexit nos (inquiens) & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, hoc est, per passionem suam & per fidem *secundum diuitias gratiæ suæ*, subaudis habemus nos redemptionem & remissionem peccatorum *quæ* subaudis gratia *superabundauit*, id est, supercreuit *in nobis in omni sapientia & prudentia*. Diuitiæ gratiæ eius sunt misericordia & pietas, quæ intantum creuit in nobis, vt non solum redimeret, & remissionem peccatorū per spiritumsanctū nobis daret, sed etiam mysteria cognitionis suæ nobis reuelaret, quæ in nouo & veteri testamento continetur, in omni sapien-

tia diuina & humana visibilium & inuisibilium rerũ, & in omni prudentia visibilium mortaliúmque rerum. Nam sapientia est, vt quidam dicunt, cognitio diuinarum humanarúmq; rerũ, visibilium & inuisibiliũ mortaliũ & immortalium: prudẽtia verò visibilium & humanarũ atque trãsitoriarum. Aliter: Sapientia est cognitio sanctæ trinitatis, prudentia verò visibilium rerum, elementorúmque cognitio, vt cognoscat homo mundum à deo esse factum, quãdo ei placuit, & quomodo ei visum est: vt cognoscat etiam cursum syderum, quãtum humanæ fragilitati permittitur: ordinémque temporum, & quomodo facta sunt ista, & ad quem finem tendant *vt notum faceret nobu* deus pater *sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum eius quod proposuit in eo*, id est, in Christo. Sacramentum est res secreta, id est mysterium, hoc est aliquid occultum. Quod fuit istud sacramentum quod nobis manifestauit deus pater? Mysterium nationitatis Christi, passionis, atq; resurrectionis eius, nostræque redemptionis. Voluntas enim dei patris fuit, quam proposuit siue disposuit vel decreuit in Christo siue per Christum implere, vt nos per aduentum filij sui redimeremur. Hęc ergo sacraméta suę nobis manifestauit deus pater per incarnationem filij sui, secundum quod ei beneplacuit, & secundum quod ipse in eo decreuit. & quando hoc factum sit, manifestauit dicens *in dispensatione* hoc est in dispositione vel ordinatione plenitudinis téporum præfiniuit ipse deus pater *instaurare omnia in Christo* siue per Christum. Dicit B. Hiero. quia præ nimio amore quo Apostolus Christũ diligebat, sæpe extraordinarie nominis eius mentionem ponebat, sicut & ipse Apostolus de seipso dicit, Imperitus fui sermone, sed non scientia. Restaurare est ad instar prioris status aliquam rem quæ lapsa fuerat reuocare. Restaurauit ergo deus pater per filium suum omnia *quæ in cœlo & in terra sunt* quando angelicam naturam & humanam reparauit. Quæ in cælo sunt reparauit, quando angelorum numerum, qui quondam imminutus fuerat ex lapsu angeli, per reparationem generis humani compleuit, & eis lætitiam reddidit, quam amiserunt peccante homine. Ea quę in terra sunt reparauit, quãdo genus humanum, quod in mortem ruerat peccando, ipse sua passione redimendo de morte reuocauit ad vitã.

Aliter

Aliter: Per cœlum possumus intelligere Iudæos: qui cœlestia mandata acceperant: per terram verò gentiles, qui summodo terrena cogitabant atque quærebant, & pro deo idola colebant. Reparauit ergo deus pater omnia quæ in cœlo & quę in terra sunt, per passioné filij sui, quando hoc quod periit in Iudęis in infidelitate manentibus, ex multitudine gentium venientium ad fidem compleuit, & hoc in dispensatione plenitudinis temporum fecit, id est, in ætate seculi sexta, quam deus ipse decreuerat & statuerat. De hac plenitudine temporũ dicit alibi idem Apostolus. Postquam venit plenitudo temporum, id est sexta ætas, misit deus filium suum. Et quod dicit hic pluraliter temporũ, & alibi singulariter tempus, vnum idémque est, *in quo* id est, in Christo siue per Christũ *forte* siue electione *vocati sumus* subaudis ad vitam æternam *prædestinati* siue præordinati, *secundum propositum eius*, id est, secundum dispositionem dei patris, qui omnia operatus est secundum consilium voluntatis suæ, hoc est secundum quod ipse vult & ordinat. Ideóque sumus prædestinati siue præordinati ad vitam æternam: vt simus in laudem gloriæ eius, subaudis nos Iudæi qui antè sperauimus in Christo, hoc est, vt laudetur & glorificetur ipse ab hominibus, & laudetur non solum ex salute gentium, sed etiam ex nostra, cũ fuerimus iustificati per baptismum & per fidem passionis eius, qui non poteramus iustificari per legem, quæ neminé ad perfectum adduxit. Sciendum quia ipse nostra laude non eget, sed nos egemus vt illum laudando perueniamus ad gratiam illius, Verbi gratia sicut sol non eget nostro aspectu, vt nos claritatem eius videamus & splẽdorem, sed nos indigemus illius calore & illuminatione, vt ab illo illuminemur & calleamus. *In quo*. i. in Christo siue per Christũ *& vos* subaudis Ephesij *cum audissetis verbum veritatis* hoc est, euangelium *salutis vestræ* subaudis, recepistis fidem eius, *in quo*. i. in Christo *credentes signati*. i. sigillati vel assignati *estis spiritu promissionis sancto*, id est per spiritum sanctum, qui promissus est à domino Apostolis, & per quem nos habemus promissionem vitæ in baptismo. Assignati ergo sumus à deo per spiritum sanctum, quem percepimus in baptismo: quia signaculum similitudinis dei, quod perdidimus peccante primo parente nostro, illud recepimus in baptismo, hoc est, innocen-

tiam & sanctitatem animæ: in qua homo factus est ad imaginem & similitudinem dei. Non enim in corpore fuit illa similitudo & imago, sed in anima. Habemus siquidem innocentiam animæ receptam, purgati ab omni labe peccati; & immortalitatem in corpore iam tenemus in spe. *qui* subaudis spiritussanctus *est pignus hæreditatis nostræ in redēptionem acquisitionis.* Dicit beatus Hieronymus in explanatione huius epistolæ, quòd melius est dicere, qui est arra hæreditatis nostræ quàm pignus: quia ita habetur in Græco. Interpres enim qui hanc epistolam transtulit de græco sermone in latinum, non intelligens proprietatem verbi, pro arra transtulit pignus. Aliud siquidem est pignus, aliud arra. pignus est vadium siue vadimonium, quod ideo datur vt recipiatur, & solent hoc dare homines quorum pecora inueniuntur in aliorum segetibus aut vineis, aut cui aliquod damnum committunt. Arra autem est quam solent negociatores dare illis à quibus aliquid emunt, quæ ideo datur, non vt recipiatur, sed vt quod deest precio cōpleatur. Vnde dicitur arra à re complenda pro qua datur. Ipse ergo spiritussanctus credentibus est arra, quia ab illo operationem miraculorum accipiunt, aliásque virtutes, spem videlicet, fidem & charitatem, interpretationem sermonum, cæteráque huiusmodi. Et si in præsenti tantam gloriam habeamus ab illo, cum adhuc arram teneamus, nō aliud: quid putandum est quantæ dignitatis erimus, cum nobis in æterna fœlicitate complebitur quod modo deest, in qua sine fine præsentia dei fruituri sumus? Et notandum quia in redemptionem acquisitionis nostræ, & laudem glorię Christi habemus nos arram spiritussancti, quia per illum acquirimur deo, redempti sanguine ipsius, id est, Christi, & baptizati in fide eius, vt ipse deus omnipotens laudetur & glorificetur. *propterea* subaudis quia vos arrā spiritussancti habetis, acquisiti estis deo *& ego audiens fidem vestram, quæ est in domino Iesu,* id est quam habetis in fide & dilectione *Christi* quā habetis *in omnes sanctos* hoc est in omnes sanctificatos in baptismate *non cessо gratias agere pro vobis* subaudis deo *memoriam faciens vestri in orationibus* meis, primum pro me, deinde pro vobis *vt deus domini nostri Iesu Christi,* id est deus pater qui est deus, assumpti hominis à verbo *& pater gloriæ,* id est, pater verbi *det vobis spiritum sapientiæ*

sapientiæ & reuelationis siue manifestationis *in agnitionem eius* hoc est, in cognitionem dei patris. Quare dixit, non cesso pro vobis gratias referre deo? Nunquid semper poterat insistere laudibus & orationibus? Non, sed propter maximam assiduitatem dixit talia. Ideo autem diximus deum patrem, deum esse hominis assumpti à verbo, quia in veritate ita habetur, sicut ipse ex parte humanitatis loquitur in passione, Deus deus meus, quare me dereliquisti? & resurgens à mortuis, dixit Marię: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, deum meum & deum vestrum. Pater autem gloriæ est, id est pater verbi: quia ipse filius gloria patris appellatur, dicēte patre ad eum: Exurge gloria mea, exurge psalterium, id est chorus omnium virtutum. Per illum enim glorificatus est deus pater *illuminatos oculos cordis vestri* subaudis, & det vobis *vt sciatis quæ sit spes vocationis* à subsequentibus in sanctis, hoc est, vt habeatis spem percipiendi vitam æternam. Sequitur *& omnia sub pedibus eius subiecit.* Quæ omnia? scilicet genera hominum, & omnia quæ in terra sunt, & in cælo continentur. Quæstio oritur in hoc loco, cum psalmista dicat, omnia subiecta esse potestati filij dei, sicut & in hoc loco dicitur, quare Apostolus in epistola ad Hebræos dicat, necdum videmus subiecta omnia ei? Quæ quæstio hoc modo soluitur, quia duæ sunt subiectiones, voluntaria siue spontanea, & coactiua siue potestatiua. De voluntaria igitur subiectione dicit Apostolus ad Hebræ. necdum esse subiecta omnia ei, per fidem & voluntatem: quia necdum omnes gentes crediderunt in eum. De coactiua verò siue potestatiua subiectione dicit Psalmista omnia subiecta esse ei, quia per potentiam velint nolint Iudæi atque pagani & dæmones subiecti sunt ei: quia dæmones per inuocationem nominis eius fugantur ab obsessis corporibus, & pagani illo permittente aliorum regna & terras inuadunt. *& ipsum,* id est Christum *dedit* Deus pater *caput* hoc est principem *super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius* subaudis, quæ constat ex angelis & hominibus iustis. Christus ergo caput siue princeps est ecclesiæ: quia sicut à capite reguntur membra, & à spiritu viuificatur corpus, ita & à Christo reguntur omnes electi & viuificantur & sicut corpus constat ex ossibus & carne & fortibus atque

infirmis membris, & tamen omnia à spiritu viuificantur: ita ecclesia cõtinet in se fortes in fide & in bono opere: peccatores quoque qui sunt infirmi in fide & in virtutibus: quos tamen omnes viuificauit Christus, qui est caput illorum, dum eos ad fidem vocat *& plenitudo eius, quæ omnia in omnibus adimpletur* Subauditiones huiusmodi hic sunt necessariæ. Quæ ecclesia, quæ est corpus Christi, plenitudo eius, subaudis est, id est, plenitudo corporis Christi, quæ per omnia genera hominum in omnibus gentibus hominum adimpletur, hoc est augetur. Dum enim quotidie ex singulis gentibus ad fidem Christi per baptismum concurritur, quotidie corpus illius augetur. Verbi gratia: sicut de quolibet rege dicitur, quia dum ad eum exercitus & populi diuersarum gentium confluunt, augetur.

CAPVT II.

ET *vos* subaudis Ephesij *cum esse tis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mũdi huius*, id est secũdum desideria amatorum huius mundi *secundum principem potestatis aeris huius* hoc est voluntatem diaboli: quia in caligine huius aeris seruatur cruciandus *spiritus*, id est diabolus, quem superius appellauit principem *qui nunc operatur in filios diffidentiæ*, id est qui suam voluntatem operatur in filiis diffidentiæ, hoc est in paganis & hæreticis atque Iudæis, qui fidem rectam & perfectam non habent. Hoc distat inter delictum & peccatum: quia delictum perpetramus, quando ea omittimus quæ nobis à deo præcipiuntur, implere: vt est illud: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quando illum non diligimus, & non honoramus parentes, tunc delinquimus: vnde dicitur delictum, quasi derelictum. Peccatũ vero est quando illud perficitur, à quo deus præcepit obseruari: verbi gratia sicut est: Non occides, non adulterabis, &c. Aliter, Delictum est in cogitatione: peccatum in operatione. Iudæi ergo & gentiles mortui erant delictis & peccatis, quia anima quæ peccauerit, ipsa morietur, nõ per substantiã, sed peccato, propter quod recedit à deo, qui est vita animæ. Nam sicut moritur corpus recedente anima, ita moritur anima recedente deo.

te deo. Quod autem dicit *in quibus* subaudis delictis & peccatis, aliquando ambulastis. Blandiendi caussa hoc dixit, & tale est quale & illud, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino, Sequitur. *In quibus* subaudis delictis & peccatis, *& nos omnes* subaudis Iudæi aliquando conuersati sumus *in desiderijs carnis nostræ*, id est in carnalibus concupiscentiis & terrenis voluptatibus *facientes voluntatem carnis & cogitationum* hoc est, quod cogitabamus corde, implebamus opere, adulterium videlicet, fornicationem, furtum &c. *Et eramus natura filij iræ* filiique vindictæ *sicut & cæteri* subaudis homines. Non debemus putare quod natura humana à deo mala sit creata & condita, quia bona, sancta, & immortalis facta est, sed vitio suo corrupta, & deprauata est. Ad imaginem & similitudinem dei factus est homo in anima, non in corpore sed peccando perdidit imaginem quam habebat in sanctitate & in innocentia, & similitudinem quam habebat in immortalitate. Ipse autem homo non genuit filium ad illam similitudinem, qua ipse factus est, sed ad imaginem & similitudinem suam quam ipse iam habebat, hoc est peccatorem & mortalem sicut ipse erat. Dum ergo peccatores & mortales nati sumus ex primis parentibus nostris, qui similes nobis iam erant effecti, quasi natura siue naturaliter eramus filij vindictæ, quia propter præuaricationem mandatorum dei, qua præuaricati sumus in parentibus nostris, vindictam merebamur accipere. *Deus autem qui dues est* hoc est abundans & multiplex, non solum potentia & virtute, sed *in misericordia propter nimiam* siue maximam *charitatem* & dilectionem suam qua nos dilexit, cum essemus mortui peccatis *eo modo quo superius dictum est, communicauit*, id est simul viuificauit *nos Christo* in baptismate per fidem passionis filij sui: vt sicut ille resurgens à mortuis, iam non moritur: sic nos à peccato resurgentes viuamus virtutibus *cuius* subaudis Christi *gratia saluati estis* ò Ephesij, non vestris meritis *& conresuscitauit & consedere fecit in cælestibus in Christo*, id est per Iesum Christum. Hoc dupliciter potest intelligi. Conresuscitauit, id est simul resuscitauit cum Christo in baptismo, quando verbi gratia descendimus in fontem, & mortui sumus peccato ibi, sicut Christus mortuus est in cruce,

& depositus est in sepulchrum, & nos resurreximus de morte ad vitam, de immunditia ad innocentiam, procedentes de fonte purificati & mundati ab omnibus peccatis, sicut Christus resurrexit de sepulchro: & consedemus iam in cælestibus per fidem & spem, iuxta quod promisit Apostolis, dicens: vos, inquit, sedebitis super sedes duodecim. Nam quando Apostolus ista loquebatur, in carcere erat positus: & tamen cum fiducia talia dicebat. Possumus & aliter intelligere, accipientes præteritum tempus pro futuro, hoc modo: Conresuscitauit nos deus pater per potentiam verbi sui in die iudicij, & consedere faciet in cælestibus per Christum Iesum. Ineffabilis est ista dilectio, quia deus pater non solum pro iustis, sed etiam pro peccatoribus, & (quod maius est) pro rebellibus dignatus est mittere filium suum, *vt ostenderet* pro eo quod est vt ostendat *in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ super nos* qui in eum credimus *in bonitate* siue in pietate *in Christo Iesu* hoc est per Christum. Secula dicuntur eò quòd sequantur & in se reuoluantur. Ideo autem dicit, in seculis superuenientibus siue futuris, quia multa secula & multa tempora erunt post diem iudicij atque innumerabilia, licet continuata sit dies. Non enim sol occasum patietur, iuxta illud, Non occidet tibi vltra sol tuus. Istæ sunt ergo diuitiæ quas ostendet super nos, quas oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, hoc est, gaudia æternæ vitæ sine fine mansura, quæ tunc ostendentur nobis per Christum in seculis venturis, quia in præsenti seculo non possunt videri. *Gratia enim* subaudis dei *saluati estis* de morte ad vitam *per fidem* in baptismate, non vestris meritis *& hoc* subaudis quòd saluati estis, & fidem habetis, *non est ex vobis.* Dei enim donum est, vt salui sitis, & fidem habeatis. Vnde dominus dicit: Hoc est opus dei, vt credatis in eum. Si opus dei est, non est ex nobis. A nobis siquidem neque fidem neque salutem habemus, neque aliquid boni: quia deus operatur in nobis & velle & perficere. Quia solent plerique dicere, propter bona opera mea veni ad fidem, ideo subiungit Apostolus *non ex operibus* subaudis accepistis fidem *vt ne quis glorietur* sed per gratiam dei. Prius præcedit fides, deinde subsequitur operatio.

operatio. Solent etiam illi qui ex operibus suis gloriantur, Cornelium centurionem in exemplum trahere, dicentes: quia propter bona opera quæ habebat, meruit accipere fidem instructus à Petro. Quibus respondendum est, quòd Cornelius centurio erat Iudæorum: habens cognitionem & notitiam vnius dei: à quo sperabat ipse & credebat pro suis bonis operibus se esse remunerandum: & quia aliquid fidei habebat iam perceptum, quam exornabat bonis operibus, meruit institui à Petro de cognitione totius trinitatis, & baptizari baptismi sacramento, sine quo nemo potest mundari à peccatis *Ipsius enim sumus factura* hoc est, ipso Christo adiuuante effecti sumus boni & facti innocentes *creati* siue renouati in bonis operibus *in Christo Iesu*, id est per Christum Iesum, siue per fidem Christi Iesu, quæ subaudis bona opera *præparauit deus vt in illis ambulemus* proficiendo de virtute in virtutem. Non de illa factura loquitur hic, qua in principio facti sumus vt essemus, sed de illa qua cũ mali essemus, boni effecti sumus ipso operante *propter quod* subaudis quia renouati estis in bonis operibus *memores estote* siue mementote *quia aliquando*, id est antequam ad fidem veniretis, vos *gentes eratis in carne*, id est in carnali cõuersatione, *qui dicebamini præputium ab ea* subaudis gente *quæ dicitur* à vobis *circumcisio manu facta in carne.* Iudæi propter circumcisionem à gentibus appellabantur circumcisio: & gentes quia incircumcisi erant, à Iudæis appellabantur præputium, qui sunt peccatores & alieni à deo. Bene autem & circumcisio dicitur esse, & manufacta, quia in vno solummodo corporis membro illa circumcisio fiebat manuum operatione: nostra vero circumcisio non fit in expoliatione vnius membri solummodo, sed in toto corpore, & in omnibus corporis sensibus, quoniam circuncidimus vitia in nobis, & delectationes carnis & concupiscentias prauas, expoliantes nos ab omnibus peccatis delectationum atque operationum. Sequuntur. *Qui eratis illo tempore* antequam crederetis, *sine Christo*, hoc est, sine fide Christi, vel sine promissione de Christo *alienati à conuersatione Israel*, id est, extranei & alieni à conuersatione Iudæorum, quia non seruabatis circumcisionem, neque sabbatum, neque sacrificia lega-

lia offerebatis & *hospites testamentorum* subaudis eratis. Hospes dicitur quasi ostij pes, eo quòd quando suscipiebantur in domum, ponebat dominus domus & qui suscipiebatur, pedem super ostium: & datis dextris, iurabat quòd pacificus esset eius ingressus, Gentiles ergo transeuntes ad Iudaismun, quanuis circuncciderentur, & legalia offerrent sacrificia, tamen non ideo reputabantur vt ciues, sed proselyti appellabantur & aduenæ, & quasi hospites habebãtur: ideóque dicit Apost. quia hospites & aduenæ & proselyti erant testamentorum dei *non habentes spem promissionũ* vitæ æternæ, Vel illius promissionis quę facta est ad Abraham quòd in semine, eius, id est, in Christo benedicendæ essent omnes gentes. Quãuis enim illa promissio facta esset de eis, tamen illi non habebant spem quòd possent peruenire ad societatem Iudæorum, quia nõ habebant legem & prophetas, in quibus ipsa promissio cõtinebatur *& sine* vero *deo* subaudis eratis, non habentes cognitionem eius, quia ij quos colebant, non erant dij sed dæmones, & opera manuum hominum. *Nunc autem in Christo Iesu*, id est, per Christum Iesum, siue in fide Iesu Christi *vos* gentiles *qui eratis aliquando longe*, subaudis à deo non loco, sed merito *facti estis propè in sanguine Christi*, hoc est, in fide passionis Christi, *ipse enim* Christus *est pax*, id est reconciliatio *nostra* quia nos reconciliauit deo per sanguinem passionis suæ. Et *quia vtraque* subaudis genera hominum, Iudæorum scilicet ac gentium *fecit vnum*, subaudis ouile, & vnũ corpus in vnitate ecclesiæ & fidei, sicut ipse promisit in euangelio: Et fiet, inquiens, vnum ouile, & vnus pastor *& soluẽs* id est, destruens & euacuans *in carne sua*, id est, in passione sua, *medium parietem macerię* hoc est inimicitias, subaudis quæ erant inter duos populos: *legem mandatorum in decretis euacuans*, id est, in præceptis & statutis euangelij euacuans legem *vt duos* subaudis populos *condat* siue perficiat vel ædificet *in semetipso*, id est, in vnitate fidei suæ. Medium parietem appellat in hoc loco legalia præcepta, circũcisionẽ, scilicet obseruationem sabbatorum, festiuitatem neomeniarum & sacrificiorum, quæ diuidebant duos populos, Iudæos & gentiles, veluti paries diuidit ac separat duos homines, siue duas res. Et quod dixit parietẽ, hoc exposuit, cum dixit inimicitias & legem mandatorum, quòd propter

propter legem & obseruantiam eius erant inimicitiæ & cõtentiones inter duos populos: quoniam Iudæi deputabant gentiles quasi immundos. Sed illum parietem siue inimicitiam vel legem mandatorum destruxit ipse in passione sua quando pro omnibus immolatus est, sic vocans gentiles ad fidem, & redimens veluti Iudæos, & insuper in decretis euangelij euacuauit legem in mysteriis: quia non præcepit neque Iudæo neque gentili offerre sacrificium & circũcidi, postquam ipse passus est, qui præfigurabatur in illis sacrificiis. *in vnum nouum hominẽ*, id est in seipso faciens pacem. Quõ factus est ipse nouus homo? In hoc quòd homo factus est, natus ex virgine siñe semine virili, & conuersatus est in mundo sine peccato, quod nemo nec antea nec postea fecit *vt reconciliaret deo* patri *ambos* populos *per crucem* hoc est per passionem crucis suæ *in vno corpore*, id est, in vna ecclesia, in vna fide, in vna societate, vel in vno corpore, vt omnes ex Iudæis & gentibus credentes, vnum corpus eius sunt *interficiens* & destruens vel euacuans, *inimicitiam in semetipso*. Quam inimicitiam destruxit? Illam quę erat inter Iudæos & gentiles propter circuncisionem & sacrificia legalia, tunc in semetipso euacuauit, quando passionem sustinendo, quæ erant in mysteriis, impleuit in veritate, & post non præcepit offerri vel obseruari. *& venies* in mundum per incarnationis mysterium *euangelizauit* per angelos, per se & apostolos *pacem vobis* gentibus *qui longè fuistis* à deo, non loco, sed merito. *& pacem* bis id est, Iudæis qui erant propè per cognitionem eius quam habebant *quoniam per ipsum* Christum *habemus* nos *ambo* populi *accessum ad patrem in vno spiritu*, subaudis confitentes. Vel tenali per Christum accedimus ad deum patrem, quia ipse est mediator, per quod homo & deus est, & per illum nostras preces ad deum patrem dirigimus, & per illum introducimur in conspectu illius, sicut ille dixit: Nemo venit ad patrem nisi per me. Fratres *iam non estis hospites & aduenæ*, vel proselyti, vel alieni à consortio Iudæorum vos gentiles, sicut quondam fuistis eo modo quo superius paululum diximus, *sed estis ciues sanctorum* patriarcharum aliorúmque iustorum. *& domestici dei* Ciues dicuntur ab vna ciuitate & communione, domestici à domo, quia in vna domo conuersantur. Ergo gentiles socij

sunt & ciues sanctorum,& domestici dei,quia ad vnam ciuitatẽ cælestem Hierusalem peruenire contendunt, & in vna domo quæ est ecclesia dei, commorantur *superædificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum.* Fundamentũ Apostolorũ& prophetarum omniúmque fidelium
Mat.16. Christus est:quia in fide illius sunt fundati& stabiliti,sicut ipse dixit:super hanc petram,id est,super me ædificabo ecclesiam meam:quæ constat ex angeiis & hominibus iustis. *Omnis enim qui fidem Christi habet,super Christum est fundatus* ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Quò est Christ⁹ & fundamentum & summus lapis?Per hoc quòd ab illo incipit fides,& in ipso & ab illo perficitur atque completur ipsa fides : ideóque omnes electi in ipso sunt fundãti.Ipso enim dixit pro eo quòd est in ipso. Angularis etiam dicitur,quia sicut angularis lapis duos parietes iungit,ita Christus duos populos in vnitate fidei suæ coniungendo continet. *In quo* Christo *omnis ædificatio* ecclesiæ *constructa & ædificata crescit in templum sanctum in domino.* In quo Christo,quia quotidie ex omnibus gẽtibus ad fidem Christi veniunt,fides crescit in ipsa ecclesia,quæ est tẽplũ Christi,sicut alibi dicitur:Templũ dei sanctum est,quod estis vos. Li-
1.Cor.3. cet enim omnipotens deus per diuinitatis potentiam vbique sit,tamen aliter habitat in electis, atq; aliter in reprobis. *In quo* Christo,id est,in cuius fide *& vos coædificamini in habitaculum dei* vt sitis templum dei viui crescendo de virtute in virtutem,& hoc agite *In spiritu sancto,* id est,per gratiam spiritussancti.

CAPVT III.

Vius rei gratia, id est,propterea quia vos estis ciues sanctorũ,& super Christũ estis fudati: *ego Paulus vinctus sum Christi Iesu pro vobis gentibus,* vinctus sum dicit catenis & astrictus pro fide Christi & pro vobis gentibus,quibus prædico verbum salutis. Vel, vinctus amore Christi,pro vobis gentibus teneor in carcere: & est sensus.Si voluissem permanere in Iudaismo,& à prædicatione nominis Christi quiescere,possem esse diues, & magister synagogarum appellari: sed quia Christum prædico vobis, nunc astrictus teneor in egestate

egestate positus *si tamen audistis dispensationem* siue administrationem *gratiæ dei quæ data est mihi in vobis,* id est, in vestram vtilitatem.Si tamen isto in loco potius est affirmatiua coniunctio quàm dubitatiua,& nihil aliud est nisi dicere:Certè audistis officium prædicationis meæ, quod datum est mihi per gratiam dei ad vestram vtilitatem *quoniam secundum reuelationem dei notum mihi factum est sacramentum* siue mysterium. *sicut supra* in hac epi. *scripsi vobis in breui,prout potestis intelligere prudentia meam in mysterio Christi legentes* dicta mea.Idcirco hæc epistola omnibus epistolis pene difficilior habetur,quia obtinet in se magna & occulta mysteria, breuique sermone comprehensa. De quo sacramento siue mysterio dicat quòd ei per reuelationem dei manifestatum est,paulò in sequentibus panditur, hoc est quod gentes in societatem Iudæorum essent venturæ sine aliqua differentia.Vnde & sequitur *quod* subaudis sacramentum siue mysterium *mihi reuelatum est* Nunquid non reuelatum est patriarchis & prophetis?vtique, Illis enim solummodo est reuelatum in spiritu,hoc est per spiritum sanctum,qui filij dei erant per adoptione,sicut & Paulus,non illis qui , filij & amatores huius mundi erant, Aliter:Aliis generationib⁹ filiis hominũ,id est patriarchis & prophetis atque aliis hominibus nõ est ad liquidum ita manifestatum mysterium fidei gentium, sicut Apostolis & prophetis noui testamenti, vt fuit Agabus , quorum prędicatione ad fidem venerunt. Quod potest probari ex hoc quod dominus ait Apostolis: Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis , & non viderunt.Maioris enim sapientiæ fuerunt Apostoli quam patriarchæ , quia quod illi viderunt à longè in spiritu viderunt isti & mente, & oculis corporeis.Siquidem Iudæi nullo modo poterant credere gentes venturas esse in societatem suam:sed dicebant illis qui proselyti fiebant,Vitam æternam quidem percipietis:sed non tantæ dignitatis eritis in gloria quãtæ nos.Quid ergo manifestatũ est Apostolis, *esse gentes cohæredes* Iudæis in patria cælesti,in gloria æterna *& cõcorporales* id est,simul corpus Christi esse, vel in vno corpore ecclesiæ sociari ,*& comparticipes promissionis eius in Christo,* id est,consortes esse promissionis dei patris , quòd in semine Abrahæ benedicerentur omnes

gentes: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc euangelizare* siue prædicare *in gentibus inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes.* Quare dicit modo, Mihi minimo omnium Apostolorum data est gratia: cum alibi dicat, plus omnibus laboraui? Vtrumque verum est: & vnum referendum est ad laborem, quod dicit: Plus omnibus laborauí, aliud ad tempus vocationis suæ. Plus enim omnibus Apostolis laborauit: quia cum cæteri in locis sibi distributis predicarent, ille non solum Iudæis predicauit, sed etiam omnibus gentibus, quibus constitutus est magister & prædicator. Minimo autem quod dicit, tale est, ac si diceret, nouissimo & vltimo. Nouissimus enim Apostolorum ipse vocatus est ad gratiam euangelij, quia illi ante passionem à domino, hic vero post eius ascensionem, de cælo vocatus est. Euangelizare: est bona annuntiare quia euangelium est bonum nuntium. Euangelizat ergo non solum qui euangelium prædicat Christi ore prolatum, sed qui bona annuntiat, & gaudia patriæ cælestis promittit, quæ in lege & prophetis & psalmis dictisque sanctorum patrum continentur. Quæ sunt istæ diuitiæ Christi inuestigabiles: ad quas missus est Apostolus euangeliizare in gentibus? Nimirum illæ de quibus idem Apostolus alibi dicit. Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderũt, quæ præparauit deus diligentibus se, hoc est, gaudia patriæ cælestis, vita sine fine mansura. Quod ergo hoc loco dicit diuitias, in subsequentibus appellauit sacramentum: ideóque per diuitias non incõgrue mysteria incarnationis & passionis Christi possumus intelligere, redemptionem generis humani & fidem gentium, & quod nulla distantia est inter iudeos & gentiles in gratia dei, quæ omnia sacramẽtum recte appellantur: quia ante Christi aduentum occulta & secreta fuerunt. Sed si inuestigabiles sunt ipsæ diuitiæ, quomodo Apost. missus est eas euangelizare? Nam inuestigabilis re sest, quæ non potest inuestigari & comprẽdi. Quę dupliciter potest solui: Inuestigabiles siquidem ante domini aduentum fuerunt, quia nullus eas potuit adliquidum cognoscere. sed quæ erant antè inuestigabiles, domino veniente vestigabiles & comprehẽsibiles factę sunt. Aliter: In sua natura inuestigabiles sunt, per gratiam autẽ & reuelationem sancti spiritus hominibus fidelibus vestigabiles

1. Cor. 16.

gabiles sunt, verbi gratia: Statua quam non potuit Nabuchodonosor intelligere quid præfiguraret, per reuelationem sancti spiritus Danieli vestigabilis & comprehensibilis fuit, qui interpretator eius extitit. Data est etiam gratia Apostolo illuminare per fidem omnes qui voluissent credere, quia sicuti ille qui infidelis & incredulus est, in tenebris moratur, ita qui fidelis & credulus existit, in luce quiescit, & non solum illuminare, sed & euangelizare *quæ sit dispensatio*, id est distributio vel ministratio *sacramenti absconditi à deo qui omnia creauit.* Idem modo appellat sacramentum, quod superius diuitias, mysterium incarnationis filij dei, fidem & salutem gentium, & gaudia vitæ æternæ *quod à seculis* siue ab initio *absconditum fuit in deo* vero *qui creauit omnia.* Notandum quia non dicit deo fuit absconditum, sed in deo vsquequo ipse per semetipsum manifestare dignatus est. Vnde appellatur sacramentum, quod est res secreta & occulta, antequam in publicum deducatur *vt innotescat* hoc est, manifesta & nota fiat *multiformis sapientia dei, & principibus & potestatibus in cælestibus per ecclesiam.* Multiformis sapientia dei dicitur, quasi multiplex, & multas species & formas habens. Videamus quomodo multiformis sit. Filius dei natus est de virgine sine virili semine: vagiebat in præsepio vt infans, sed ab Angelis glorificabatur vt deus in cælo ab Herode quærebatur interfici vt homo, sed à magis stella ducente quærebatur adorari vt deus, mortuus est vt homo, resurrexit per potentiam deitatis. Resurgens à mortuis apparuit discipulis in habitu hominis, sed spiritum sanctum dedit eis vt deus. Ecce qualiter multiformis est sapientia dei. Vt ergo ista multiplex sapientia dei manifestaretur principibus & potestatibus in cælestibus, quas B. Hieronymus angelicas virtutes vult intelligi in cælo residentes, filius dei veniens in mundum reuelauit eam Apostolis suis. Et per ecclesiam, hoc est, in ecclesia prædicantibus Apostolis manifestauit angelicis virtutibus. Dicit nanque beatus Hieronymus, quòd quædam angelicæ dignitates erant, quæ mysteria superius memorata ad purum non intellexerunt, donec completa est passio Christi, & Apostolis prædicantes per omnes gentes cœpissent prædicatione sua gentiles trahere ad fidẽ: Quod probari potest ex hoc quod angeli

admirando dixerunt illo ascendente ad cælos propria virtute: Quis est iste qui venit de Edom, hoc est, de cruento & sanguinolento mundo. Et in Psal. Quis est iste rex gloriæ? Illis enim qui maioris dignitatis sunt, & per quorum ministerium illa mandata sunt, cognita fuerunt, vtpote confiliariis & nuntiis, illis verò qui minoris dignitatis sunt, potest esse vt ex parte incognita essent, & hoc manifestat *secundum præfinitionem* vel præordinationem siue prædestinationem *seculorum* quod vnum est *quam* præfinitionem *fecit* siue impleuit *in Christo Iesu*, id est per Christum Iesum. Sicut ergo deus pater præordinauit ante omnia sæcula, sic compleuit & manifestauit multiformem sapientiam suam per Christum. *Propter quod* subaudis, quia fidem in Christo habetis, & accessum ad deum patrem per ipsum, *Obsecro vos ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis*, id est ne recedatis à fide Christi, dum me videtis tribulari pro vobis, quæ tribulatio est gloria vestra. Conuenientius diceret, quæ tribulationes sunt gloria vestra. Pro illis ergo Apostolus tribulabatur, quia dum illis prædicabat verbum, comprehendebatur à persecutoribus. Sed eius tribulatio gloria illorum erat, qui confortabantur in fide, & per passionem suam acquirebant gloriam æternam. *Huius rei gratia*, id est propterea ne vos recedatis à fide Christi *flecto ego genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi*, Sicut sunt exteriores oculi corporis, & exteriora genua, cæteráque membra: ita etiam dicuntur esse & interiora. Vnde hic Apostolus non loquitur de exterioribus genubus, per genua ergo debemus intelligere tãtummodo submissum & humiliatum sensum mentis. Flecto, inquit, genua mea, id est submitto & humilio sensum cordis mei, orando deum pro vobis. Quod sequitur, ad patrem domini nostri Iesu Christi, in græco sermone nõ habetur, nisi tantummodo ad patrem, vt intelligatur absolutè creator esse omnium rerum. Quod verò in latinis codicibus additum est, domini nostri Iesu Christi, bene conuenit, quia illi est propriè & naturaliter pater, nobis adoptiuus. Sequitur *ex quo* deo patre *omnis paternitas in cælo & in terra nominatur* sicut in præsenti seculo habemus quos appellamus patres, & sunt à quibus appellamur patres, ita & in illo collegio sanctorum spirituum sunt qui alios diligunt archan-

archãgelos vocare patres, sicut prælatos, verbi gratia. Angeli diligunt arch. appellare patres, sic de cæteris virtutibus intelligendum ideo dixit, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, quia & angeli in cælo, & homines in terra ab illo exordium sumpserunt: & ab illo qui est pater omnium rerum, acceperunt vt patres aliorum vocarentur *vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum sanctum eius in interiori homine Christum habitare per fidem in cordibus vestris* Idcirco, inquit, ego flecto genua mea ad patrem domini nostri, vt ipse det vobis virtutem secundum largitatem gloriæ suæ, vt sitis corroborati in fide, & possit Christus habitare per fidem in interiori homine, hoc est in cordibus vestris. Licet enim omnipotens deus per potentiam diuinitatis suæ vbique sit, tamen in illis specialiter dicitur habitare, qui fidem eius habent *in charitate radicati & fundati*, *vt possitis comprehendere in vobismetipsis cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, lõgitudo, sublimitas, & profundum.* Ex superioribus ista pendent, ideo etiam submitto sensus cordis mei ad deum, vt sitis in charitate radicati, sicut arbor plantata radicitus firmatur in terra vt habeat humorem, & à vento facilè non eradicetur, & non solum radicati, sed & fundati in ipsa charitate, quasi super solidissimam petram, vt possitis intelligere quæ sit latitudo charitatis. Latitudo charitatis est qua diligitur deus, & non solum amicus, sed etiam inimicus: de quo mandato dicit Psalmista. Latum mandatum tuum nimis. Longitudo charitatis est perseuerantia in bonis operibus. Longanimitas etiam siue lõgitudo charitatis est ab initio fidei vsque ad finem spei, vsque dum perueniamus ad illud, vt quod modo tenemus in spe, tunc possideamus in re, patientes pro dei amore, aduersa seculi huius tolerantes. Sublimitas siue altitudo charitatis est, vt pro omnibus nostris bonis operibus tam pro latitudine charitatis quã patientia lõganimitate perseuarãtia in bonis operibus, sublimitatẽ patriæ cælestis quæramus, sperãtes nos à deo remunerãdos. Profundũ aũt siue occultũ charitatis est, vt omnia bona quæ habemus, de alto dei dono & inspiratiõe nobis venire credamus. Hæc autẽ omnia in cruce vel in charitate Christi possumus cõprehendere *Scire etiam supereminentẽ scientiæ charitatem Christi.* Det vobis etiã intelligere cha- *Psal. 10.*

ritatem Christi supereminétem scientiæ humanæ, hoc est det vobis scientiam quatenus positis intelligere quanta sit charitas Christi qui pro vobis mortuus est, quæ charitas transcendit & excedit omnem scientiam humanam: sed etiam diuinam quã hominibus largitur. Et quomodo possimus illam scire, si supereminens est scientia quę omnibus tribuitur? Hoc debemus scire, quia ignoramus illam, quis enim hominum mortalium valet comprehendere quanta charitas fuit in deo patre, qui pro nobis vnicum filium nõ solùm incarnari, sed etiã mori permisit? Sequitur *vt impleamini in omnem plenitudinẽ dei.* Idcirco inquit exoro scire vos charitatem Christi, vt impleamini virtutibus, & mereamini annumerari numero fidelium, ex quibus quotidie corpus Christi impletur Plenitudo enim corporis Christi est ecclesia, quæ quotidie ex omnibus gentibus impletur *Ei autem* qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus secũdum virtutẽ quæ operatur in nobis, ipsi gloria in ecclesia & in Christo Iesu in omnes generationes seculi seculorum, amen. *Ei autem id est* deo patri *qui potest omnia facere quæ nobis sunt necessaria superabundanter quam petimus*, id est qui potest omnia nobis tribuere plus quam petere sciamus, & petere præsumamus & hoc *secundum virtutem* diuinitatis potentiæ suæ, *quæ* virtus diuinitatis *operatur in nobis* miracula, fidem, virtutes, & doctrinã, *sit gloria in ecclesia & in Christo Iesu.* In ecclesia est gloria dei patris, quia multitudo fidelium glorificat & laudat deum patrem in omnibus quæ agit. Per illam etiam glorificatur: iuxta quod dominus dicit, Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, in Christo quoque Iesu in gloria dei patris: quia omnia quę ipse filius operatus est, ad laudem & gloriã eius retulit dicens: Pater in me manes ipse facit opera. *In omnes generationes sit deo patri gloria*, id est in præsentes & futuras: vel in generationes gentium, & generationes Iudæorum in omnia futura secula, Amen.

CAPVT IIII.

O *Bsecro itaque vos ego vinctus in domino, vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis* Obsecro, id est deprecor vos ego vinctus in domino, vt digne ambuletis & sanctæ viuatis illa vocatione qua vocati estis in baptismate. Estis vocati vt sancti estis

setis & immaculati, sanctæ & immaculate conuersamini ambulãtes de virtute in virtutem. Quod autem dicit, ego vinctus, duplici modo intelligi potest, vel vinctus catenis & positus in carcere in domino, id est pro domino, siue pro amore domini. Vel vinctus, id est astrictus amore dilectionis erga vos propter deum *cum omni humilitate & mansuetudine* subaudis ambulate & conuersamini digne *cum patientia supportantes vos inuicem in charitate* Humilis dicitur, humi accliuis. Mansuetudo est lenitas & tranquillitas animi. Ambulate, inquit, & conuersamini cum omni humilitate & mansuetudine mentis supportantes vos inuicem in charitate vel in dilectione dei & proximi, iuxta illud: Alter alterius onera portate, imitantes naturam eruorum, verbi gra. Qui diues est opibus huius seculi, supportet illum qui pauper est in substantia præsenti, & diues spiritualibus virtutibus: & econtra ille qui sanctus est, sua sanctitate & suis precibus sustineat peccatorem: vel qui diues est, sustineat sua eleemosyna pauperem, *solicite*, id est studiosi, cauti & attenti sitis semper *seruare vnitatem spiritus* vt vnum sapiatis de Christo, vt vnam fidem habeatis, & non sint in vobis schismata atque hæreses & hoc agite *in vinculo pacis*, id est, in dilectione dei & proximi, siue in concordia fraternitatis. Dilectio etenim vinculum recte appellatur, quia duos ligat & coniungit, deum videlicet & hominem, vel duos proximos. *Vnum corpus* Christi vos estis *& vnus spiritus* sanctus habitat in vobis *sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ* sicut sancti vocati estis, vniti in baptismate, secundum illud: Sancti estote, quia ego sanctus sum. ideo sanctè viuere debetis. Bene autem dicit, *in vna spe* vocationis vocati estis, quia omnes fideles vnam spem habent perueniendi ad patriam cælestem. *Vnus est dominus* omnium creaturarum *vna fides* debet esse in omnibus credentibus, quibus vnum baptisma est. Licet alij maiorem, alij minorem fidem habeant, qui maiora & minora de deo intelligunt, tamen in hoc dicitur esse vna fides, quia vnum deum credunt trinitatem habere in personis, & vnitatem in substantia. Vnum est baptisma, quia omnes æqualiter per vniuersum orbem baptizantur, qui signaculum fidei percipiunt. *Vnus est deus* omnium creaturarum *& pater omnium* rerum, id est crea-

tor *qui* subaudis pater *super omnes* creaturas excellit *& per omnia* est filius, quia omnia per ipsum facta sunt & reparata *& in omnibus nobis* subaudis, est spiritus sanctus, qui in cordibus fidelium diffusus est, & in omnibus creaturis, iuxta illud: Spiritus domini repleuit orbem terrarum *vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Loquitur in hoc loco Apostolus ex persona sua, aliorumque Apostolorum, vel omnium credentium. Data est gratia, id est fides & remissio peccatorum, & redemptio, & quicquid boni habemus. Gratia autem dicitur gratis data. Et hæc omnia gratuito munere omnipotentis dei largita sunt nobis secundū mēsuram donationis Christi, Donationē vel donum patris & filij debemus intelligere in hoc loco spiritum sanctū, de quo dominus dicit in euāgelio mulieri Samaritanæ: Si scires donū dei, id est spiritum sanctum &c. Cum verò dicit, data est secundū mensuram donationis Christi, sic videntur verba hæc sonare, quasi spiritus sanctus mensuram habeat, & mēsurabilis sit. Sed quomodo potest mensurabilis esse, de quo dicitur Spiritus domini repleuit orbem terrarū? Notādum ergo quia sicut deus pater immensurabilis est, qui dicit, Cælū & terram ego impleo, & filius immensurabilis est, qui est sapientia dei patris, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter: ita spiritus sanctus immensurabilis est: quia sunt tres personæ, ideóq; hanc mensuram donationis ad nostram capacitatē referre debemus, quia iuxta quod nos capere valemus, ex donis spiritus sancti datur mensura: verbi gratia: Mare immēsurabile est in longitudine, profunditate, latitudine sui, & multitudine aquarum: & sicut incolæ venientes ad illud, aquam secundum mensuram vasculorum suorū vnusquisque deportat, alius plus, alius minus, & tamen mare immensurabile manet, ita & nos secūdum mensuram nostræ capacitatis ex donis spiritus sancti accipimus, & ipse in sua natura immensurabilis manet: *propter quod* subaudis *quia vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, alij maior, alij minor, dicit Psalmista. *Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Quidam doctor hoc modo hunc versiculum explanat, quod à veritate non discrepat, & appellat diabolum captiuitatem: quia genus humanum de paradiso captiuauit. Ascendēs Christus in altū, i. in crucem, iuxtà quod & ipse ait, Cum exultauerit filium hominis &c. tunc captiuitatem, id est diabolum duxit captiuum, & captiuauit illum, auferendo ab illo potestatem quam tenebat in hoc mundo, iuxta illud: Nunc princeps huius mundi eiicietur foras, Sed quid fecit post modum? Tertia die resurgens, dona spiritus sancti dedit discipulis insufflans, & dicens: Accipite spiritum sanctum. Aliter, Ascendēs Christus in altū, i. in cælum quadragesimo die resurrectionis suæ, captiuā duxit captiuitatem: quando naturam humanam quę de paradiso fuerat à diabolo captiuata, ipse iterum captiuauit de potestate diaboli abstrahendo illam, & ad cælestia reuocā do, ac postmodū decimo die ascēsionis suę dedit dona sancti spiritus discipulis. Quæri autē potest cum superius dixerit singulari numero, Data est gratia secundū mensuram donationis suæ, quare modo dicat plurali numero, Dedit dona hominibus? Ad quod dicendū, quia licet spiritus sanctus singulari numero donū vel donatio appelletur, tamen secundū qualitatē meritorū tribuuntur dona eiusdem spiritus sancti, vnde Apost. Alij (inquit) datur per spiritū sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ. &c. vsque dum subiungit: Hæc omnia operatur vnus atque idē spiritus, diuidens singulis prout vult. *Quod autem ascendit, quin est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* Interrogabat Apostolus semetipsum, & dixit: Quid est quod dixi ascendit? Quomodo potest deus ascendere, qui vbique est? Certe nihil est aliud nisi quia & descendit. Et primum descendit in inferiores partes terræ ad infernum, ac deinde in cælum ascendit. Ergo non secundum diuinitatem, quæ omnia implet, ascendit ipse, neque descēdit: sed secūdum humanitatem. In anima quidem sola descēdit ad infernum, & iterum in corpore & anima ascendit super omnes cælos. Notandum quia per hoc quod dicit, Descendit ad inferiores partes terræ, ostendit infernum infra terram esse. Vnde dicitur infernus, quòd sit inferior terra, vel infra terram. *Qui descendit* subaudis ad inferiores partes terræ *ipse est & qui ascendit super omnes cælos*, id est Christus *vt adimpleret omnia*, id est oracula legis & prophetarū, quæ de se erant scripta, vel omnia, i. quasdā dispensationes, quas ipse cū patre dispositerat, & quas ipse solus cum illo sciebat. Vel etiam vt

Ioan. 4.

Ioan. 8.

Ioan. 12.

Ioan. 20.

1. *Cor. 12.*

impleret omnia cælestia & terrestria de sua cognitione & reuelatione diuinitatis suæ, quæ omnia ante illius aduentum quasi vacua erant ad comparationem illam quâ postmodum de eius diuinitate cognouerunt. Cælestia impleta sunt, quia erant quædam angelicæ potestates quę mysteria
Psal. 22. natiuitatis Christi passionis & resurrectionis, ascensionisque ad cælos, ad liquidum non cognouerunt, quousq; impleta sunt, vnde admirãdo dicitur in Psal. Quis est iste rex gloriæ? Terrestria quoque impleuit, quia in hominibus qui deum ignorabant, suam cognitionem dedit, suáque gratia illos impleuit. *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos* vt fuerunt duodecim, & septuaginta duo discipuli, *quosdam prophetas* vt Agabus, & alij Antiocheni, & quatuor filiæ Philippi. *alios verò euangelistas* vt fuit Lucas & Marcus, Ioannes quoque & Matthæus, qui & apostoli fuerunt, *alios autem pastores & doctores ad consummationem*, id est, ad perfectionem *sanctorum* vt illi qui prædestinati sunt ad gloriam æternam, illorum prædicatione & exemplis perficerentur, Fuerunt in primordio fidei, euangelistæ, prophetæ, pastores quoque & doctores, sunt & modo in ecclesia. Quicunque bona annuntiat, euangelista est: quicunque gaudia electorum, pœnásque reproborum suis auditoribus annuntiat, propheta est. De nomine verò pastorum & doctorum interrogatus B. Augustin. á Paulino, respondit vnum esse pastorem & doctorem. Pastor enim non potest esse, nisi habeat doctrinam qua pascat gregem sibi cõmissum: quia si caruerit doctrina, licet nomen habeat pastoris, caret tamen officio, Pastores autem & doctores ecclesiæ, quod vnum est, sunt episcopi, presbyteri, aliique rectores & ministri ecclesiæ qui tandiu constituti sunt *in opus ministerij & in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in virum perfectum, & in vnitatem fidei, & agnitionem filij dei.* Ideo constituti sunt pastores & doctores vt corpus Christi ædificent, quod est ecclesia, quæ quotidie ædificatur ex numero credẽtium venientium ad fidem, vt habeamus vitam post resurrectionem, & omnes æqualiter deum cognoscamus. In præsenti siquidem seculo sicut est diuersitas scientiæ, ita est diuersa fides: quia alius plus, alius minus de deo intelligit: & secundum quod intelligit & cognoscit de diuinitate omnipotentis dei, habet & fidem.

Post

Post resurrectionem autem iam non erit diuersitas fidei: quia sicut omnes æqualiter deum videbunt, ita æqualem fidem habebunt. Eritenim deus omnia in omnibus. *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ex superioribus ista pendent. Ipse (inquit) dedit pastores qui ædificent corpus illius, donec occurramus omnes post resurrectionem generalem in virum perfectum. Quidã hoc modo illud intelligunt, quòd in generali resurrectione omnes in eadem ætate resurgent in qua Christus resurrexit, cuiuscunque etiam ætatis fuerint, & nomine virorum cõprehenduntur & mulieres. Quod dicit in virum perfectũ, licet contra fidem non sit, tamen hoc melius est vt aliter intelligamus, virum perfectum appellat Christum cum omni corpore suo, quod non erit perfectum quousque omnes electi compleantur. Completo autem numero electorum, occurremus omnes in virum perfectum, id est, omnes electi occurrent capiti suo Christo, vt iam postmodum vnus sit vir Christus & ecclesia perfectus & integer. Et in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sicuti homo per ætates singulas crescit donec perfectus sit vir, sic quotidie crescit vsque ad diẽ iudicij Christus, non in se, sed in nobis, qui sumus corpus eius. Cõpleta autem mensura ætatis, id est perfecto & integro numero electorum ex quibus plenitudo corporis impletur, obuiabimus ei *vt iam.* i. post resurrectionẽ in qua Christus erit perfectus *non simus* subaudis sensu *paruuli fluctuantes* huc illúcque vagantes, nũc ad illud vitiũ, nunc ad istud cadentes. *& circunferamur omni vento doctrinæ.* Quantum ad præsentem sapientiam pertinet, beatus Apost. non erat paruulus sensu, quia sapientior erat cunctis mortalibus: quantum verò ad illam perfectionem attinet sapientiæ, quam habituri sunt sancti post resurrectionem, paruulus erat sensu, & intellectu imperfectus. Quod verò dicit, Neque circunferamur omni vento doctrinæ, ventum doctrinæ appellat dialecticam & sapientiam mundanam, quæ nullius vtilitatis est, à qua circunferimur & pulsamur, quia plerunque seducimur per illam, putantes ea esse vera quæ sunt falsa. Et isti Ephesij dialectici erant, per quem seducebant simplices, facientes ea putare vera quæ erant falsa suis fictionibus & astutiis. Vnde & sequitur. *in nequitia*, id est, in malitia *hominum & astutia*

illorum *circunuenimur ad circunuentionem erroris.* Dicit beatus Hieronymus: Quid prodest iugiter dialecticæ arti insistere, & syllabas iamborum componere, id est diuersa carmina, vbi nulla veritas est, sed seductio & error hominum? In præsenti quidem seculo potest illud esse, sed post resurrectionem cessabit. *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Hæc verba Apostoli ex superioribus pendent. Nam loquitur ad Ephesios. Deponite vos, inquiens, secundum pristinam conuersationé veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, ac deinde subdit. Renouamini autem spiritu mentis vestræ. Pristina conuersatio peccatum est, & in peccatis manere: vetus autē homo, conuersatio veteris hominis est Adæ. Quicunq; enim in peccato manet, conuersationé veteris hominis habet. Qui homo, id est cōuersatio illius corrumpitur & deprauatur secundū desideria errorum & vitiorū. Renouamini igitur spiritu mentis vestræ. Spiritū & mentem pro vno debemus accipere secundū B. Augustinū, id est pro rationabilitate mentis. Duæ sunt autē renouationes, Vna subitanea, quæ fit in baptismate, in qua renouamur ab omnibus peccatis originalib⁹ & actualibus. Altera quæ fit per spatium temporis, & per assiduitatem lectionis, & per operationem bonorū operum, de qua hic dicitur. Dum enim animus ea quotidie per studiū lectionis de deo intelligit, quæ antea ignorabat, & dū proficit quotidie de virtute in virtutē, quotidie innouatur. Tale est ergo ac si diceret, Estis renouati in baptismate, renouamini quotidie per studiū lectionis, ea de deo intelligendo, quæ antè vos latebant, & crescendo de virtute in virtutem. Et induite nouum hominem. Nouum hominē appellauit noui hominis cōuersationē, Vel ipsum dominū Iesum. Videamusquomodo ipse sit nouus homo, & secundū deū creatus. Cōceptus est in vtero virginali opere spiritussancti, ex semine mulieris sine semine viri, hoc nouū fuit, miracula fecit quæ nemo aliis fecit, cōuersatus est sine peccato in hoc mūdo. est verus deus & verus homo. resurrexit à mortuis, & hæc omnia noua fuerunt & sunt. Secundū deū creatus in iustitia, quia in iustitia & in sanctitate veritatis est, quia iustus & verus est: & non solū iustus, sanctus & verus est, sed

sed insuper ipsa iustitia, ipsa veritas & sanctitas. Quod ergo dicit, Induite nouum hominē, tale est ac si diceret, Induite dominum Iesum Christum, id est, conuersationé noui hominis, & omnes virtutes, quas intelligitis in Christo esse. Quicunque enim assumit iustitiā, sanctitatem, veritatem sapientiam, charitaté, & omnes virtutes quas in Christo cognoscit esse, Christum vtique induit. *Propter quod deponentes omne mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo,* quia omne mendacium à diabolo est, qui est mendax, & pater mendacij. Quicunque filij veritatis sunt, debent deponere & abiicere omne mendacium, dolositatem & duplicitatem, & loqui veritatem, de animo puro cū omni homine, non solū Christiano, verum etiā pagano & hæretico: quia omnes sunt proximi nostri. Et quare debemus loqui veritatem cum proximo? *quoniam sumus inuicē membra,* Est autem Christus caput, mēbra illius sunt electi. Et sicut membra corporis nostri sunt sibi inuicē necessaria, & sibi inuicem ministrant, ita membra Christi debēt sibi inuicem ministrare quæ sunt necessaria: verbi gratia, Necessarij sunt oculi manui ac pedi, & manus & pes oculo, ideóq; ministrat oculus manui ac pedi lumē, manus autem abstergit illū & lauat à sordibus. Sic in ecclesia sancta prædicator quilibet ministrare debet lumē scientiæ & prædicationis aliis: qui sunt manus & pedes. i. qui sunt eleemosynarij, & qui currunt ad sepeliendū mortuū, & qui actiuæ vitæ sunt dediti: ecōtra autem illi debent de sua substantia sustentare oculū. i. prædicatorē, præbentes ei cibum & potum, & ministrantes cætera quæ necessaria sunt illi. hoc faciendo, erunt sibi inuicem membra. Sequitur *Irascimini, & nolite peccare.* Dupliciter possumus hoc intelligere: Siquādo à peccatis, & à via rectitudinis diabolo suadente recedi tis, irascimini vobismetipsis & indignamini, ne talia amplius faciatis, castigādo corpus vestrum vigiliis & ieiuniis. Aliter, Etsi (inquit) irascimini, nolite perficere. Permittit quidē irasci, quod humanū est, sed prohibet vindictā expetere, quod iam non est humanū, quia ira viri iustitiā dei nō operatur. *Sol non occidat super iracundiam vestrā.* Similiter & hoc duplici modo potest intelligi. Dicamus simpliciter, Sol non occidat super iracundiā vestram, id est, si cōmoti fueritis ad tempus aduersus proximum, ante solis occasum re- *Iac. 1.*

conciliamini,& recedat ira à vobis.Aliter, Sol appellatur Christus in scripturis sacris, vt ibi, Vobis timentibus nomen meum,orietur sol iustitiæ.Qui sol iustitiæ plerúnque propter iram quæ vindictam expetit, & propter discordiam occidit nobis,id est,recedit à nobis,sicut occidit falsis prophetis,de quibus dicitur,Occidit sol eis cum adhuc esset media dies.Sol non occidat super iracundiam vestrã, id est,cauete ne propter vestram iram & propter vestrum peccatum recedat sol iustitiæ,id est,Christius à vobis *Nolite locum dare diabolo*, id est,nolite vindictam expetere, neque irasci vltra modum,ne recedat sol à vobis Christus, adueniátque diabolus princeps tenebrarum.Quandocunque enim peccamus, locum damus diabolo in nobis *Qui furabatur* bona aliorum *iam non furetur* vel qui furabatur verba & doctrinam euangelij per hæreticam prauitatem, sicut falsi prophetæ de quibus dicitur:Qui furabantur sibi verba,dicentes.Hæc dicit dominus,cum dominus nõ miserit eos.iam non furetur,sed recedat ab errore suo *magis autem laboret,operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.* Ille qui anteà furabatur, non solum debet à furto cessare,sed debet operari manibus suis,vt habeat vnde sustentet alios inopiam patientes. *Nolite contristare spiritum sanctum dei in vobis,in quo signati & estis* & designati *deo in die redemptionis* hoc est, nolite per mala opera spiritum sanctum fugare à vobis,qui habitator esse cœpit vestri in die redemptionis, id est in die baptismatis.Sicut enim contristatur homo quando de propria domo expellitur quam ipse sibi ædificauit vt quiete ibi habitaret: sic spiritussanctus contristari dicitur, quando de homine quem sibi mundauit in baptismate, per praua opera eiicitur.Aliter,Nolite contristare spiritum sanctum dei, id est,spiritales homines,in quibus spiritussanctus habitat, nolite contristare per vestra mala opera.Siquidem spiritales viri siquando vident alios peccare, & à via rectitudinis deuiare,contristantur de illorum miseria,condolent de aliis vt dese.

Mal.4.

Exech.1.

CAPVT V.

Estote imitatores dei sicut filij charissimi Hortatur Apostolus Ephesios vt sint imitatores dei, sicut filij charissimi.Imitari autẽ est sequi,Imitatio autẽ est quædam

quædam imaginatio,verbi gratia quando discipulus conatur imitari magistrũ in aliquo opere.Quomodo ergo possumus imitari deum omnipotentem ? Videamus.Est ille sapiens,prudens,misericors,iustus & verus : simus & nos secundũ modulũ nostrę capacitatis sapientes,prudẽtes simus iusti & veraces & misericordes,diligẽtes amicos in deo,& inimicos propter deum.Sicut,inquit,filius charissimus,charissimus imitatur patrem bonum in omni conuersatione morum,& lenitate mentis,atque honestate vitæ,ita & vos imitamini patrem vestrum deũ omnipotentem secundum quòd ipse vobis adiutorium bonæ voluntatis & operationis præstiterit.Patrem autem dico non per naturam, sed per adoptionem.Sequitur *& ambulate*, id est,viuite,conuersamini & crescite *in dilectione* dei & proximi *sicut & Christus dilexit nos,& tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo in odorem suauitatis.* Magna & mirãda & inenarrabilis dilectio,vt vnicus filius dei semetipsum traderet morti,dominus pro seruis, creator pro creatura.Sicut ergo ille pro nobis animam suam posuit,ita & nos si necessitas fuerit,pro eius nomine animas ponere debemus: & nõ solum pro nomine eius,sed etiam pro fratribus nostris, propter amorem nominis eius.Quod vero dicit Apost.qui se tradidit in odorẽ suauitatis,licet legamus in Genesi quòd odoratus est dominus odorem suauitatis in sacrificio quod ei obtulit Noë egressus de arca,non debemus putare quòd omnipotens deus,qui spiritus est, fumo & odore carnaliũ delectetur:sed odorem suauitatis debemus intelligere intentionem bonæ voluntatis,& affectũ mentis,quibus deus delectatur:ita & in hoc loco Apostolus intentionem mẽtis & affectum sinceriſſimæ dilectionis qua dei filius nos dilexit,odorem suauitatis appellat,quia multum in his delectatus est deus pater,& quasi multa aromata in conspectu eius efferbuerunt.Ipse denique fuit oblatio,& hostia,ipse sacerdos & sacrificator, qui semetipsum obtulit deo patri in altare crucis pro nobis. *Fornicatio autem & omnis immũditia aut auaritia nec nominetur in vobis,sicut decet sanctos.* Fornicatio dicitur à fornicibus, id est,à locis lupanaribus & theatralibus,quæ fornicibus,id est,arcubus sunt cõstructa, quæ & harenaria appellantur,in quibus erant meretrices, cum quibus miscebantur spurcissimi quique.Fornicari au-

1.Ioan.3.

Gene.8.

tem est cum puellis liberis,& cum viduis necdum deo sacratis,Omnis incontinentia ad libidinem pertinens,quocunque modo fiat,immunditia & impudicitia atque luxuria appellari potest.Auaritia in hoc loco dupliciter potest intelligi. Potest siquidem pro amore pecuniarum accipi, potest & pro adulterio, quod & alibi ab Apostolo negotium appellatur,vbi dicit viris & vxoribus,Nolite fraudare inuicem,neque circumueniat aliquis in negotio, id est, in adulterio fratrem suum.Præcepit aut Apostolus,vt ita quæ diximus, non solum non sint in nobis,sed nec nominentur,quia si fuerint,nominabuntur.Si vero sæpius nominata fuerint nisi pro ædificatione facilius declinabit animus ad ea. Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala. Estote autem sicut decet sanctos. Quid decet sanctos:Honestatem morum seruare, virtutes appetere,vitia cauere.

Aut turpitudo Turpitudo est quando nimis motus carnis nostræ inflammantur ad libidinem,sed plerúnque propter timorem dei, & timorem pœnarum refrenantur. *aut stultiloquium.* Stultiloquium est otiosus sermo & nullius vtilitatis,quando relictis proficuis & vtilibus rebus,de inanibus & inutilibus tractatur *aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet,sed magu gratiarum actio.* Scurrilitas est iocularitas quæ risum solet mouere.Hoc autem distat inter stultiloquium & scurrilitatem,quod stultiloquium nullius vtilitatis est,nihilque in se sapientiæ habet,scurrilitas vero plerúnque ab ore sapientium procedit,& constat quadam vrbanitate,vt illud Vergilij.Qui bauium non odit, amet tua carmina Mæui: Atque idem iungat vulpes,& mulgeat hircos.cæteráque talia quæ nihil in se mali habent ,nisi tátúmodo quia otiosa sunt,& ad rem perfectam non pertinét, sed magis sunt gratiarum actio,id est,ideo proferúntur scurrilitates,vt gratus apud auditores prolator sit.Ideóq; precipit Apostolus ea cauere,quia de omnibus verbis otiosis reddituri sunt homines rationé.Potest & hoc aliter intelligi quod dicit,sed magis gratiarum actio.Non sint in vobis ista quæ diximus,sed nec nominétur,sed sit in vobis magis gratiarum actio:vt gratias deo referentes in omnibus quæ agitis & quæ habetis, sitis gratioli & accepti deo & hominibus, *Hoc enim scitote intelligentes quòd omnis fornicator aut immundus aut auarus,quod est idolorum seruitus,non habet*

hæreditatem in regno Christi & dei. Superius iam diximus de his vitiis,nunc videamus quare dicat auaritiam simulacrorum seruitutem.In hoc ergo dicitur esse auaritia simulacrorum seruitus, quia sicut ille seruit diabolo, qui simulacrorum seruitus, quia sicut ille seruit diabolo, qui omnipotentis Dei culturam & religionem quæ illi soli conuenit, & singulare nomen, vt solus Deus vocetur, quantum in se est, illi aufert,& Dæmonibus impendit, ita & ille seruit diabolo,qui omnipotentis dei dona cõmunia, quæ omnibus hominibus cõmuniter data sunt,in proprios sibi vsus male vsurpat.Aliter rectè etiam auaritia idololatriæ comparatur,quia dum metallis auri & argenti,de quibus simulachra fiunt,homines immoderatè seruiunt,& denarios constituunt, in quibus imagines fiunt imperatorum , aurum & argentum pro deo venerantur , quia serui sunt diuitiarum , Vel tertio modo , auaritiam idololatriæ ideo comparauit,vt nihil illa sceleſtius demonstraret.Radix enim omnium malorum est auaritia. Et nontandum quia loquens de turpitudine , stultiloquio & scurrilitate, non subiungit quod talia facientes possessuri non essent regnum Christi,sicut de fornicatione,immunditiam & auaritia:quo facto ostendit quidem illa esse peccatum : ista vero magis,eo quòd separãt à regno Christi. Regnum autem Christi & dei patris dixit , quia sicut vna est substantia patris & filij & spiritus sancti,ita est vna potestas,vna trinitas , vnum regnum. *Nemo vos seducat inanibus verbis* Inania verba loquuntur,id est,quæ nullius vtilitatis sunt, qui dicunt apud inferos aliam pœnam non sustineri , nisi cõscietia propria torqueri , non attendentes quod dicit Isaias in fine sui voluminis de reprobis,Vermis eorũ non morietur & ignis non extinguetur.erit enim ibi pœna intra suã cõscientiã qua torquebũtur grauiter.erit & extrinsecus vermis & iginis,à quibus cruciabũtur durissimè.Inania enĩ verba & seductoria loquũtur,qui dicũt,Qui crediderit & baptizatus fuerit,saluus erit,& si mala opera agat. quod omnino mẽdacissimũ est *Propter hæc enim*, id est,propter fornicationẽ,immũditiã,& auaritiã *venit ira dei in filios diffidẽtiæ* siue diaboli,id est,in illos qui perierũt in diluuio, & postmodũ in Sodomis,aliisq; ciuitatibus.Illi quidẽ qui in diluuio perierũt,,pterea peirerũt,quia cõtra preceptũ domini plures vxores acceperũt: & carnes cõederũt: & leuiori

pœna quodá modo peierunt quàm se domitæ,qui in igne succensi sunt,quia non plures vxores acceperunt,sed insuper contra naturalem vsum fornicabantur. Diabolus autem diffidentia appellatur, quia homines diffidere & in desperationem cadere facit. *Nolite ergo effici participes*, id est nolite illos imitari:quia si fueritis socij in opere, eritis & in pœna. *Eratis enim aliquando tenebræ,nunc autem lux in domino*, id est, eratis peccatores & ignorantes deum antequam ad fidem veniretis,& filij diaboli principis tenebrarum,modò estis iustificati per fidem,per baptismum,& filij dei per adoptionem,qui dixit:Ego sum lux mũdi Quapropter *vt filij lucis ambulate* hoc est,vt filij vitæ,& conuersamini sanctè & immaculate,ambulantes de virtute in virtutem Quanta distantia est inter lucem & tenebras tanta distantia est inter lumẽ fidei & cognitionis dei,bonorunq; operum, & inter tenebras infidelitatis & ignorantiæ atque peccati. *Fructus enim lucis*, id est,operatio bonæ conuersationis & fidei *in omni bonitate & iustitia & veritate* viuere,vt qui fidem habet,luménque cognitionis dei, omnia opera bona sectetur,iuste viuat,vera loquatur ad proximum,attendens quod Apost.subdit *probantes quid sit beneplacitum deo* Sicut trapezita, id est, monetarius probat metalia,pondere,puritate,& tinnitu,ita debemus nos opera nostra probare.Debemus illa probare pondere, considerantes quanta & quam magna sint Puritate,vtrum pura & simplici animo, bonáque intentione fiant: Tinnitu, vtrum famam de se reddant. *Omnia* subaudis opera *quæ arguuntur*, id est, quæ reprehenduntur à bonis & sanctis hominibus in malis *à lumine*, id est, ab illis qui filij lucis sunt *manifestantur* non esse bona.Quandiu enim mala opera non reprehenduntur à bonis,videntur esse bona malis:cum vero boni cœperint ea reprehendere,ostenduntur non esse bona. *Omne enim quod manifestatur,lumen est*, id est omne malum opus quod manifestatur per confessionem siue per pœnitentiã:lumen est.Lumen iã incipit esse:quia bonum est vt peccata per confessionem & pœnitentiam manifestentur. *Propter quod dicit* Quis est qui dicit?Dicit B. Hieronymus, quia neque in veteri testamento, neque in euangelio iste versiculus inueniri potest,nisi tantum modo in isto loco,nisi & ab hoc loco exempli causa sit alibi positus à doctoribus.Sed cum dictaret Apostolus hanc epistolam,subitò spiritus per eũ locutus est hoc,sicut & alia multa,ideóque ait propter quod,id est,quia omne quod manifestatur per confessionem,iam incipit lumen esse, dicit,spiritussanctus,subaudis per me. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis,& illuminabit te Christus.* Dormire dicitur & mortuus esse,qui in peccato iacet, quia anima quæ peccauerit, ipsa morietur.Surge de vitiis ad virtutes,qui dormis modo in peccatis,exurge à mortuis ad vitam,de peccato ad bona opera,& præbebit tibi Christus lumen fidei & cognitionis suæ,luménque bonæ operationis. *Fratres videte quomodo caute ambuletis non quasi insipientes,sed vt sapientes.* Alloquitur Apost.Ephesios & in illis omnes homines, hortaturq; vt caute & considerate viuant sicut sapientes, & non sicut insipientes. Fratres autem illos vocat in fide & in societate dilectionis:quia vnum patrem omnipotentem deum omnes habemus non per naturam,sed per adoptionem. Videte fratres,id est cõsiderate quomodo caute ambuletis & ordinate viuatis & conuersemini in medio nationis praue & peruersæ,non quasi insipientes, id est infideles qui non habent sapientiam veram in se Christum habitantem, sed vt sapientes fideles qui sapientiam substantialem in vobis habetis.Quanta enim distãtia est inter lumen & tenebras, inter fidelem &infidelem,tanta differentia est inter sapiẽtem & insipientem:quia lumen & sapientia non potest esse in eo,nisi fidem omnipotentis dei habeat. *redimentes tẽpus,quoniam dies mali sunt.* Quomodo est tẽpus malum:quod secundum dispositionem dei semper voluitur mẽsibus,diebus & noctibus horis, momentisque currentibus? Sicut enim dicitur mala esse domus, quæ malos habitatores habet:ita dicuntur mali dies, in quibus mala fiunt à malis hominibus. Quid est quod dicit, redimentes tempus?id est, vestrum illud facite:verbi gratia: Alij venduntillud, mala operando ad malum suum, vos redimite illud vobis, talia opera faciẽdo,pro quibus remunerationem capiatis,Quicunque enim hoc facit quod sibi vtile est, tempus redimit sic,& acquirit,quia suum illud facit, & in suam salutem illud occupat. *propterea* subaudis quia dies mali sunt. *nolite fieri imprudentes,sed intelligentes quæ sit voluntas dei.* Prudẽs dicitur quasi porrò videns, qui à longè considerat quem

finem sua opera habitura sint: & qui scit quid debeat appetere, & quid vitare, & qui considerat quæ placeant aut quæ displiceant deo. E contra ille qui inconsiderate & improuide omnia agit, & qui non considerat ad quem finem opera sua deducat, & quid placeat voluntati dei, appellatur imprudēs & stultus. Vnde dicit Apostolus: propterea, inquiēs, quia dies mali sunt, in quibus multa mala fiunt, nolite fieri imprudentes siue non considerantes, sed estote intelligentes quæ sit voluntas dei, id est qui placeat deo, & in quibus operibus voluntas dei impleatur. *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed impleamini spiritu sancto.* Per luxuriam debemus intelligere omnia vitia quæ per ebrietatem solent euenire: quia (vt quidam doctor dicit) ebrietas nullum vitium excusat. Sed notandum, quia sicut illi qui replentur vino, replentur inuerecundia, impatiētia, luxuria, impudicitia, superbia, cæterisque vitiis: ita illi qui replentur spiritu sancto, replētur castitate, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus *loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus.* Nobismetipsis in psalmis loquimur, quando alternatim canimus psalmos. Psalmi dicuntur à psallendo, qui in psalmis, id est, in psalterio inueniuntur. Hymnus græcè, latino eloquio sonat laus dei. Hymnus autem si componitur, & non cantatur, non est hymnus, si componitur & cantatur, sed non in laudem dei, non est hymnus. Hymnos autem latinos, Ambrosius & Hilarius clarissimi viri composuerunt precipue. Bene autē cum dixit canticis, subiunxit spiritualibus, quia sunt cantica quæ non sunt spiritualia, neq; in laudē dei cantantur, sicut sunt cantica secularium hominū. Cantica autem spiritalia sunt quæ composuerunt prophetæ afflati spiritu sancto & repleti, vt sunt cantica Moysi & Annæ & Delboræ, & Isaiæ, & Ezechiæ, cęterorúmque prophetarum. Hoc verò distat inter canticum & psalmum, quia canticum ore solummodo profertur & decātatur, psalmus autem addito quodam instrumento musicæ artis, id est psalterio *cantantes & psallentes in cordibus vestris domino.* Ideo dixit in cordibus vestris, quia multi sunt qui cantant ore, quorum mens non concordat voci, & qui magis attendunt ad suauitatem vocis, vt auditoribus placeant, quàm considerant mente quid dicūt. Illi verò cantant in corde, quorum mens concordat voci, iuxta

iuxtā illud B. Benedicti. *Sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi deo patri.* Pro omnibus beneficiis nobis à deo datis, vel pro omnibus prosperis & aduersis debemus gratias agere deo patri, qui omnibus creaturis est deus pater, id est creator & factor. Et quomodo, in nomine domini nostri Iesu Christi? dicentes ei. Gratias tibi referimus domine sancte pater, qui nos per filium tuum fecisti & redemisti, & viam patriæ cælestis aperuisti. Et ideo in nomine domini nostri Iesu Christi gratias referre debemus deo & patri, quia per illum qui mediator est noster, preces & sacrificia offerimus nostra, & transmittimus ad deū patrē, dicentes, Suscipe domine preces populi tui per dominum nostrum Iesum Christum. *Subiecti inuicem in timore Christi.* Sicut auditores & subiecti suis prelatis subditi sunt causa obedientiæ & reuerentiæ, sic debēt etiam prælati humiliare se erga subiectos, inquātum vidēt illos æquales sibi in virtutibus & vitæ meritis. Inquātū autē vident illos erigi in superbiā contra se, & vitia sectari, debent officium suæ præposituræ ostendere, & fortiter redarguere & increpare: quod probari potest ex factis Apostoli Petri, qui cum vidisset Cornelium centurionem. cum omni domo sua humiliter se velle adorare, econtra ille humiliauit se illi dicens: Surge, nam & ego homo sum. Vbi autem vidit Ananiam & Sapphiram à via veritatis recedere, & vitiis subiacere, potentiam sui officij & præposituræ ostendit, solo verbo illos interficiens. Sed ista omnia in timore Christi sunt agēda, id est, pro amore dei, non causa adulationis, nec patrocinationis, quod quidam faciunt, vt possint inuenire gratiam prælati, & vt liberius quæ eos delectant operentur. *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret.* Sicut Christus dilexit sponsam suam ecclesiam, intantum vt seipsum traderet Iudæis pro ea vt eam sanctificaret, id est, vt sanctam faceret per fidem suam, per baptismi sacramentum, per remissionem peccatorum, ita & vir debet vxorem suam diligere, & castam custodire, vt sit sancta: & si necessitas euenerit, debet pro illa animam suam ponere. Sequitur ergo de ecclesia, *mundans eam lauacro aquæ,* id est, lauacro baptismatis. *In verbo vitæ,*

Actu. 10.
Actu. 5.

id est sanctificatione sui nominis, per quam sanctificationem accipit homo vitam æternam. Post abrenuntiationē enim diaboli sanctificat illum sacerdos dicens, Baptizo te in nomine patris & filij & spiritussancti, vt quare hoc fecit Christus? Quare mūdauit, & quare quotidie mūdat in lauacro baptismi per inuocationē sui nominis? *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentē* peccati *maculā aut rugam* duplicitatis in mente, *aut aliquid huiusmodi*. i. aliquid vitij *sed vt sit sancta & immaculata*, In præsenti quidē seculo, vno modo potest dici & esse ecclesia gloriosa, videlicet quia reges & principes huius seculi habet subiectos, & cōtinet in se diuersos ordines & gradus: tamē sine macula peccati & ruga non potest esse, quia multi sunt in ea pœnitētes. Et si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. &, Non est homo super terram qui faciat bonū, & nō peccet. Quapropter melius est vt referam⁹ hæc verba ad generalē resurrectionē quādo erit gloriosa, quia fulgebit sicut sol in regno patris sui, & erit sine macula peccati, & sine ruga duplicitatis: quia incorruptibilis erit in corpore, & incommutabilis in anima. Per hoc etiā quod dicit, sine macula & ruga, ostendit etiam ecclesiam vestimentū esse Christi, iuxta quod ei pater dicit per prophetā, Viuo ego dicit dominus, quia omnib⁹ his velut vestimēto vestieris. Vestimentum enim quoddā solet habere maculas & quasdā notas ex aliqua tinctione, & solet esse rugatum. i. plicatum & duplicatum per loca. Est & aliud vestimentū, quod neque maculam neq; rugā habet, vt est linteū bene extensum. Post resurrectionē siquidem ecclesia sine macula est & ruga, quia erit sine peccato, & extensa in contemplatione omnipotentis dei sicut linteum.

1. *Ioan.* 1.
3. *Reg.* 8.
Esa. 49.

Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus ecclesiā. Hoc dupliciter potest intelligi, vt sit sensus: Sicut carnem suam odio nemo habet, sic etiam suam vxorem nemo debet odio habere, quia de corpore eius facta est, Aliter, Carnem posuit hic pro vxore, quæ est ex viri corpore sumpta. Nemo enim carnem suam odio habuit, id est nemo vxorem suam odio debet habere, sed debet illā nutrire & fouere, sicut Christus tā corporaliter quā spiritualiter fouet & nutrit ecclesiam. *Membra enim sumus corporis eius.* Sicut generaliter omnis ecclesia corpus est Christi, ita singuli electorum mēbra sunt corporis eius. i. membra ecclesiæ. Non illius corporis membra sumus quod ipse assumpsit in vtero virginali, sed mēbra ecclesiæ. quæ est corpus eius. Alius est enim in ecclesia oculus, sicut quilibet prædicator: alius auris, vt bonus auditor: alius manus, qui est eleemosynator: alius pes, qui curam infirmorū & mortuorum gerit, *de carne eius & de ossibus eius sumus* nos. Duplici intelligentia accipi potest, De carne & ossibus eius sumus, quia sicut nos constamus ex carne & ossibus, ita & ille verum corpus habet ex carne & ossibus. Aliter in ecclesia sunt fortes in fide, in opere, in prædicatione, qui designantur per ossa, vt fuerunt Apostoli, martyres, & modo episcopi & prælati, & sunt infirmi, qui designātur per carnem, qui indigent sustentari à fortibus, sicut caro ab ossibus. Qui fortes & infirmi sicuti membra eius dicuntur, ita etiam recte ossa & caro illius appellantur *Propter hoc*, id est propter hanc dilectionem, quàm debet habere vir cū vxore. *relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erūt duo in carne vna.* Quantum ad literam pertinet, ita fit. Relinquit homo patrem & matrem, & coniungit se suæ vxori, & sunt duo in carne vna, id est de vna carne. Vel etiam relinquit in illa coniunctione concubitus, quādo simul miscentur, in carne vna sunt. spiritualiter autem potest referri ad Christum & ad ecclesiā, qui propter ecclesię dilectionem reliquit deū patrem, per hoc ꝙ non in forma diuinitatis, qua æqualis est patri, apparuit, sed semetipsum exinaniuit, & adhæsit vxori suæ sanctæ ecclesiæ dilectione, & carne quam assumpsit, & sunt modo duo Christus & ecclesia in carne vna: quia de vna carne sunt, & Christus verus est homo, per se verum corpus habens, & ecclesia similiter. Hæc autem primo vates Adam de Christo & ecclesia prophetauit. *Sacramentum hoc* subaudis quod dixi modo *magnum est.* Sunt sacramenta maiora, sunt & minora. Vt ergo Apostolus ostenderet tam secundum literam, quàm secundum spiritalem sensum hæc debere intelligi, ideo subiunxit: Sacramentum siue mysterium hoc quod ego dixi, propter quod relinquet homo patrem & matrem &c. magnum est, quia pertinet ad Christum & ad ecclesiam: vnde etiam subdit: *Ego autem dico in Christo & in ecclesia*, subaudis id esse completum.

CAPVT VI.



Ratres de cætero confortamini in domino & in potentia virtutis eius. Post specialia præcepta quibus admonuit Apostolus viros & mulieres, patres & filios, dominos & seruos, subiunxit illis ista generalia non solum ad Ephesios, quibus mittebat hanc epistolam, sed ad omnẽ sexum & ad omnem conditionem, & dixit: De cætero, id est, deinceps, & præter illa quę superius diximus fratres mei in fide & dilectione, & qui vnum deũ omnipotentem habemus, confortamini in domino, & in fide illius, & in potentia virtutis eius. Nolite confidere in vestra fortitudine, neque in meritis vestris, neque in potẽtia principum huius seculi, sed in domino & in potentia virtutis eius confortamini. *Induite vos armaturam dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* In hoc nomine quod est armatura, comprehenduntur omnia vasa bellica, lorica videlicet, galea, scutum, lancea, tela, cæteráque instrumenta armorum, specialiter autem quid debemus intelligere per armaturam deĩ? Dominum Iesum Christum, cuius protectione defenduntur omnes electi, & quem induũt, iuxta quod idem Apost. aliàs dixit: Quotquot in Christo baptizati estis, Christũ induistis. Tunc enim induũt electi Christum, quando virtutes quæ in Christo sunt, per adiutorium illius assumunt. Quod ergo dicit: Induite armaturã dei, tale est ac si diceret: Induite dominum Iesum Christũ. i. omnes virtutes quas scitis in illo esse, in vobis assumite: verbi gratia est ille iustus, verus, patiẽs, castus, mansuetus, appellatus est agnus, & leo, & vitulus: induite vos iustitiã, veritatem, patientiam, charitatẽ, castitatem, mansuetudinem: estote agnus. i. mites: leo, fortes in fide & bono opere contra diabolum: estote & vitulus mortificantes vel metipsos cum vitiis & concupiscentiis, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Multis modis insidiatur nobis diabolus. Denique insidiatur nobis per malas suggestiones, insidiatur per vitia carnis nostræ, & incentiua malarum delectationum insidiatur per ministros suos, per hæreticos videlicet & falsos fratres, atque paganos: sed contra hos omnes debemus nos viriliter pugnare, ne possimus superari. Poterat aliquis

quis dicere: O Paule, quare præcipis nos omnem armaturam dei induere? Ad hæc ille subiunxit, quia nobis inquiens, *non est colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus.* Carnem & sanguinem appellat in isto loco Apostolus omnes qui constant ex carne & sanguine, à quibus plerumque suadente diabolo impugnamur, & dicit: Quia non est nobis colluctatio aduersus illos solummodo, sed aduersus dæmones qui principantur malis hominibus, & potestatem exercent super illos, regunt illos potius ad malum quàm ad bonum, ipsíque appellantur spiritalia, subaudis dæmones, Nequitiæ, hoc est, malitiæ, qui moratur in hoc aëre. Cæli nomine appellatur aër inscripturis sanctis: vnde & aues cæli dicuntur. Qui (vt philosophi dixerunt, & vt doctores etiam nostri opinantur) ita plenus est dæmonibus & malignis spiritibus, sicuti radius solis minutissimis atomis, id est puluiſculis indiuiduis. Contra hos ergo pugnandum est nobis potius quam contra homines constantes ex carne & sanguine, quia quicquid mali cõtra nos homines machinãtur, ab illis suggeritur: & si superauimus illos qui sunt principes militiæ, & quorum instinctu vitia carnis nostræ cõtra nos sæuiunt, tũc facilè superare poterimus oẽs ministros illius, verbi gratia, sicut superato principe, exercitus facilè fugatur. Quod probari potest ex lib. Iudith, quo narrãte discimus, quia Holoferne principe militiæ interẽpto, multitudo exercituũ in fugam versa est, & à Iudæis est facilime superata. Sed quærẽdum est quomodo pugnare possumus cõtra dæmones qui spiritus sunt? Nõne omnibus patet cõtra spiritũ armis materialibus non posse pugnare, quia spiritus sunt inuisibiles? Quapropter necesse est vt arma spiritalia formẽtur, videlicet supra memorata, & decertemus eo modo quo legimus luctatũ esse Iacob cũ angelo, orãdo, ieiunãdo, vigilãdo, cæterisq; bonis operibus insistendo, vt sicut ille meruit ab angelo sancto benedici, cũ quo luctabatur orãdo, ita & nos superato diabolo à domino benedici mereamur. Cęterũ quæri potest vbi accepe rit Apostolus, vt dæmones & malignos spiritus principes & potestates ac rectores tenebrarum harũ, id est hominũ infideliũ appellaret, deum ignorãtiũ & peccatorũ de quo-

Iudit.15

Gene.32.

rum numero fuerant illi quibus quondam dicebat: Fuistis
Ephe.4. aliquando tenebræ, id est infideles & peccatores, deũ igno
Dane.9. rantes? Ad quod dicendum quia ex lib. Danielis illud acce-
Eze.28. pit, vbi legitur: Principes Græcorum, & principes Persa-
rum ex lib. quoq; Ezechielis, vbi dicitur ad principem Ty-
ri, Tu signaculum similitudinis in paradiso dei fuisti: & cæ-
tera quæ ibi dicuntur de hoc & de principibus aliarũ gen
tium, Aegyptiorum videlicet, Assyriorum & Idumæorum.
Nam principes illi, id est dæmones, intelligũtur illis in gẽ
tibus præponi. Sicut enim vnusquisq; fideliũ habet sibi an
gelum delegatum ad custodiã sui: ita & pagani habẽt ma
los qui eis principantur permissione dei, & sicut Michael
præpositus est genti Iudæorum vel Christianorum, de quo
Danie.10. dicitur. Et nemo est adiutor meus nisi Michael princeps
vester: ita habent & gentes in infidelitate manentes malos
principes. Dicamus & altius: Apostolus repletus gratia dei
cognouit per spiritũ sanctum, quia sicut boni reges Israe-
litarum significabant dominum Iesum, & principes qui sunt
in ecclesia, verbi gratia qualis fuit Dauid qui interpreta-
tur manu fortis siue desiderabilis, aliique quam plurimi: &
sicut populus Israel significabat populum credentium qui
sunt veri Israelitæ, ita mali reges & principes cũ suis gen-
tibus, qui contra populum dei pugnabant, vt fuerunt reges
Ismaelitarũ, Assyriorũ, & Idumæorũ & Philistinorum, si-
gnificabãt dæmones, qui principantur paganis & hæreti-
cis, qui ecclesiam dei semper impugnabãt. *Propterea* subau-
dis, quia non est nobis colluctatio aduersus carnẽ & san-
guinẽ, sed aduersus principes. *Accipite armaturam dei*, illam
quam supra diximus, id est omnes virtutes: *vt positis resistere*
in die malo, & in omnibus perfecti stare, id est in omnib⁹ pro-
speris & aduersis perseuerare firmi in fide bonisque operi-
bus. Diem malum appellat præsens tempus, non quòd per
se sit malum, sed quia multa mala in eo fiant. Vel etiam diẽ
malum dicit diem iudicij, in quo omnes mali dãnabuntur.
State ergo succincti lumbos vestros in veritate. Lumbos succingi
mus, cum luxuriam refrenamus. State (inquit) in fide, in bo
no opere, & restringite lumbos à luxuria, vbi maxime vi-
get, & hoc in veritate facite, non in mendacio neque per
hypocrisim, neque vt laudem hominum capiatis, vel in ve-
ritate dicit, quasi pro amore nominis Christi, qui est verita-

tas, *induti lorica iustitiæ*. Rectè iustitia loricæ comparatur,
quia sicut lorica multis circulis contexitur, ita iustitia mul-
tis virtutibus constat. Aliter: iustitia etenim loricæ potest
comparari, quia sicut lorica pectus munit, ventrem strin-
git, femora protegit, ita iustitia superfluas cogitationes
quæ in pectore versari solent, repellit, ingluuiem ventris
stringit, luxuriam quoque opprimit *& calceati pedes*. Sub-
audis sint vobis *in præparationem euangelij pacis*. Et est sen-
sus: Sicut ille qui calceatos habet pedes, serpentes spernit,
spinásque, omnémque asperitatem viæ pro nihilo ducit,
ita & vos diabolum serpentem antiquum, spinas quoque,
id est punctiones passionum omnémque asperitatem vitæ
huius contemnite, & liberi ad prædicationem euangelij
incedite. Aliter: Per calceamenta quæ ex mortuis anima-
libus fiunt, debemus intelligere dicta & exempla sancto-
rum patrum præcedentium. Calceatos ergo pedes habe-
mus, cum dictis & exemplis præcedentium patrum muni-
ti, securi ad prædicandum euangelium pacis accedimus.
Euangelium autem pacis dicitur, quia ibi continetur pax
quam Christus Apostolis commendauit, & in Apostolis
omnibus fidelibus, vel etiam quia propter obseruantiam
euangelij meremur reconciliari deo. *In omnibus* subaudis
præliis & certaminibus *sumentes scutum fidei, in quo possitis*
omnia tela nequissimi ignea extinguere. Quicquid missile est
vel iacitur, telum potest appellari: proprie tamen illud
quod in longum protenditur, vt lancea. Nam telon dicunt
Græci longum, vnde mustela dicitur mus longus. Sicut
ergo scutum se tenentem protegit, & tela repellit: ita fides
hominem munit, & ab eo diaboli iacula & infestationes
repellit, ita tamen, si fuerit bonis operibus adornata. Te-
la denique diaboli ignea appellat suggestionem prauam,
quæ nos incendit ad mala opera agenda, & quæ extin-
guitur per virtutem fidei. *Et galeam salutis assumite* Galea
in capite ponitur, omnésq; corporis sensus munit & pro-
tegit, visum videlicet in oculis, auditum in auribus, gu-
stum in ore, olfactum in naribus, tactum in toto corpo-
re. Quid habemus ergo intelligere per galeam, quæ (vt
diximus) omnes sensus corporis protegit? Dominum Ie-
sum Christum, & protectionem illius: per caput vero mẽ-
tem, quia sicut capite reguntur membra, ita cogitationes

mente disponuntur. Ponamus igitur galeam in capite, id est protectionem Christi recondamus in secreto mentis nostræ, habentes in illo fiduciam, non in nobismetipsis, & ipse tuebitur omnes sensus nostros, ne à diabolo hoste antiquo possint vulnerari, *& gladium spiritus, quod est verbum dei.* Subaudis assumite. Gladius spiritussancti intelligitur verbum dei, vt Apostolus ait, id est, doctrina & scientia diuinarum scripturarum, quæ per spiritum sanctum nobis tribuitur. Idcirco autem gladius appellatur, quia sicuti gladio fugantur hostes, ita per cognitionem diuinarum scripturarum possumus fugare omnes insidias & omnia machinamenta diaboli, appetendo illa quæ scriptura docet, & vitando quæ prohibet: & non solum dæmones per eius cognitionem & adiutorium dei possumus superare, sed etiam authoritate illius hæreticos cõuincere, & errorem illorum destruere. *Gratia*, id est fides & remissio peccatorum *sit vobis in incorruptione*, id est in integritate *cum omnibus qui diligunt dominum Iesum Christum.* Aliter: Gratia, id est, fides & remissio peccatorum, societas æterna sit vobis cum omnibus sanctis in incorruptione, hoc est, in generali resurrectione, vbi accipient omnes electi incorruptionem in corpore & immortalitatem in anima, fulgentes sicut sol in regno patris sui, cum quo fœlices in secula seculorum manebunt, Amen.

IN EPISTOLAM PAVLI AD PHILIPPENSES ARGUMENTUM HAYMONIS.

PHilippenses sunt Macedones, id est Græci Græcia enim à diuersis regibus diuersa nomina sortita est. Vocatur ei Macedonia à Macedone rege, & Aemathia ab Aematho, & Thessalia à Thessalo, generaliter autẽ omnis terra Græcorum Græcia vocatur à Græco rege, vt Seruius dicit. Hi Philippenses postquam acceperunt verbum prædicationis ab Apostolo, fortes in fide fuerunt, nec receperunt falsos Apostolos, sicut in argumento ostenditur.

IN EPISTOLAM AD Philippenses, exegesis.

PAulus quare posuit nomen suum in primordio epistolæ? vt maioris authoritatis esset epistola. Sic nanque soliti sunt agere reges & principes. Quare non seruauit morem suum, ponendo nomen apostolatus sui in epistola hac, sicut in omnibus, præter in illa ad Hebræos? In qua ideo prætermisit, ne vtilitas lectionis differretur. Philippenses ergo, vt diximus, postquam per illum crediderunt, non dubitauerunt quin ipse esset Apostolus & magister gentium, ideóque non fuit necesse vt eis scribens, apostolum se nominaret, Corinthij vero seducti à falsis prophetis, recesserunt à fide, & dubitauerunt illum esse apostolum à deo electum & missum, dicentes. Vere Paulus non vidit Christum in carne, neque eius doctrina est vera. A quo necesse duxit se apostolum nominare, inquiens, Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & deum patrem. Scien dum etiam beato Paulo reuelatum esse per visum quod Philippensibus verbum dei deberet prædicare. Nam appa ruit ei, vt legimus in actibus Apostolorum, vir Macedo, deprecans eum & dicens. Transiens in Macedoniam adiua nos. Qui vir angelus dei fuisse creditur illi genti præpositus à deo *& Timotheus.* Quare interponebat nomina discipulorũ in epistolis suis? Vt maioris authoritatis essent, secundum quod dominus dixit, In ore duorum vel triũ testiũ stet omne verbũ, & ne aliquis diceret, in mẽdacio ista excogitata sunt. Vel etiam cõplebat ipse Apostolus quod docuerat dicens: Si reuelatum fuerit sedenti aliquid, prior taceat. Nam quando dictabat epistolas, omnes discipuli eius aderant: & si alicui illorũ alia reuelata essent, quę ipse non dicebat, aut aliter quam dicebat. quia idẽ spiritussanctus erat in discipulis, qui & in magistro, sicuti ab illo docebatur, ita ponebat ille in ordinem, nõ inuidẽs bonus magister suis discipulis, & insuper nomẽ illius ponebat in exordio cum suo, quia partem ibi habebat *Seruus* Sicuti glo-

1. Cor. 4.

riabatur aliquis consulum seruum se esse imperatoris, vt Andromachus seruus Octauiani, ita & Apostolus, vt eius epistola firmior esset, dicebat se seruum esse Christi *omnibus sanctis* id est, omnibus sanctificatis in baptismate, & in ea sanctificatione manentibus *qui sunt Philippis cum episcopis* id est, cum presbyteris, quia vna ciuitas non potest habere plures episcopos. Philippi est ciuitas Græciæ, quam ædificauit Philippus pater adoptiuus Alexandri, vocans eam nomine suo Philippos, *& diaconibus* subaudis, sit salus & remissio peccatorum *Gratias ago deo meo in omni memoria vestri* id est, in memoria fidei vestræ, in qua solide permanetis, gratias reddo deo, vel memor vestri semper in meis orationibus gratias ago illi qui vos confirmat semper in fide *cum gaudio* subaudis spiritali *deprecationem faciẽs* non cum mœrore. Pro illis qui in fide perseuerant, & fidẽ quam renent, bonis operibus exornant, non est necesse cũ mœrore orare, sed gratias deo reddere: pro his vero qui labuntur, cum gemitu & mœrore est orandum, *super communicatione vestra* id est de communione quam habetis nobiscum, vel quia recepistis euangelium, & participastis fidei eius: vel etiam de communione & participatione, qua nobis participastis in prædicatione, quia prædicastis iam sicut & nos. *à primo die* id est, à primordio fidei *fratres confidimus in domino Iesu, quia qui cæpit in vobis opus bonum,* id est, Christus qui dedit vobis initium fidei & bonæ conuersationis: dabit & perseuerantiam vsque in diem mortis, vel vsque ad diem iudicij per successionem. *Sicut est mihi iustum,* id est, iustum est mihi hoc intelligere de vobis, quia permanebitis in fide Christi, & ideo debeo gaudere & *hoc sentire,* id est, intelligere *eo quod habeam vos in corde & in vinculis meis* subaudis vestri reminiscor. *Testis est mihi deus quomodo vos cupiam in visceribus Iesu Christi* Viscera dicuntur filij: & viscus dicitur quicquid intra corium est. Ideo duobus modis intelligitur. Cupio, inquiens, omnes vos filios dei esse, vel cupio vt ipse sit templum vestrum, & vos communicantes corpori & sanguini eius maneatis in illo. *Et hoc oro, vt charitas vestra &c.* id est, sicut fides habet initium, habet incrementum & perfectionem, ita charitas: Oro, inquit, vt non solum in deum & proximum, sed etiam ad inimicos extendatur charitas vestra. *in scientia* subaudis

dis legis *& in omni sensu.* id est doctrina Euangelij *vt prophetes* id est, intelligatis maiora de deo *vt sitis synceres* id est, perfecti in deo & fide & in omni bonitate. Synceris materia est solida & firma, quę nullius rei varietate maculatur. ita debet & fides solida esse *sine offensa* id est, sine offensione *in diem iudicij: repleti fructu iustitiæ* id est, sitis repleti omnibus virtutibus, de quibus dicit Apostolus: Fructus autem spiritus est gaudium, pax &c. *in gloriam & laudem dei* vt glorificetur deus in vobis, & dominus Iesus laudetur, per quem omnia bona habemus. *Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt euangelij.* Sciens Beatus Apostolus Philippenses contristari de suis tribulationibus, & condolere de suis infirmitatibus, ne illi deficerent in fide, audientes eum talia pati, scribebat eis dicens. Scio quidem vos compati afflictionibus meis. sed innotescere vobis volo quia quæ circa me sunt, vincula videlicet, carcer & cippus, magis ad profectum, id est, vtilitatem & augmentum sunt euangelij, quàm ad contrarietatem *ita vt vincula mea in Christo* id est, quæ non pro aliquod alio crimine sustineo, sed propter Christum *manifesta fierent in omni prætorio, & in cæteris omnibus locis* Prætor dicitur à præeundo & quasi præceptor, quia præcepta dat populo. Prætorium autem dicitur quasi præceptorium, eo quòd ibi prætores siue præceptores & præfecti sedeant ad discutienda quædam, & præcepta danda. Gal. 5. Veniente ergo B. Apostolo Romam, vincto pro Christi nomine, cum esset retrusus in carcerem in domo imperatoris, & cœpisset docere, infirmos curare, multa miracula patrare, multi crediderunt, intantum (sicut B. Hiero. dicit) vt domum persecutoris Neronis ecclesiam faceret redempto ris. Tunc manifestatum est in omni prætorio, id est, imperatori omnibusque consulibus & principibus, & in omnibus locis propter Christum illum talia sustinere. *vt plures e fratribus,* id est, ex credentibus *in domino* id est, per dominum *confidentes in vinculis meis* id est, exemplo vinculorum meorum confortati. Cum vidissent multi ex credentibus talia pati beatum Apostolum omni formidine mortis repulsa, exemplo vinculorum eius confortati atque corroborati, cœperunt audacius verbũ dei prædicare sine timore. *Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem, quidam*

autem & propter bonam voluntatem. Hi quatuor modi qui sequuntur in duas species (sicuti doctoribus videtur) possunt redigi: prima videlicet & vltima species pro vna computata, duæ vero mediæ similiter pro vna. Sed tentemus per singulas stilum trahere. Quod dicit, primum quidem propter inuidiam & contentionem, subaudis Christum annuntiant vnum esse. Erant quidem ex Iudæis credentibus atque gentibus, qui inuidentes beato Apostolo quod ipse dicebatur solus magister gentium & prædicator, dicebant, Nunquid Paulus solus dicitur magister gentium? Nos doctrinam habemus, prædicabimus sicut & ille, vt appellemur magistri gentium. Et hoc agebant, quia volebant contendere cum illo. Secunda species est: Quidam propter bonam voluntatem, id est, bonam intentionem, cupientes saluare alios, sicut & ipsi saluarit erant. Tertia species est *Quidam ex charitate* subaudis, qua diligebant Deum, cupiebant alios saluare, & ex charitate qua diligebant Apostolum volentes ei adiutorium in prædicatione præbere. Quarta species est, *Quidam ex contentione non syncere* Syncera res est solida & firma. Et erant quidam qui prædicabant non syncere, id est, non pura conscientia, quia propter commoda præsentis vitæ, & propter lucra temporalia prædicationi insistebant: vt vita a subiectis cibum & vestimentum acciperent, dicentes: Dominus ordinauit, qui Euangelium annuntiat, de euangelio viuere. Et propter contentionis occasionem non cessabat Apostolus positus in carcere, sed etiam discipulos suos per totum orbem mittebat predicare. Volebant quidam vt occideretur. vt dum ille occisus esset, liberius possent illi expoliare suos auditores *scientes quoniam in defensione euangelij positus sum,* id est, in ea defensione quã paulò superius diximus. Non syncere, id est, non pura intentione *existimantes se pressurã,* id est, persecutionẽ maiorẽ *suscitare vinculis meis. Quid enim,* id est, quare contristor, aut quare moueor in tristitia. *Siue per occasionem,* id est, per inuidiam & non syncere. *siue per veritatem,* id est, bonam volũtatem & charitatẽ *& in hoc gaudeo,* id est, quia Christi nomen per bonã voluntatẽ & ex charitate prędicatur *sed & gaudebo* subaudis propter hoc, quia illis non inuideo, *Scio enim quia proueniet mihi hoc ad salutem.* Hoc enim proueniet mihi ad salutem, id est, ad vitam æternam, quod sustineo

sustineo pro Christi nomine: cel quia illis mala non opto qui mihi inuident, & mihi tribulationem excitant, *& subministrationem spiritus Iesu Christi,* id est, auxilium ministrante & præbente mihi Christo & spiritu sancto *secundum expectationem & spem meam* Expectatio & spes vnum est, quia spes est expectatio futurorum bonorum. Et beatus Apostolus certus erat quòd mercedẽ erat accepturus æternæ retributionis propter hoc quod sustinebat pro Christo: & de hoc etiam expectabat mercedem, quia suis inuidis persecutoribus bona optabat *quia in nullo confundar,* id est in nullo horum quæ illi agunt, vt mihi persecutionem maiorem ingerant, vel quæ sustineo, iam positus in vinculis non erubesco. *sed in omni fiducia* in omni fide mea *sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem.* Si tormenta sustinuero, omnes qui audierint, dicent, Magnus est iste Deus, pro cuius nomine serui eius non timent mori. *Mihi autem viuere Christus est,* id est si vixero, Christus mihi vita est: vel si vixero, per prædicationem meam corpus eius augebo *& mori lucrum* Si sub pœnis mortus fuero, maximum lucrum est mihi, & magis ac magis prædicabitur. Vel lucrum est mihi mori, quia si mortuus fuero, maximum lucrum percepturus sum, id est vitam æternam, *Viuere in carne hic, mihi fructus est operis* quia quo amplius vixero, mercedem meam augebo *& quid eligam ignoro,* id est, vtrum mortem appetam, an adhuc in carne manere optem. Est autem sic distinguendum. Et quid eligam ignoro, *cum Christo esse, multo magis melius* Cum dixit, multo magis melius esse *dissolui & cum Christo esse* & subdit per manere in carne necessarium: ostendit quid magis eligat, & bonum quidem esse manere hic: sed melius & optimum manere cum Christo. *Et hoc confidens scio, quia manebo,* id est, confidò & credo quia manebo quandiu domino placuerit *& per manebo,* id est, vsque ad perfectionem & corroboratione fidei vestræ manebo *omnibus vobis ad profectum vestrum,* id est, ad vtilitatẽ *& gaudiũ fidei,* id est, vt ego & vos gaudeamus de vestra fide. *vt gratulatio vestra,* id est, vt gaudium vestrum *abundet in Christo Iesu in me per meum aduentum iterum ad vos.* Gratulari, est congaudere, & gratias referre, & est sensus: Vt vos, inquit, gaudeatis de meo aduentu,

& gratias referatis deo, qui vobis me incolumem reddidit liberatum à vinculis. *Tantum*, id est, tantum modo *digne in Euangelio Christi conuersamini*, id est, viuite & perseuerate. Digne in euangelio conuersari, est Christum secundum quod euangelium docet, credere, docere, secundum eius præcepta viuere, & quæ promittit sperare, & ex mandatis eius omnia agere. *vt siue cum venero & videro vos*, subaudis, gaudeam de vestra fide, *quia statis* perseueratis, solidi estis *in vno spiritu*, in vna voluntate. Vnde in actibus Apostolorum Lucas dicit, Multitudinis, inquiens, credentiũ erat cor vnum & anima vna, id est vna voluntas, vna fides. *vnanimes* id est, in vno spiritu, *collaborantes*. id est, simul laborantes in fide euangelij, bene viuendo, rectè credendo & docendo *& in nullo, terreamini*, facto vel negotio. Terreamini dicit, id est paueatis minas & errores hæreticorum, paganorum, falsorum Christianorũ, quia afflictio qua vos tribulant, ad damnationem est illis, & vobis ad præmia æternæ remunerationis *quæ* subaudis afflictio & tribulatio vestra. *Illis est ad damnationem æternam*. Et hoc illis à deo fiet ad damnationem, & vobis ad salutem. Aliter. Hoc (inquit) à deo, subaudis concessum est vobis, vt pro eius nomine talia patiendo perseuerare possitis, vt palmam martyrij obtineatis, quod non concedit nisi amatoribus suis, quos ipse amare se facit *sed vt etiam pro illo patiamini*, id est pro illo patiendo perseuerantiam habeatis, & postea palmam obtineatis. *idem certamen habentes*, id est agonẽ contra hæreticos, paganos. falsósque Christianos. Si necessitas fuerit sustineatis, qualia sustinui apud vos, quando verberatus sum pro muliere phytonissa, à qua spiritum malignitatis excluſi, quæ magnum quæstum præstabat dominis suis.

CAPVT II.

T nunc audistis de me, subaudis quæ sustineo Romæ positus. *implete gaudium meum vt idem*
E *sapiatis*, id est, quod sapimus in fide, in opere, in doctrina, vel vnam voluntatem habeatis, *eandem charitatem habentes vnanimes*, id est vnius voluntatis, *idipsum sentientes*, id est sapientes quod nos sapimus: vel quod intelligitis de fide sanctæ trinitatis, qui sapientiores estis, facite vt vestro studio & prædicatione

dicatione minus capaces idipsum sapiat. *Nihil per cõtentionẽ* Omnẽ hic prohibet cõtentionẽ & voluntariã & necessariam. Contentiosi erant apud Philippenses, qui contendebant de quæstionibus legis, & de genealogiis: hoc ideo, vt dum alios superabant, ipsi glorioſi apparerent *neque per inanem gloriam*, id est vanam *sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes*. Omnes enim debemus nobis meliores & superiores existimare: & si videamus aliquem aliquo vitio mancipatum esse, & tamen aliqua virtute pollere, propter vnam virtutem quam habet, debemus nobis illum præferre: & si non videamus in illo aliquam virtutem, potest tamen habere aliquod bonum quod bonum nos lateat *non quæ sua sunt singuli considerantes*. Non solummodo sua commoda & suam vtilitatem debent quærere, sed aliorum. Vtilitas enim multorum, multis prodest: vnius vero, tantum vni prodest. *Sed & ea quæ aliorum*, id est quæ ad multorum vtilitatem pertinent, quærere debemus. *Fratres, hoc enim sentite in vobis*, hoc est, intelligite & sapite & complete in vobis, quod intelligitis in Christo esse completum *quod & in Christo Iesu*, id est sicut Christus non quæsiuit sua, sed nostra, ita nos non solummodo nostra quæramus, sed aliorum, *qui cum in forma dei esset*, id est in æqualitate paternæ diuinitatis, consubstantialis & coæqualis in omnibus illi, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo* Rapina est, quando quilibet homo alienam rem per violentiam sibi vsurpat, quæ illi non competit. Et dominus Iesus rapinam non fecerat, quando dixit se parem esse deo patri & æqualem, dicendo, Ego & *Ioan. 10.* pater vnum sumus: Nisi in veritate esset filius dei, æqualis *Ioan. 1.* illi non esset in omnibus. Præcursor vero illius quando dixit, Non sum Christus, interrogatus à scribis & pharisæis *Actu. 6.* & populo, si dixisset, Ego sum Christus, rapinam faceret, Simon ergo magus rapinam fecit, quando cum esset filius diaboli, dixit. Ego sum filius dei, ego sum paracletus, ego sum homo dei *sed semetipsum exinaniuit*, id est humiliauit, & quasi contraxit & minorauit. Exinanitio est, quando res magna & incomprehensibilis, in parua formula comprehenditur. Verbi gratia: Si quilibet artifex totius mundi machinã, & quæ in mũdo habentur, homines, bestias, volucres, mõtes, arbores, ciuitates, flumina, pisces, in paruissi-

ma formula ad comparationem magnitudinis mundi voluerit comprehendere in pictura vel cera, illud est exinanitio. Similiter verbum dei patris, quod vbiq; est per inuisibilitatem diuinitatis suæ, quando in parua forma hominis dignatus est apparere visibilis, quasi semetipsum exinaniuit & humiliauit, atq; (vt ita dicam) quodammodo contraxit. Est enim supra omnia, extra omnia, infra omnia, & quicquid est, intra ipsum est. Verbi gratia. sicut beatus Augustinus dicit, dans similitudinem ex spongia & mari, cõparans mundum spongiæ positæ in medio maris, & comparans mare diuinitati: Sicut (inquit) spõgia posita in medio maris & fluminum, vndique habet aquam, supra, infra, vndique, & per medias latebras penetratur, ita mundus comparatione diuinitatis quasi nihil est, & ita circundat & penetrat diuinitatis omnia, sicut mare spongiam *formam serui accipiens*, id est in veritate hominem suscipiens, *in similitudinem hominum factus*. Hic similitudo pro ipsa veritate ponitur: id est, verus homo factus, quia verbum caro factum est, id est, deus homo factus est, *& habitu inuentus vt homo*, Multis modis habitum dicimus. Est autem habitus accidens nobis, qui mutat illum cui accidit, sed non mutatur: sicut est sapientia, quæ mutat hominem, quem de stulto vel stolido facit esse sapientem, sed ipsa nõ mutatur. Est habitus secundo modo qui mutat hominem & mutatur, sicut est cibus, qui de exilitate atque languore mutat nos in robur & valetudinem, & ipse quoque mutatur comestus à nobis. Est habitus tertio modo, qui nec mutat nec mutatur, sicuti annulus positus in digito, qui modus rarissime inuenitur. Quartus modus est, cum ea quæ accidunt, nec mutant, nec mutãtur, sed tamen aliã speciem & formam accipiunt, sicut vestis quæ aliam speciem habet complexa siue complicata, quàm induta. Qui modus congruit huic comparationi. Nam sicut vestis cum induitur, adhæret quidem corpori, sed non mutatur à sua natura, vt semper vestis non permaneat, licet aliam speciẽ & maiorẽ honorem assumat, quàm antea habuisset: ita verbũ dei patris assumendo hominẽ, non est mutatus in hominem, neq; ipse homo assumptus à verbo, mutatus est in verbo, licet aliã specie assumpsisset in hoc, quia maioris honoris & dignitatis extitit quàm aliquis hominũ, quia speciosus

Ioan. 1.

Psal. 44.

fuit forma præ filiis hominũ *humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem* factus obediens deo patri, cuius voluntas fuit vt redimeret genus humanum, & non solum patri, verumetiam & matri, vt in euangelio habetur, quia venit Nazareth, & erat subditus illis *mortem autem crucis*, Ideo crucifixerunt eum, quia omnibus mortibus seuerior est mors crucis, propter longum cruciatum. Si enim gladio transuerberassent eum, cito finiretur: vel sic placuit ei, vt quia per lignum peccauit homo, per lignum redimeretur. *Propter quod* subaudis tormentum, vel propterea quia obediens fuit deo patri, *deus* pater *exaltauit illum* hominem assumptum à verbo, tertia die à mortuis suscitando, & quadragesimo die ad cælos subleuando, vel supra omnia constituendo, & donauit illi nomen, *quod est super omne nomen*, Quod nomen dedit illi? Vt filius dei vocaretur & esset, qui filius hominis erat, secundum quod in die baptismatis innotuit paterna vox, inquiens: Hic est filius meus dilectus, Similiter in monte. Vel etiam nomen dedit illi quod est super omne nomen, vt Iesus vocaretur, id est saluator. Licet enim legamus homines in Genesi, & angelos in libro beati Iob, filios dei appellatos esse, tamen nullus illorum appellatus est saluator, neque filius dei proprie, sed abusiue, quia nemo illorũ potuit gen⁹ humanũ saluare, nisi ille solus, *vt in nomine Iesu*. i. in inuocatione nominis Iesu *omne genu flectatur*. i. omnia genera hominũ subiecta sint ei cælestiũ. i. angelicarũ virtutũ *terrestriũ*. i. hominũ & creaturarũ *& infernorũ*, id est dæmonũ & animarũ quæ in inferno habitãt. Aliter: Omnia cælestia & omnia sub terris, quæ in inferno esse dicũtur, eius iudicio & nutui & imperio seruiũt *& omnis lingua cõfiteatur*. i. omnis homo cõfiteatur *quia dominus Iesus in gloria est dei patris* in æqualitate potestatis & natura diuinitatis. *Itaque charissimi mei in fide* & dilectione *sicut semper obedistis* subaudis domino & mihi *non in præsentia mea tantum*, id est sicut semper obedientes fuistis in præsentia mea, cum apud vos essem *sed multo magis obedite nunc* verbis nostris *in absentia*. Multi sunt enim qui in præsentia obedientes sunt, & in absentia inobedientes existunt, sicut serui qui ad oculum seruiunt *cum metu* subaudis cordis. *Et tumore* subaudis corporis. *Vestram salutem operamini*, id est, vitam æternam præparate vobis.

Deus est enim qui in vobis operatur. Ne videretur Deum à nostra salute excludere, quasi sine dei auxilio saluari possumus, subiúxit. Deus est enim qui in vobis operatur. Omne ergo bonum quod habemus, tam bona voluntas, quam bona operatio, non est à nobis, sed à deo. Sed quæstio est. Si ipse dat voluntatem, & posibilitatem, qua mercede digni sumus? Præuenit nos siquidem gratia dei & misericordia, & nos debemus obedire voluntati illius, & ipse postmodum dat posibilitatem. Debemus ergo nos optemperando obsecundare ei, & dum iungimus voluntatem nostram & obsequium voluntati & posibilitati illius, laudãdus est ille qui præuenit, & qui posibilitatem præstat atque perseuerantiam, vt nos digni simus mercede æterna *& velle*, id est bonam voluntatem habere *& perficere pro bona voluntate*, id est vt semper quod bonum est, velimus. *Omnia autem facite sine murmurationibus*, subaudis bona, quæ euangelium præcipit, sine murmurationibus, id est ne dicatis, Grauia nimium sunt quæ deus præcipit, *sine hæsitationibus*, id est dubitationibus, id est ne dubitetis in fide, nec de his quæ euangelium promittit. *Et sitis sine querela*, id est sine reprehensione *& simplices sicut filij dei.* Sicut deus simplex est, ita filij eius puro & simplici corde debent incedere *sine reprehẽsione*, id est sine crimine *in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis.* Quãdo Apostolus ista scribebat Philippensibus, necdũ adhuc renati omnes erant neq; fideles, sed multi erãt infideles & hæretici falsiq; Christiani. Inter quos omnes lucetis. Optabat Apostolus ita illos qui fideles erãt viuere, vt sicut sol fugat tenebras, & luna cæteráq; sidera illuminãt noctẽ, ita illi lucẽdo fide, opere, & doctrina, tenebras erroris & nebulas infidelitatis suo exẽplo & doctrina de cordibus infideliũ fugarent *sicut luminaria solis* luna, & cætera astra in mundo *vel in hac vita, verbum vitæ continentes*, id est fidem rectam qua viuit iustus, vel illius verbi memoriã, de quo dicitur, In principio erat verbum, *ad gloriam meam in die Christi* quia vobis præmiũ erit, si ita vixeritis: & mihi gloria in die iudicij, qui verbum vitæ vobis ministraui *quia non in vacuum cucurri* subaudis de loco ad locum prædicando *neque in vacuum laborani* corporeæ linguæ instantia. Et hoc ad gloriam meam. *Sed etsi immolor*, id est interficior à Nerone. Nero ipse fuit sacerdos Petri & Pauli: quia ipse mactauit eos: mactauit quidem, sed non obtulit, quia ipsi seipsos obtulerunt, *supra sacrificium. Gaudeo* quia vos obtuli sacrificium deo *& super obsequium fidei vestræ* & supracultum fidei & religionis, quem vos docui. Beatus Paulus qui Philippenses ab infidelitate liberauit, & in baptismate à peccatis pargando sanctificauit, ipse vtique obtulit eos, & sactificium eius ipsi fuerunt. Obsequium etiam appellat cultum & religionem, vt alibi: Rationabile sit obsequium vestrum, & est sensus. Etsi (inquit) interficior à Nerone, non sentio pœnas, neque pertimesco mortem, congaudens omnibus vobis, propterea quia vos sacrificium obtuli deo, & quia vos docui religionem fidei. *Idipsum autem & vos gaudete*, id est, sicut ego gaudeo de vestra fide, ita & vos congaudete de meo præmio quod percepturus sum pro vobis. *Spero autem in domino Iesu Christo Timotheum, &c.* Timotheus erat discipulus Apostoli, omni fide atque doctrina atque operibus bonis adornatus, & per hoc Apostolo ad modum charus, intantum vt vnanimis dicatur esse illi, id est, vnius voluntatis. Habebat tamen & alios eodem affectu diligentes, vt erat Titius, Lucas, Clemens, & alij; sed quando hanc epistolam misit illis, non habebat secum de perfectioribus nisi istum: omnes enim erant causa prædicationis dispersi per diuersa loca, ideóque dicit neminem habere se in præsenti tam vnanimẽ. Vel poterat esse vt Timotheus plus omnibus discipulis eius Philippẽses diligeret, *cito*, id est in proximo *me mittere ad vos, vt & ego bono animo sim*, id est tranquillo & securo animo sim *cognitis quæ circa vos sunt*, id est dum cognouero per illum quę circa vos aguntur, tam in fide quã in conuersatione *Neminẽ enim habeo* subaudis, modo apud me *qui syncera*, id est pura & firma *affectione pro vobis solicitus sit.* Et ea voluntas quæ erat in Apostolo erga Philippenses, erat & in Timotheo, ideo dicit: Neminem habeo tam vnanimẽ, id est qui eandem mentem gerat erga vos, & pro vobis ita solicitus sit, ideóq; ille mittendus est qui & mihi est charissimus: & curam de vobis maximã gerit. *Omnes enim quæ sua sunt*, subaudis commoda *quærunt, non quæ* sunt *Iesu* Christi, modo ostendit quare alij qui cum illo erant, non erant ei ita coniuncti, sicut iste. Omnes enim sua commoda quærunt aut quietem, nolentes tribulari pro aliorum salu-

te, nisi vt ab eis lucra temporalia recipiant, non curantes de remuneratione æterna. *Experimentum*, id est probamen tum *eius cognoscite, quia sicut patri filius mecum seruiuit in euangelio.* Non mihi (inquit) seruiuit, sed mecum seruiuit Christo in euangelij prædicatione, & seruiuit tamé & beato Apostolo. *Hunc ego spero me mittere ad vos, mox vt videro quæ circa me sunt* Positus Apostolus in vinculis, dubitabat vtrum decollandus esset à Nerone, aut dimittendus liber de carcere, ideóque dixit, Cum cognouero (inquiens) quid mihi euenerit, si de carcere incolumis exiero: mittam eum ad vos. *Confido autem in domino, quoniam & ipse cito veniam ad vos.* Sciendum tamen, quia postmodum ipse non venit ad eos *Necessarium autem existimavi Epaphroditum mittere ad vos.* Quia Timotheum non possum mittere quousque cognoscam quæ circa me sunt, puto necessarium esse vobis mittere Epaphroditum: qui Epaphras appellatur alio loco, sicut Lucius Lucas. Apostolus enim nó curabat de proprietate nominum *cooperatorem*, id est, simul laborantem in prædicatione & socium siue *Commilitonem* in castris dei pro fide, *vestrum autem Apostolum*, vel qui ad vos à me mittitur, vel quem vos de vestris elegistis in Apostolum, mittendo illum ad me *& ministrum necessitatis meæ &* desiderij, qui mihi iam posito in carcere ministrat quæ necessaria sunt, & insuper prædicationi insistit. Apostolum autem illum vocat, quia ab illo missus est. Omnis enim qui mittitur, Apostolus vocatur. *Propterea quòd audierat is illum infirmatum, nam & infirmatus est vsque ad mortem, sed deus misertus est eius.* Subaudis, quia reuocauit eum de faucibus mortis ad vitam. *Non solum autem eius*, subaudis misertus est, *verum etiam mei*, misertus est. Quare? *ne tristitia* mortis eius *super tristitiam* infirmitatis eius *haberem.* Beatus Apostolus dolebat de infirmitate Epaphroditi: sed si ille ab hac luce migrasset, super tristitiam infirmitatis haberet tristitiam mortis eius, Vel quia ipse in vinculis astrictus tenebatur, si contigisset Epaphroditum mori, qui ei necessaria procurabat, super tristitiam vinculorum habere tristitiam de morte illius; *Vt viso eo iterum gaudeatis.* Gaudium Apostoli, gaudium erat Philippensium sicut tristitia eius tristitia illorum, similiter tristitia Philippensium tristitia erat Apostoli: & lætitia illorum, lætitia illius: sicut ipse

ipse dixerat, Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus *& ego sine tristitia sim* subaudis, cum cognouero vos lætificatos illius præsentia: & cum per illum agnouero quę circa vos aguntur. *Excipite itaque illum cum gaudio in domino & eiusmodi cũ honore habetote*, id est, non solũ qui vester Apostolus est, cum gaudio spirituali suscipite, sed omnes qui eandem fidem habent, & bonis operibus insistunt, sicut ille. *quonium propter opus Christi vsque ad mortem accessit*, id est, propter charitatem & prædicationem euangelij accessit, subaudis prædicando, & mihi ministrando cõtra iussa principum: *tradens animam suam* subaudis periculo mortis. *Vt impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.* Philippenses qui ab Apostolo verbum prędicationis audierũt, propter quod saluati sunt, si facultas ei affuisset, & longitudo terræ non obstitisset, ipsi debuerant ei omnia subsidia temporalia præbere & ministrare. Quod ergo illi implere nequiuerunt, solus Epaphroditus vice illorum contra præcepta imperatoris adhesit illi in carcere, & procurauit illi victum & vestimentum, & insuper socius fuit prædicationis. Hic ergo tradidit animam suam periculo mortis, quia contra præceptum imperatoris accessit ad illum, vt diximus, & in hoc quòd ei ministrauit, impleuit quod eis deerat, quia quod illi debuerant agere, ipse fecit, sicut Apostolus declarat: Vt impleret quod ex vobis deerat, id est, quod vos non poteratis implere impediente longitudine terrarum, ipse pro vobis impleuit.

CAPVT III.

De cætero, id est, deinceps, & præter illa quæ superius dicta sunt *fratres mei in fide gaudete in domino* non in rebus temporalibus & terrenis atque caducis. *eadem vobis*, id est, ea quę docui præsens, quia vobis & mihi est necessariũ *me non piget scribere* sed videte ne vobis pigrum sit ea legere & implere. *Videte canes*, id est cauete & declinate. Canes appellat Iudæos *& malos operarios* eosdem appellat circuncisionem, quia consuetudoeius est Iudæos appellare circuncisionem, & gentiles præputium. Ideo ergo appellat eos canes, quia sicut canis latrat ac deinde mordet, ita illi loquendo obla-

Universidad de Deusto Biblioteca

trabant, & seducendo aspere mordebant. Mali operarij erant, quia male suadebant eis operari, dicentes. Non potestis saluari per baptismum nisi circuncidamini, sicut lex præcipit, quia scriptum est, Masculus cuius caro circuncisa non fuerit, peribit anima illius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit in Adam. *Nos enim sumus circuncisio.* Nos, id est, omnes recte credẽtes sumus spiritualiter circuncisi *qui spiritu deo seruimus,* id est spiritualiter, & non carnaliter: vel etiam qui mente deo seruimus, sicut in euangelio habetur, spiritus est deus, & eos qui adorant eum, in spiritu, id est in mente oportet adorare *& gloriamur in Christo Iesu,* id est in fide Iesu Christi, & *non in carne fiduciam habentes,* id est carnali circuncisione, quia nos habemus omnes sensus corporis circuncisos *quanquam ego habeam confidentiam in carne,* id est habere possem in carnali circuncisione si aliqua ibi esset fiducia. *Si quis autem alius* subaudis vestrum gentilium. *Videtur confidere in carne, ego magis.* Diceret aliquis. Non est circuncisus, neque iussus circuncidi: ideo talia pręcipis. Ad hęc ille. Non ideo, inquit, talia præcipio, id est, ideo præcipio non circuncidi, quasi ego non sim circuncisus, & possim in gloria mea confidere plus quàm aliquis vestrum gentilium si esset in eo aliqua fiducia & iustitia postquam Christus venit, sed quia non est ibi aliqua gloriatio: nolo vt circuncidamini à Iudæis. *Ex genere Israel* subaudis natus sum *de tribu Beniamin* quod nemo vestrum est. *Hebræus ex hebræis,*
Eze. 1. subaudis natus de tribu Beniamin *secundum legem pharisæus,* id est, doctor legis Mosaicæ *secundum æmulationem persequens ecclesiam dei.* Fui, inquit, doctor legis & propter studium & amorem synagogæ, quam volebam statuere, persequebar ecclesiam dei, Aemulus dicitur inuidus, & imitator, & studiosus, sed in hoc loco pro studioso ponitur. Beatus ergo Apostolus studiosus æmulator fuit in lege, volens synagogam statuere, & ecclesiam dei destruere persequendo sanctos. *Secundum illam iustitiam quæ in lege est.* Si aliqua iustitia modo in lege est *conuersatus sum,* subaudis, vixi sine crimine & sine reprehensione, vt mihi visum est & aliis: quia circuncisus sum octauo die, & quadragesimo die pro me legalia munera sunt oblata, & festiuitates, & *sabbatha obseruaui, & cætera omnia quæ lex præpit, Sed quæ*

mihi fuerunt lucra hoc est quæ putabam quòd mihi præstarent magnum quæstum & præmiũ, hæc omnia intellexi mihi futura ad damnum, si ea carnaliter obseruarem *propter Christum.* i. postquam in Christum credidi, vel propter fidẽ illius quam teneo, credo omnia illa ad damnum & dispendium esse illorum qui ea obseruauerint, & propter hoc euangelium Christi, secũdum cuius doctrinam debemus viuere, quod supereminet atque transcendit sua dignitate & veritate omnem scripturam diuinorum eloquiorum. *Veruntamen existimo omnia* subaudis legalia præcepta *detrimentum,* id est, damnum *esse* suis auditoribus *propter eminentem scientiam,* id est, propter euangelium. *propter quem,* id est, propter Christum vel propter fidem eius *omnia* quæ lex præcipit carnaliter obseruare, quasi damnum duxi, & pro nihilo deputo, vt Christum mihi lucrer, & acquiram, *& inueniar in illo,* id est, in fide eius perfectus *non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed illam quæ est ex fide Iesu Christi.* Iustitia quæ in lege erat, iustitia hominis dicebatur, quia manibus operabatur, videlicet in circuncisione & oblatione munerum. Istam iustitiam respuebat Apostolus, & nolebat eam amplius habere, sed potius desiderabat inueniri in iustiutia fidei & euangelij, quæ non est hominis iustitia, sed dei, quia spiritaliter in baptismate fit & in mente *quæ ex deo est iustitia* subaudis dico *in fide ad cognoscendum illum* quia per fidem quæ bonis operibus adornatur, cognoscitur deus, *resurrectionis eius virtutem,* subaudis cognoscendã. Quæ est virtus resurrectionis? Vt sicut Christus mortuus est & resurrexit, & iam non moritur, ita & nos moriamur in fonte baptismatis peccato: & resurgamus ad vitam, & semper in nouitate vitæ ambulemus. Et hæc virtus per fidem cognoscitur, & per fidem eius peruenitur ad societatem passionum Christi: quia nisi fidem haberemus, nequaquam passionem eius imitaremur. Debemus autem imitari illam ponendo animas nostras pro illo, si necessitas fuerit, vel etiam in nobisipsis debemus mortificare vitia & peccata *configuratus sum morti eius,* id est, imitator sum mortis eius & passionis illius *si quo modo,* id est, si aliquo modo *occurram ad resurrectionem,* subaudis electorum. Ista resurrectio non erit omnium resurgentium, sed tantũmodo electorum, quia licet omnes in momento resurgant

1.*Thes.*2. *Matt.*25. iusti & impij in die iudicij, soli tamen iusti occurrent domino in aera deportandi ab angelis, sicut alibi idem Apostolus ait. Rapiemur obuiam Christo in aera. Impij verò manebunt in terra quousque percipient illam terribilem sententiam iudicis, Ite maledicti in ignem æternum, *quæ est*, id est quæ futura est ex *mortuis* in die iudicij *non quod iam acceperim*. i. non ideo talia dico de resurrectione quod iam perfectionem acceperim: quia non sum adhuc perfectus, aut etiam iustificatus perfectus sim. Quantũ ad sapientiam illam pertinet, quæ mortalibus hominibus datur, B. Apostolus sapientissimus omniũ hominũ erat qui tunc tẽporis in carne morabãtur: quantum verò ad illã perfectionẽ pertinet quã recepturi sunt sancti post generalẽ resurrectionẽ, perfectissimus non erat, quia nunc videmus in enigmate, tunc autem facie ad faciẽ, quia videbimus deum sicuti est.

1.*Cor.*14. *Sequar autem*. i. imitabor Christũ *si quomodo comprehendam*, subaudis perfectionẽ *in quo & comprehensus sum*. Omnes electi prædestinati ad vitam æternam in passione domini sunt comprehensi, quia per illam sunt redempti non solum qui post resurrectionem eius saluandi erant & purgãdi per baptismum, sed etiam omnes iusti qui præcesserũt eius aduentum. Sed dicet aliquis. Si ego comprehensus sum in passione eius, id est, redemptus, & baptismate purgatus, quare non habeo modo in præsenti perfectionem fidei, sapientiæ atque iustitiæ? Cui respondendum est, quia baptismi renouationem polluisti male viuendo, nõ poteris illam perfectionem obtinere quousque iterũ mundatus per pœnitentiam venias ad illum qui te in baptismate mundauit. *Fratres ego non arbitror comprehendisse*, subaudis perfectionẽ, quia in præsenti seculo non possumus esse perfecti. *Vnam autem* subaudis, verbum dicam *quæ quidem retro sunt obliuiscens*. Quæ sunt illa quæ retro sunt? Omnia temporalia & transitoria, prædia, diuitiæ, & commoda præsentis vitæ. Quæ ideo dicuntur esse retro, quia cum ab hac vita tranlierimus per mortem carnis, omnia post nos relinquemus *ad ea quæ sunt priora extendens me*. Quæ sunt priora? Præmia & gaudia patriæ cælestis, quæ nobis futura sunt, & sine fide mansura. Aliter beatus Apostolus omnia bona quæ in hoc seculo habebat perfecta, ad comparationem æternorum pro nihilo deputabat, & sic quotidie viuebat, quasi semper insipiens

insipiens, ideóque dixit. Obliuiscor præteritorum, desiderans semper ad alia tendere. *Ad destinatum prosequor*, id est, ad promissum tendo *ad brauium*, id est, ad coronam *supernæ remunerationis in Christo Iesu*, id est, per Christum Iesum. *Quicunque ergo perfecti sumus* ad comparationem aliorum *hoc sentiamus* subaudis, quia non sumus perfecti. Quicunque sumus perfecti, id est, qui perfecti arbitramur esse ad comparationem fidelium & minus intelligentium, hoc sapiamus, quia non sumus perfecti ad illam comparationem quam percepturi sumus in die iudicij. *Etsi quid aliud sentitis vel sapitis* de hoc quod diximus, & hoc non ex vobis, sed *deus illud manifestauit*. Beatus Beda loquẽs quodam loco ex dictis Apostoli ait: Vnusquisque in suo sensu abundet, & si aliud quid sapitis, & hoc vobis deus reuelauit. Quid ergo si hæreticus est, debet in suo sensu abundare? Minime, Non de hæretico loquor, sed de Christiano. Vnusquisque, inquit, fidelis in suo sensu abundet, id est, quod credit, opere impleat, studeátque abundare virtutibus: & si quid aliud sapit quod contra fidem sit, propter bona opera quæ habet, reuelabit illi deus, vt illud corrigat, sicut fecit Cypriano Carthaginensi episcopo, qui vnã mersionem tantummodo dabat baptizandis, ignoranter hoc agens. Sed quia bonis operibus inseruiebat, & quod intelligebat, opere implebat, meruit reuelationem percipere à domino, vt trinam mersionem daret baptizandis. *Ad quod peruenimus*. i. in fide, ad quã perueni ego docẽte domino, & vos me prædicante *in ea maneamus* ambulantes de virtute in virtutem *vt idem sapiamus* subaudis de Christo, id est, vnam fidem habeamus *& permaneamus in regula*, id est, in rectitudine fidei. *Fratres imitatores mei estote*. Imitatio est cuiusque rei quædam cognitio, imitari est sequi. & est sensus: Si Christum non potestis imitari & sequi, saltem me imitamini discipulũ eius in fide, in opere, in doctrina: vt sicut ego credo, operor, doceo, ita & vos credatis, operemini, doceatis, *& obseruate eos*. Hoc verbum quod est obseruate, varias habet significationes. Aliquando significat declinare & cauere, vt ibi, Obseruate eos qui dissensiones & offendicula faciũt, id est declinate ab eis. Aliquando insidias moliri, vt ibi: Et ipsi obseruabant, id est, insidias tendebant. Aliquando imitari, vt hic, obseruate, id est, imita-

mini tales qui formam doctrinæ nostræ habẽt, qui ita credunt, viuunt & docent *qui ita ambulant* id est, qui ita viuunt sicut & ego. *sicut habetis formam nostram* id est, formam doctrinæ nostræ *Multi enim ambulant*, id est, non recte viuunt, sicut pseudoapostoli, *quos sæpe dicebam vobis* id est, quos sæpe prædicabam vobis cauendos esse, cum apud vos essem præsens, *nunc autem & flens dico* Imitanda est charitas Apostoli, qui etiam inimicos crucis Christi deflebat: Sicut Samuel inimicum suum Saul: & sicut idem Apostolus Corinthios alibi, qui post fornicationem non egerunt pœnitentiam, *inimicos crucis Christi flens dico* vt declinetis ab illis *quorum finis* id est, mors præsentis vitæ, *interitus* est illis, id est, perditio æterna: quia vt ab hac vita transierint, tradentur pœnis sempiternis. Inimicos crucis Christi appellat Iudæos & alios infideles, qui dicebant nõ posse hominem saluari per fidem dominicæ passionis sine circuncisione *quorum deus venter est*, subaudis ab illis declinare. Quorum deus venter est, Illorum qui ideo prædicant, vt ventrem suum possint implere, *& gloria in confusione ipsorum* id est, in verecundo & pudendo membro genitali, quia gloriantur se circuncisos esse *qui terrena sapiunt*, id est qui legem non spiritaliter sed terrene intelligunt, vel qui carnalem circuncisionem in se & in aliis obseruare volunt. *Nostra autem conuersatio in cælis est.* Iungit se cæteris sanctis, qui terram corpore, cælum vero mente inhabitant. *Vnde* id est, de cælis, *etiam saluatorem expectamus* subaudis venturum ad iudicium, *qui reformabit* id est, renouando formabit *corpus humilitatis nostræ* Corpus nostrum, corpus humilitatis est, quod per mortem in puluerem & vermes humiliari potest. Istud corpus primum formauit in vtero materno, sed iterum reformabit illud per gloriam resurrectionis, *configuratum* id est: assimilatum corpori claritatis suæ, id est, in gloria & immortalitate: quia illam claritatem habebũt corpora sanctorum post diem iudicij, quam habuit corpus Christi clarificatum in monte, quia similes angelis erimus, Et poterat aliquis dicere, Quomodo poterit corpora nostra reformare, quæ à vermibus erunt corrupta, & in puluerem redacta? Ad hæc beatus Apostolus *secundum* illam (inquit) potestatem qua semetipsum tertia die resuscitauit, & qua sibi potuit omnia subiicere,

subiicere, corpora etiam nostra in die iudicij reformabit ad claritatem suam *secundum operationem qua possit.* id est potest vel potuit *subiicere sibi omnia,*

CAPVT IIII.

ITaque *fratres mei* in fide *charissimi* in dilectione *& desideratissimi* opere vel affectu *gaudium meum* subaudis in præsenti, *& corona mea* subaudis in futuro, quia vos deo acquisiui *sic state*, id est sic perseuerate in fide, in opere, in doctrina, sicut à me audistis & vidistis *Euchodiam rogo & Syntychem deprecor, idipsum sapere in domino* subaudis quod nos sapimus, ego aliique fideles, qui ita sapiunt & credunt perfecte, sicut & ego. Sapientes & religiosæ mulieres erant apud Philippẽses quæ predicabant domi in suo sexu, paruulos etiam & paruulas docebant, non tamẽ in ecclesia, quia idem Apost. hoc precipit, vt mulieres in ecclesia taceant. *Et te Germane compar* Germanus comes erat ipsius in fide, in officio prædicationis, & tamẽ diues: ideoque præcepit, vt ipse qui abundabat opibus, vel etiam in prædicatione, adiuuaret illas. Compar, comes in fide & officio. *adiuua illas* subaudis supra memoratas *quæ mecum laborauerunt* subaudis, docẽtes in suo sexu *cũ clemẽte* Clemẽs philsophus fuit, sed postea discipulus Apostolorum Petri & Pauli factus, præfuit ecclesiæ. Romæ, præsul, & pro Christi nomine in mare est præcipitatus *& cæteris adiutoribus meis.* Ne Philippenses dure acciperent quòd illorum nomina in hac epistola non continerentur, ideo subiunxit: Et cæteris adiutoribꝰ meis, *quorum nomina sunt in libro vitæ* & est sensus. O Philippenses, nolite grauiter ferre quod omnes vos in epistola mea nominaui, quoniam & si in mea epistola non estis scripti, in libro tamen vitæ continemini, quia mei adiutores estis. Iste est liber vitæ, de quo dominus dicit. Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælis, id est, in libro vitæ, id est, in memoria omnipotentis dei *Gaudete in domino semper* Vos qui non gaudetis in temporalibus rebus, negotiis terrenis, caducis & transitoriis, gaudete in domino, in fide, in ore, in opere, mente, & corpore *modestia*, id est, mãsuetudo & humilitas *vestra, nota sit omnibus hominibus* si-

delibus,hæreticis falsisque fratribus. Fidelibus nota sit, vt vestro exemplo corroborentur in omni bonitate,imitatores vestri facti,vt vos mercedem recipiatis. Infidelibus nota sit,vt videntes vestram religionem & bonam conuersationem,non possint infamare vestram fidem,& nomen domini saluatoris,sed potius vestro exemplo reuocentur ab errore. *Dominus prope est* omnibus videlicet qui recte credunt,iuste viuunt, bene docent, & cor immaculatum habent. vel prope est,vt vos ab hac vita abstrahat per mortem carnis: Vel prope est,vt ad iudicium veniat, *& nihil solicite sitis* de mundanis terrenisque rebus. Solicitudo est superflua cura. Sed iusti non debent superfluam curam habere de rebus transitoriis,sed in domino omnem spem ponere,iuxta quod Psalmista ait,Iacta in domino curam tuã, & ipse te enutriet. *sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione.* Oratio est pro præteritis excessibus & delictis,obsecratio pro adipiscendis futuris,gratiarũ actio pro collatis beneficiis. Ideo debem⁹ omnipotenti deo gratias referre pro beneficiis collatis,vt cum de perceptis muneribus non inueniamur ingrati,de perciendis non iudicemur indigni. *Petitiones vestræ innotescant apud deum.* Nolite(inquit) superfluam curam assumere pro temporalibus rebus,sed petitiones vestræ innotescant apud deum, id est, notæ fiant deo per ministerium angelorum. Si ergo omnipotens deus omnia non solum præterita & præsentia,sed etiam futura cognoscit,& non solum opera,sed etiam cogitationes discernit,& totus vbisque est,quid necesse est vt per ministerium angelorum renuntiẽtur ei quæ agimus? Non ergo ideo illi nuntiãt,quod illum aliquid lateat,iuxta quod Salomõ ait: Tu solus nosti corda filiorũ hominum,sed vt officiũ & ministerium suũ adimpleant,quia nuntij sunt *Et pax dei quæ exuperat omnẽ sensum* Exuperat, id est,transcẽdit omnem sensum & angelorũ & hominum, nõ tamen dei. De qua pace loquitur? Qua recõciliati sumus deo per passionẽ filij eius. Ante aduẽtum quidẽ domini lõge eramus à deo,& discordes eramus tam deo quã angelis: sed per passionẽ filij dei recõciliati sumus deo. Ista recõciliatio necesse est vt semper nos custodiat. Exuperat autem omnẽ sensum præter sensum domini,quia nemo angelorũ nemo hominũ potes penetrare mysteriũ passionis filij dei &

& nostrę recõciliationis,& quãta fuerit charitas in illo: quia cum deus esset,pro nobis homo fieri dignatus est *custodiat corda vestra & intelligentias vestras* Cor & intellectus pro vno est accipiendum *in Christo Iesu*, id est per Iesum Christum,vel in fide Iesu Christi *De cætero fratres* prẽter illa superius memorata, *quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia*, id est, omnia quæ in euangelio habentur,cogitate, & cogitando opere implete quia illa sunt vera. Omnia vera sunt pudica & casta,quia ab omni mẽdacio sunt inuiolata & incorrupta. Illa sunt iusta & sancta,quæ sanctitatẽ & iustitiã docẽt *quæcunque sunt bonæ famæ*, id est,quæ bonam famam nos faciunt habere,omnia ista cogitate & perficite, *si qui virtus* subaudis fidei,operationis,doctrinæ,& vnde laudari deus potes,illa deo applicate, non vestris meritis, *quæ audistis* subaudis per literas nostras,vel à meipso & vidistis. *in opere* & deus pacis erit vobiscum. hoc est, deus qui est pater pacis,id est domini nostri Iesu Christi,qui est pax nostra,qui fecit vtraque vnum, *Gauisus sum autem in domino vehementer quoniam tandem aliquando.* In principio prædicationis Apostoli,quando Philippenses crediderunt, maximam humanitatem præbuerunt ei ministrantes ei læto animo quæ necessaria erant: sed cum cœpissent persecutionem pati à suis ciuibus infidelibus, & tribulari à persecutoribus,cessauerunt à ministratione. neque enim poterant in seditione ac persecutione positi, officium charitatis ita implere. sicut tempore pacis. Cum vero reddita esset illis trãquillitas domino suffragante,reuersi sunt ad pristinam conuersationem,cœperúntque ministrare Apostolo aliisque sanctis quæ necessaria erant. Quapropter congaudet Apostolus illorum bonitati,& dicit. Gauisus sum(inquiẽs) valde: quoniam tandem,id est,ad vltimum, aut vix aliquãdo *reflоruistis*, id est,florem virtutum protulistis,reuersi ad priorem conuersationem & consuetudinem. Floruistis id est,florem bonæ operationis protulistis,id est,affectũ dilectionis erga me exhibere cœpistis sicut ante exhibebatis. *Occupatis autem eratis* subaudis, in persecutione ciuium, Excusat eos modo dicens: Indulgeo vobis si ad tempus illud omisistis,quia detenti eratis in persecutione inimicorum. *Non quasi propter penuriam*, id est, indigentiam *hoc*

dico. Ego enim didici in quibus sufficiens essem, id est, ego scio in quibus possum sufficientiam habere, quia scio indigẽtiam patienter ferre, & abundantiam cum temperantia disponere. Multi sunt qui positi in paupertate, nesciunt eam patienter ferre: & sunt multi qui positi in abundantia nesciũt temperantiam habere, sed comedunt & bibunt vltra modum, & vtuntur his quibus abundant, intemperate; à quorum numero erat Apostolus alienus *Scio humiliari*, id est, scio penuriam patienter sustinere, *Scio & abundare*, id est in abundantia temperans esse, ne corrũpat ab ea. *In omnibus instítutus sum: & satiari*, id est, abundare *& esurire*, id est, penuriam pati *omnia possum in eo qui me confortat*, Ne videretur sibimetipsi tribuere hoc, quasi suis viribus potuisset in penuria patiens esse, & in abundantia temperans: ait. Omnia autem ista in eo possum implere qui me confortat, id est, in Christo, qui mihi possibilitatem tribuit. *Verumtamen bene feciſtis communicantes tribulationi meæ*, id est, quanuis ego nullo indigeam, bene feciſtis vos, charitatis officiũ in me adimplentes: compatiendo passionibus meis: & mittendo mihi quæ erant necessaria. *Scio autem & c.* vsque, profectus sum à macedonia. Macedonia, prouincia est Græcorum, dicta à Macedone: & Thessalonica ciuitas est à Thessalo rege dicta. In hoc ergo quod laudat Philippenses qui ei necessaria miserunt, vituperabat alios qui ei nullum obsequium præbuerunt. *in ratione dati & accepti.* Quicquid accipitur vel datur, ratio inde potest esse. Rõ dati est, quia scit dator quid dat, aut quantum dat, aut cui dat, vtrum aurum, an vestimentum det, libram auri, aut equum. Ratio accepti est, quia scit ille qui accipit metallũ aliquod aut vestimentum, quantum accipit, & à quo accipit: & est sensus. Ex omnibus de quibus potest esse ratio dati & accepti, non ministrauerunt mihi, quia ipsi nihil dederunt, & ego nihil accepi, *non quæro datum* subaudis tantummodo *sed quæro fructum*, id est, beneuolentiam & benignitatem animi *abundantem in ratione vestra*, id est, ad vtilitatem vestram. Quidam codices habent: Abundantem in oratione vestra. Oratio Apostoli, oratio Philippensium erat, quia pro illis orabat. Et quando quilibet orat pro aliquo, si vita illius mũda fuerit pro quo oratur, subleuat orationem deprecantis, vt à deo exaudiatur: sicut econtra vita mala eius pro

pro quo oratur, impedit orationem illius qui pro ipso orat. Vnde dicit dominus Ieremiæ. Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te. Ergo B. Pauli oratio quam pro illis fundebat, bona vita illorum subleuabatur. Vnde dicit: Nõ requiro tantummodo datum, sed requiro beneuolentiam & benignitatem abundantem in oratione vestra, id est, vt vestra voluntate subleuetur oratio quam pro vobis fundo. *Habeo autem omnia, & abundo.* Ille omnia habet, qui nullo indiget, qui præter necessaria nihil requirit. *Repletus sum* inquit, subaudis omni abundantia *acceptis ab Epaphrodito* subaudis muneribus *quæ* subaudis munera *missistis mihi.* Miserant illi Philippenses aut aurum aut argentum aut vestimenta per Epaphroditum, in quibus ille multum lætatus & gratulatus est non tam pro sua quàm pro aliorum necessitate *in odorem suauitatis.* Odor suauitatis est apud deum, intentio bona & voluntas promptissima offerentis, de qua legimus in Genesi, quia odoratus est odorem suauitatis dominus, quando Noë obtulit sacrificium deo egressus de arca. Non enim est putandum quòd dominus omnipotens sacrificio victimarum & fumo carnium atque nidore pinguedinis delectetur, sed intẽtione bona & voluntate promptissima offerentis. Si enim fumo & nidore carnium delectaretur, nequaquam diceret per prophetam: Sacrificia vestra odiuit anima mea. *Deus autem meus impleat omne desiderium vestrũ.* Tale desideriũ habebant Philippenses, vt socij & comparticipes mererentur fieri beati apostoli, & est sensus: Cõcedat præstétque deus meus, vt sicut participes estis passionis meæ, & condoletis tribulationibus meis, ita sitis participes præmiorum meorum, & congaudeatis lætitiæ meæ. Et qualiter fiet istud? *Secundum diuitias suas in gloria æterna.* Quæ sunt ille diuitiæ? Quas oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, id est, gaudia æterna & præmia sine fine mansura. Et hoc in Christo Iesu, hoc est per Christum Iesum, *Deo autem & patri nostro.* i. sanctæ trinitati, quæ vnus deus est, maneat honor in secula seculorum. i. per omnia futura secula. *Salutate omnem sanctum*, id est, omnem sanctificatũ in baptismate, vel qui sine crimine, & sine grauiori peccato floruerunt *maximè autem qui de Cæsaris domo sunt.* Quare addidit: Maximè autem illos qui de Cæsaris domo sunt? vt sic

Philippēses acueret & instigaret ad fidem seruandā, & in bonis operibus laborandum, quasi diceret: O Philippenses, attendite, si illi qui apparitores sunt imperatoris, & ei semper assistere debent in palatio illius, veniunt ad fidem pro nihilo deputantes irā imperatoris, & viriliter in fide & doctrina laborant, quanto magis vos debetis feruenti animo fidē seruare, bonis operibus insistere, qui longe ab aula regali remoti estis, neque terremini iussu malignorū principum? Nam manente Apostolo in carcere in domo imperatoris, multi ex domo Cæsaris veniebant ad eū: & docti ab illo, baptizabantur, intantū vt (sicut iam diximus) domum persecutoris facerēt ecclesiā redemptoris *gratia domini*. i. fides vel salus, & redemptio atque remissio peccatorum maneat *cum spiritu vestro*, id est, in corde vestro & mente: quia si manserit in mente, manebit & in corde &c.

IN EPISTOLAM PAVLI ad Colossenses, exegesis.

CAPVT I.

Mysterium quod absconditū fuit à seculis & generationibus. Mysteriū incarnationis passionisque filij dei & redemptionis generis humani absconditum fuit ab initio mundi sapientibus huius seculi, patriarchis autem & prophetis aliisq; quāplurimis iustis patefactum est, *quod est Christus in vobis spes gloriæ*. Christus est spes gloriæ electorum, quia quicūque firmiter in eū credunt, sperant se accepturos vitam æternā, & gloriam quā ipse promisit, *corripientes omnem hominem*. Omnem hominē debemus hic intelligere Iudæum & Gentilē, dominū & seruum, ditem & pauperem, omnémque sexum & cōditionem, quibus præceptum est Apostolis prædicare. Sed quod dicit, Corripientes omnem hominem, pertinet ad ingratos & superbos, & quod dicit, *docentes*, pertinet ad humiles & subiectos, *in omni sapientia*, id est, in fide sanctæ trinitatis, in qua est omnis sapientia, *Perfectum in Christo Iesu*, hoc est in fide Iesu Christi, secundum quod in præsenti seculo

seculo potest quilibet electus perfectus esse. In præsenti etenim seculo nemo potest esse perfectus ad comparationē æternæ perfectionis. Vnde idem Apostolus alibi: Quotquot perfecti sumus, hoc sapimus, quia subaudis non sumus perfecti. Quod enim nunc videmus in ænigmate, & tenemus in spe, tunc possidebimus in re, quoniam videbimus eum sicuti est. *In quo & laboro, certando.* Duo dicit, laborem & certamen, ex quibus vnum refertur ad prædicationem, alterum ad conflictum hostium. Laboro (inquit) ad prædicationem, certando contra hostes Christi, & hoc non meis viribus neque mea virtute, sed secundum quod ipse mihi opem tribuit.

CAPVT II.

Volo enim vos scire ò Colossenses qualem solicitudinem habeam pro vobis. Solicitudo est maxima cura. Beatus ergo Apost. eandē solicitudinem & studium gerebat de illis qui docebantur ab eius discipulis, & ad quos ipse mittebat epistolas, licet ipse eos corpore non vidisset, quam habebat de his quos proprio ore docebat. Ideo autem talia loquebatur blandiendo, vt illorum animos mulceret, & epistolam eius reciperent *& pro his qui sunt Laodiceæ*. Laodicea est ciuitas Græciæ *instructi*, id est, firmati & docti *in charitate*, id est in dilectione dei & proximi *in agnitione mysterij dei*, id est in cognitione sanctæ trinitatis, & fide domini saluatoris, credentes eum pro salute nostra venisse in carnem. *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ.* Sapientia refertur ad humanam rem, scientia ad diuinam: & in Christo Iesu est sapiētia, qualiter temporalia & humana dispenset, & quo modo diuina ordinet. Vel sapientia in humanis, & in diuinis scientia *absconditi*, quia non omnibus patent. Ante domini aduentum nomen domini patris incognitum fuit cunctis retro generationibus: non illud nomen quo deus, sed quo pater vocatur, sicut ipse filius ait: Pater manifestaui nomen tuum. *Hoc autem dico* subaudis vt fitis firmati in charitate. *vt nemo vos decipiat in subtilitate*, id est in tenuitate sermonū, & in calliditate, vel in syllogismis. Quidam codices habent in sublimitate, quod ipsum est in altitudine. *Nā*

& si corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum gaudens de fide vestra *& videns ordinem vestrum*, id est, reuelante spiritu sancto qui in me est, cognosco omnia quæ circa vos agũtur in fide, bonísque operibus, quasi præsens sim in corpore. Dicit nãque B. Hiero. quodam loco, tantam ei gratiam datam esse, vt cuncta cognosceret quæ circa illos agebantur, quos vel ipse vel discipuli eius docuerunt, *& firmamentum eius*. Firmamentũ fidei Christi appellat firmam perfectamq; fidem, quæ operibus bonis ordinatur. *Sicut ergo accepistis*, id est, acceptũ habuistis *in ipso*. i. in fide ipsius *ambulate radicati*. Quod dicit radicati. i. ædificati in Christo. *& confirmati in fide* illius. vnum est, hoc est vt fidem quã habetis, bonis operibus exornetis *sicut & didicistis* subaudis discipulis nostris *abundantes* hoc est, in fide illius *in gratiarum actione*, id est semper reddentes illi gratiarum actionem ex omnibus quæ habetis. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam*, id est humanam sapientiam, & inanem fallaciam *per quam falluntur homines*. Præuidebat Apostolus qui erant philosophi gentium, insuper & Iudæorum, qui volebant Colossenses per sublimitatem humanæ sapientiæ à fide separare. Dicebant enim, quia sicut nihil est corporeum quod possit gignere per se aliquod corpus sine cõmixtione corporalis rei quæ est fœmina, ita fœmina nõ potest gignere sine cõmixtione viri. Et hoc dicebãt attendẽtes ad naturã elemẽtorũ, nõ ad potentiã diuinitatis, quę naturam elementorũ potest mutare. Naturã autem dixi, id est ordiné. Nam natura est, vt omnis creatura creatori suo obtemperet. Sic etiam dicebant quia si B. Maria virgo concepit, & virgo peperit, tamen post partum virgo non fuit. Ideóque illos alloquitur, ne ab his deciperentur, *quia in ipso*, id est in Christo *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Non ideo dicit corporaliter, quod ipsa diuinitas sit corpus, licet quædam substantia sit viua, sed corporaliter posuit pro eo quod est veraciter, substantialiter, pleniter. Aliter enim habitat in singulis electorum, aliter in Christo, quia illis datur spiritus ad mensuram, in illo autẽ pleniter. Habitauit enim in Salomone per sapientiam, in Daniele per castitatem, in prophetis per sanctitatem, in Moyse per mansuetudinem, in Christo verò per omnem virtutem & innocentiam. Aliter: Corporaliter, id est sicut in

in tẽplo suo, quia habitatio totius diuinitatis corpus Christi fuit. Plus enim habitauit in illo, quàm in templo Iudæorum *& estis in illo*, id est Christo *repleti* vel per illũ estis repleti fide. *qui est caput*. i. principiũ & initium: quia ipse tenet principatum super omnia cælestia & terrestria. *Omnis principatus & potestatis*. Potestates autem sunt per quas sancti eiiciunt dæmones de obsessis corporibus: principatus qui principantur aliis ordinibus. *In quo*, id est in Christo *circũcisi estis*, id est, mundati ab omnibus peccatis in baptismate Christi *non circumcisione manufacta* qua ipse circumcisus est octaua die secundum morem Iudæorum. Illa, petra fiebat: & ista mundatio, per Christum, qui est petra, *consepulti ei*, id est, sepulti simul in baptismate ei. *in quo*, id est, in Christo *& resurrexistis* à peccato & vitiis *per fidem*. Quomodo sumus consepulti ei? Verbi gratia: Mortuus est in cruce Christus, positus est in sepulchrum, de sepulchro viuus surrexit: & iam non moritur. Similiter & nos quando interrogante sacerdote iuxta fontem stantes abrenunciamus diabolo & omnibus pompis eius, quasi tunc morimur, cum verò in fontem descendimus, quasi tunc in sepulchro sepelimur. & cum de fonte eximus mundati, tunc quasi resurgimus. Sed cauendum est, vt sicut Christus iam non moritur, ita & nos non moriamur in peccato *per fidem operationis dei*, Virtus diuinitatis quæ tertia die Christum resuscitauit, ipsa operatur in nobis fidem. *Et vos cum essetis mortui delictis, præputio carnis vestræ*. Delicta & præputium pro vno, id est pro carnalibus peccatis, vel delicta ad transgressionem post peccata peracta *donans*, id est indulgens *delens quod aduersum nos erat chirographum decreti quod erat cõtrarium nobis*. Chirographum dicitur manus scriptio. Nã chir manus, graphe scriptura dicitur. Decretum autem vocat legem & statutum quod deus præcepit Adæ, dicens. Ex omni ligno paradisi comede & cætera vsque, morte moieris. Peccatũ ergo quod primus parẽs noster cõmisit, in quo omnes peccauimus, mortalésq; effecti sumus, appellat modo chirographũ decreti, quia in memoria omnipotẽtis dei mansit scriptum, vsque dum filius dei veniret qui illud deleret. Vnde dicitur à deo in psalmis in cantico Moysi. Nõne hæc condita sunt apud me & signata in thesauris meis? Per manum enim intelligitur operatio: & quando exten-

dit manum vt contingeret lignum vetitum, quasi tunc scripsit chirographum decreti, id est, manus scriptionem quòd tunc ageret contra dei decretum. Quod chirographum cõtra nos erat, quia omnes trahebat ad mortem, & nemo poterat iustificari quoadusque per dominum deletũ est. Quomodo ergo deleuit illud? Innocenter & sine peccato viuendo in mundo, vel innocenter in cruce moriens pro peccatoribus *ipsumque* subaudis chirographum vel peccatum *tulit de medio, affigens illud cruci*, quasi diceret, tunc crucifixit illud, id est, occidit in semetipso, quando sine peccato vixit, vel quando innocens pro peccatoribus mortuus est, Alia translatio habet, expolians se carne moriendo in cruce: & exemplauit, id est, exemplum dedit innocenter viuendo, triumphans de principatibus ac potestatibus tenebrarum.

Et ipsum tulit de medio subaudis nostrum, quia factus mediator noster abstulit peccata nostra, quæ quasi in medio erant, quando nos separabant à deo, *expolians principatus*, id est, dæmoniacas potestates expoliauit animabus hominum mortuorum, & potestatem de hoc mundo auferendo *& potestates tradnxit*, id est, superauit cum fiducia *palàm triũphans illos in semetipso*, quia per se vixit innocenter, & palàm est crucifixus. Triumphans, deuincens, superans in semetipso, iisdem modis quibus diximus. *Nemo ergo vos iudicet*, id est, nullius iudicium attendatis in hac parte, vt abstineatis ab his quæ deus mundauit. Nam non quod intrat in os, coinquinat hominem, *in cibo, aut in potu, aut in parte dici festi* dicentes alios dies festos esse. Dies ducunt, & sabbatha obseruant quiescendo à vitiis, & transeundo de vitiis ad virtutes. *quæ sunt vmbræ futurorum* subaudis, omnia superius dicta de cibo & potu, quæ in lege habentur, vmbræ sunt aliarum rerum quæ in Christo & in ecclesia completæ sunt &, complentur. *corpus autem Christi*, id est veritas & corpus illarum rerum vel vmbrarum, Christus est & ecclesia. Erant enim Iudæi qui voluerunt simul obseruare legem & euangelium, & ipsi suadebant Colossensibus similia agere hoc est, in circuncisione, in celebratione festiuitatum legalium. Dicebant enim, Estis baptizati, debetis circuncidi: communicastis iam corpori & sanguini domini, debetis sacrificia legalia offerre: comedere debetis quæ lex præcipit, & abstinere ab his quæ prohibet: & si cecide-

ceciderit mus in puteum, nõ debetis bibere. Sed vt ab illis non seducerentur, scribebat Apostolus eis talia, quia in domini aduentu omnia mundata sunt, & cessauit lex in mysteriis. *Nemo vos seducat* vel separet à fide *volens* subaudis *vos in humilitate* subaudis sensus decipere. Humilis dicitur humi acclinus. Volẽs vos decipere in humilitate, id est humili sensu & humili doctrina quæ vtilitatem non habet, sicut est in differentia ciborum, & de obseruatione *& religione angelorum*, id est, in cultura angelorum. Erant philosophi gentium, & aliqui Iudæorum, qui dicebant: Sicut sunt quatuor elementa, ita sunt quatuor angeli, qui præsunt singulis elementis. Hi ergo dicebant ad illos qui crediderant, volentes apparere religiosi: quia ex quatuor elementis constatis, debetis angelis illis qui præsunt elemẽtis, aliquam culturã & sacrificia offerre. Sed quia nihil erat, quod dicebant, subiunxit Apostolus: *quæ non vidit* subaudis docens *ambulans frustra, inflatus sensu carnis suæ*, id est, de suo errore & mendacio ambulans inflatus. Ex hoc enim quòd videbatur aliquid scire, superbiebat in mente, præferens humilitatem in vultu, vel sicut alia editio habet, quæ non vidit inculcans, id est, replicans frustra. Licet enim illam religionem falsam vidissent à quibusdam celebrari, tamen ipsos angelos non viderunt, neque ea quæ docebant, *& non tenens caput*, id est, non adhærens capiti, id est Christo, qui est caput omnium sanctorum *ex quo totum corpus subministratur*, id est, multitudo sanctorum angelorum & multitudo hominum augmentatur *& constituitur per nexus*, id est copulationes & connexiones & coniunctiones *crescatque* siue augetur *in augmentum dei*. Sicut ergo corpus constituitur ex multis membris multisque cõpaginationibus, ita ex multis gẽtibus multisq; prouinciis ac multis generibus hominum augmẽtatur & crescit, quando quotidie numerus fideliũ crescit. *Si mortui estis cũ Christo* subaudis tempore baptismatis *ab elementis huius mũdi*, id est erroribus pompisque. *Quid adhuc tanquam viuentes mundo* subaudis in mundo. *decernitis*, id est cur discretionem facitis inter cibos? Aliter: Si mortui estis ab elemẽtis huius mũdi: elemẽta mũdi sunt omnia corporalia & visibilia & transitoria. Quando vero gentiles deum ignorauerũt, elemẽntis mũdi seruierunt, quia illis seruiebant, & ea adora-

bāt. Veniētes autē ad fidē, mortui sunt elemētis huius mū-
di. i. erroribus & superstitionibus, siue variis & vanis cultu
ris, abrenuntiātes diabolo & omnibus pōpis eius atq; er-
roribus eius. Possumus autē & per elemēta mūdi intellige
re legē, quæ præcipiebat discretionē facere inter pecus &
pecus, & inter cibos & cibos. Sed postquā dominus dixit,
nō quod intrat in os, coinquinat hominē, statim omnis il-
la discretio cessauit. Vnde dicit Apost. tam Iudæis quā gē-
tibus. Si, inquit, mortui estis cū Christo ab elemētis, id est
erroribus atq; pōpis & vanis religionibus tēpore baptis-
matis, quid adhuc discretionē facitis ciborū, cū deus omnia
mūda esse dixerit? *Ne tetigeritis, neq; gustaueritis, neque cōtre-
ctaueritis.* Hæc vox illorū est qui dicebant, ne tetigeritis, ne
cōtrectaueritis mortuū, neq; scabellū vbi sedit mulier mē-
struata, quia immūdi eritis: neq; gustaueritis carnē suillā,
neq; leporinā: quia immunda est, & cætera talia *quæ omnia*
subaudis quæ lex cōcedit seu prohibet. *Sunt in interitu ipso
vsu*, id est ipsa cōsuetudine edēdi in interitū sui vadūt, quia
in stercus redigūtur omnia statim vt comesta fuerint *quæ
sunt quidē rationē habentia sapientiæ* subaudis mūdanæ *secun-
dum præcepta & doctrinā hominum*, id est secūdū traditionē
scribarum & pharisæorum: & secundum illos qui caussa
infirmitatis nolunt ea comedere, dicentes: Nolo comede-
re carnem suillam, quia melancholicus sum: neq; anguil-
lam. Sed ista sapientia non secundum deum, quia non per-
tinet ad religionē *in superstitione & humilitate* subaudis quæ
est etiā in superstitione, id est vana religione & superfluo
timore: hoc est enim superstitio, subaudis humilis sensus.
Superfluus timor est vana religio atque humilis sensus, ea
nolle comedere, & dicere immunda, quæ deus sanctifica-
uit: nisi causa abstinentiæ aliquis se ab his obseruet, sicut
& à vino. Quæ sunt etiā *non ad parcendum corpori*, id est, nō
ad conseruandam sanitatem corporis: quia dum non vult
comedere quæ habet, & appetit quod non habet, dicens:
Noli comedere hoc, quia immundum est, sed si haberem
carnem arietinam, illam comederem, infirmatur & debili-
tatur qui talibus escis sustentatur. Quæ sunt etiam *non in
honore aliquo, sed ad saturitatem carnis*, id est nullum maiorem
honorem præstat aries corpori quàm lepus præstaret si eū
comederet, tantummodo vt venter repleatur.

CAPVT

CAPVT III.

Si ergo consurrexistis cum Christo scili-
cet de morte ad vitam tēpore baptis-
matis. *Quæ sursum sunt sapite*, id est gau
dia patriæ cælestis. Christus est sur-
sum habitans in plenitudine paternę
maiestatis: & vbi est, illuc debemus
anhelare: & quæ sursum sunt sapere,
id est perpendere & intelligere, & in
his animum ponere, non in his quæ supra terram sunt trā-
sitoria. *Mortui enim estis* Mortui estis peccato tempore ba-
ptismatis, sicut paulo supra diximus. *& vita vestra*, id est
beatitudo. *abscondita est cum Christo in deo.* Vita enim vestra
& beatitudo Christus est, sicut ipse dixit: Hæc est vita æter
na, vt cognoscant te, & quem misisti Iesum Christum. Ideo
vbi ille est, ibi est vita & beatitudo nostra abscondita, non
vt nobis denegetur vel occultetur: sed vt potius conser-
uetur nobis ad salutem *cum Christus apparuerit vita vestra*,
subaudis in iudicio gloriosus & fulgidus. *Tunc & vos ap-
parebitis cum ipso in gloria* glorioſi & fulgidi, sicut ipse pro-
misit. *Mortificate ergo membra vestra*: id est malos vsus mem-
brorum. In epistola ad Corinthios multitudinem pecca-
torum appellat Apostolus, corpus: dicens ita vt destruatur
corpus peccati. Sicut enim multa membra faciunt vnum
corpus ita multa peccata faciunt vnum corpus, id est vnā
summam & est sensus: Mortificate membra, id est, malos
vsus membrorum, & malam consuetudinem peccandi,
per efficientem, id quod efficitur, ostendens. Neque
præcipit vt mortificemus gladio materiali corpus nostrum
& membra nostra, sed peccata. Tunc enim mortificamus
membra nostra, cum desistimus peccare: & quot pecca-
ta in nobis mortificamus, quasi tot membra occidimus. *quæ
sunt super terram*, id est quandiu estis in mundo. *fornicatio-
nem*, Fornicarij sunt cum puellis liberis, aut cum iumen-
to, aut aliquid tale. Adulterare vero est, alterius thorū vio-
lare, id est, cum alterius vxore, aut cum deo sacrata, quæ
dei vxor est, *libidinem*. Omnis incontinentia libido appel-
latur. *concupiscentiam malam*, Ideo dicit concupiscentiam
malam, quia est & concupiscentia bona, de qua dicitur:
Fili, concupisce sapientiam, serua mandatum, &c. Cupio

dissolui, & esse cum Christo. Concupiscentia mala est, appetere mala. *& auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus.* Quomodo est simulacrorum seruitus, auaritia? Ideo, quia sicut ille seruit diabolo, qui omnipotentis dei culturam & religionem, quæ illi soli conuenit, & singulare nomen, vt deus vocetur, quantum in se est, illi aufert, & dæmonibus impēdit: ita & ille seruit diabolo, qui bona omnipotentis dei cōmunia, quæ omnibus hominibus cōmuniter data sunt, in proprios vsurpat vsus. Rectè etiam auaritia idololatriæ comparatur, quia dum metallis auri & argenti, de quibus simulacra fiunt, homines immoderate seruiunt, aurum pro deo venerantur: quia serui sunt diuitiarum. Vel tertio modo auaritiam idololatriæ comparauit, vt nihil scelestius
Exod. 20. demonstraret. Radix enim malorum est auaritia, ideóque monet illam omni ratione fugiendam. *Propter quæ facinora* id est superius dicta, *venit ira dei super filios*, qui perierunt in diluuio, & in Sodoma, aliisque ciuitatibus, *& super filios incredulitatis*, id est, super illa sexcenta millia quæ in deserto mortua sunt, incredulitatem cordis habentes, in quibus subaudis peccatis & vos ambulastis aliquando cum viueretis peccato ante fidem, & essetis mortui deo, sed nunc iam non ambulatis: *Nunc autem deponite & vos omnia* subaudis superius dicta, vel ea quæ sequuntur. *Iram* quia ira viri iustitiam dei non operatur. *indignationem*, id est, nolite indignari minoribus, si reprehendimini ab illis *malitiam*. Malitia est mala voluntas. *Blasphemiam*, id est derisionem in deum & proximum, *turpem sermonem*, id est, otiosum verbum vel ioculare *de ore vestro*, subaudis deponite. Nolite mentiri inuicem. Omne mendacium à diabolo est: quia ipse mendax est, & pater eius, ideóque filij veritatis veritatem debent loqui cum proximis *expoliantes vos veterem hominem*, Veterem hominem appellat hic veteris hominis conuersationem & vitam. Quæ est conuersatio veteris hominis? infidelitas, inobedientia, concupiscientia mala, rapina, adulterium, homicidium, & cætera talia. Quousque ergo renouetur in baptismate regenerationis, semper in vetustate erit, quia originalibus peccatis & actualibus tenetur obnoxius. Sed debet baptizari, & induere nouum hominem: id est nouam mentem & nouam noui hominis conuersationem. Quæ est conuersatio noui

noui hominis? Virtutes sectari, & omnia bona in se habere. Et ne putaremus quòd hominem exteriorem præciperet renouari ad alicuius rei similitudinem, subiunxit, eum hominē (inquir) præcipio renouari, qui renouatur in agnitionem dei secundum imaginem eius qui creauit eum: id est, hominem interiorē, qui est anima & mens quæ ad imaginē dei facta est, sancta, iusta & rationabilis & immortalis. Homo autem exterior, id est, corpus, non est ad imaginem dei factus, quia deus spiritus est. Duæ autem sunt renouationes, vna momētanea, quæ fit in baptismate, altera quæ fit quotidie, quādo per studium legendi scripturas sacras ea studet intelligere de deo, quæ antea ignorabat, ex quo quotidie més renouatur. Potest fieri etiam tertia renouatio post lapsum per pœnitentiā. *in agnitionē*, id est, ad cognitionem *secūdum imaginem eius qui creauit eum*, quia homo ad imaginem dei factus est. *Vbi non est gentilis & Iudæus*, vbi, id est in mente hominis vbi est imago dei, non præiudicatur apud deū sexus vel conditio, aut genus, aut prouincia, id est nulla distantia est hominū apud deū, quia in anima non est sexus, nisi tantummodo sola bona conuersatio cum fide recta requiritur *barbarus & Scytha*. Plus est nobis Scytha alienus quàm barbarus. Barbarus siquidem nobis potest esse quilibet cuius linguam ignoramus: Scytha autē dicitur à Scythia prouincia, quæ est remota ad septentrionē, frigoribus rigens, moribus barbara. *Sed omnia & in omnibus Christus*. Ideo nō est vlla differētia, quia omnia subaudis genera hominū fideliū, Christū habēt caput, & in omnibus illis est Christus, *Sancti dilecti* vnū est *viscera misericordiæ*, id est misericordem voluntatem. Viscera dicuntur filij. Viscus etiam significat singulariter promptissimam & bonam voluntatem *benignitatem*, id est magnam & bonam voluntatem. *modestiam*, id est mansuetudinem. *patientiam* subaudis in tollerandis aduersis *supportantes inuicem*. Supportare vos, præcipit Apostolus inuicem, secundum illud: Alter alterius onera portate. Verbi gratia. Ille qui continens est, & est sine vxore & filiis: & abūdat diuitiis bonisque temporalibus, debet illum qui incōtinens est & habet vxorē & filios, sustentare si necessitas fuerit. Sic de cæteris necessitatibus intelligendū: imitando ceruos, qui transeūtes per aliquod fretum ad insulā, aut vltra fluuiū, sustentā-

tur & supportantur ab inuicem, mentum ponens sequens super clunes prioris,& lassato qui prior incedebat, dat locum vt transeat,& ipse ponat iterum mentum super clunes vltimi. *& donantes*, id est,indulgentes. *si quis aduersus aliquem habet querelam*, id est,veram causationem.Verbi gratia: Abstulit mihi aliquis equũ meũ, dum recordabor quod dominus dixit, Si quis abstulerit quæ tua sunt,ne repetas, debeo ei dimittere,sic de omni re & commisso, *sicut dominus donauit vobis,ita & vos* Sicut Christus qui cum non haberet quod ei dimitteretur,dimisit nobis omnia peccata in baptismate:ita & nos dimittamus proximo in nos peccanti,qui habemus quod nobis dimittatur & à deo & à proximo: *Super omnia autem hæc* superius dicta, *charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Vinculum enim perfectionis est charitas,quia per illam omnia bona ligantur ne pereant:sic homo pro dilectione dei & proximi omnia agit:vnde dicitur dilectio,quia duos homines ligat,vel hominem & deum *in qua* subaudis pace vel charitate. *vocati estis in vno corpore.* vt vnũ corpus Christi sitis, *& grati estote*, id est,gratiosi estote & accepti tam deo quam hominibus *Et verbum Christi*, id est, euangelica doctrina, *habitet in vobis*, id est,in corde, ore, & opere vestro *& pax Christi exultet* ita etiam vos,inquantum humana fragilitas potest seruare sine peccati macula manẽtes, vt habeatis in vobis spiritum sanctum, *in omni sapientia*, in omni doctrina euangelij,& in fide sanctæ trinitatis. *docentes & commonentes vosmetipsos* Vos qui sapientiores estis,docete alios & commonete,atque exhortamini vos inuicem. *in psalmis*, subaudis Dauidicis *& hymnis*, trium puerorum & sanctorum *in gratia cantantes*, id est,semper reddite deo gratias, ita vt quod ore canitis.corde intelligatis,& mens concordet voci. *Omne quodcunque facitis in verbo*, id est,in doctrina, *aut in opere* subaudis aliquo, *in nomine domini nostri Iesu Christi*, in omnibus semper dicite:Deus in adiutoriũ meum intende, & semper nomen domini inuocate. *gratias agentes deo & patri per ipsum*, id est,per Christum:quia ipse est mediator noster & in fide eius saluamur. *Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in domino.* Mulier propter culpam subdita est viro.Sicut oportet in domino,sicut præcipit dominus in Genesi:Sub viri potestate eris,& ipse dominabitur

minabitur tui.In primordio siquidem fidei erant multæ mulieres, quæ se causa religionis abstinebant à consortio maritorum,quas modo alloquitur Apostolus specialiter,ne propterea quia à coitu virorum se abstinebant, resisterent viris,rebellarent siue repugnarent.Sicut enim sancta ecclesia subiecta est sponso & viro suo Christo, ita debet esse vnaquæque mulier. Erant etiam multi viri,qui similiter abstinebant à coitu,vel qui cum aliis mulieribus coibant, & verberabant vxores suas ne illæ similiter cum aliis agerẽt, nec aliquid auderent murmurare contra eos: quos similiter alloquitur. *Viri, diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas* id est,si sustinetis ad tempus à coitu causa religionis,vel quia cum aliis concumbitis, nolite eas propterea ad amaritudinẽ prouocare.Sed quæstio hic oritur, quare Apostolus vxorem diligendam prædicet:cum dominus dicat.Qui vxorem non odit,non potest meus esse discipulus?Quæ hoc modo soluitur, vt quantum nobis pater & mater, frater atque vxor per cognationem carnis proximi sunt,diligamus eos: & inquantum nobis aduersarios in via dei cognoscimus esse,odiendo malum eorum,& fugiendo nesciamus. *Filij,obedite parentibus*, id est patri & matri *per omnia*,subaudis quæ deo placent,Si autem præ ceperint vobis homicidium,furtum,rapinam, aut aliquid tale perpetrare,nolite obedire illis. *Hoc enim placitum est in domino* subaudis vt obediatis eis. *Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.* id est:vt non exasperati à vobis fiant iracundi, id est leues ad irascendum,sed vestro exemplo discant esse patiẽtes. *Serui obedite dominis per omnia*, subaudis quæ deo non displicent.Serui non sunt per naturam,sed per culpam & propter peccatum,sicut Chanaan filius Chan.Propter peccatum enim venit captiuitas, & per captiuitatem seruitus. Vnde illi qui seruabãtur ab hostibus,à seruando dicti sunt serui,& mancipia quasi manu capta,quia manibus capiebantur, *non ad oculum seruientes*. Ille ad oculum seruit,qui aliud in secreto agit.& in præsentia domini seruitium explet quolibet modo:absente autem illo,non curat de vtilitate illius, *sed in simplicitate cordis.* id est,non duplici animo,neque mala voluntate. *sicut domino, & non hominibus* Seruus qui pro dei amore domino carnaliter seruit,

sperans se inde mercedem recepturum à deo, illud seruitium non homini. sed deo impendit: ideóque mercedem licet ab illo non recipiat præsentem, tamen non debet se à seruitio subtrahere *retributionem æternæ hæreditatis*, id est, æternam retributionem. *domino Christo seruite* licet hominibus temporale seruitium exhibeatis, tamen pro amore Christi illud implete. *Qui enim iniuriam facit*, id est, si dominus iniuste affligit seruum, & non reddit ei dignã mercedem. damnationem inde suscipiet. Et si seruus fuerit furtiuus, & de seruitio domini se in aliquo subtraxerit, etiam inde damnabitur. Ne serui dicant, Nos qui serui sumus, nó merebimur venire ad gloriam sanctorum: dicit Apostolus. *Non est personarum acceptio apud deum*, id est, si dominus male egerit, & seruus bene, dominus dominabitur, & seruus glorificabitur.

CAPVT IIII.

Omini, quod iustum est & æquum, seruis præstate, id est nolite tenere eos vt seruos, sed estote eis vt patres: quia inde appellati sunt patres familiàs quidam, quòd omnes in domo sua æquali amore diligebãt vt filios, ita & seruos. *Orationi instate vigilãtes*. Ille vigilat in oratione, & in gratiis deo reddendis, qui non cũ tempore neq; cum desidia illud implet, sed cum hilaritate. Si enim ab homine non potest impetrari hoc quod petitur, si cũ desidia illud agitur, quanto magis à deo? *orantes simul & pro nobis*, subaudis, qui verbum vitæ administrauimus, *vt deus aperiat nobis ostium verbi*. id est, vt corda & sensum auditorum nostrorum aperiat, vt ea quæ loquimur, & quæ ab ore nostro emittimus, ad corda & ad sensum eorum possint intrare, & intelligant quæ docemus. Tale quid legimus in actibus Apostolorum de muliere nomine Lydia, purpuraria ciuitatis, cuius dominus aperuit cor vt intelligeret ea quæ à Paulo dicebantur. Aliter: Vt aperiat nobis ostium sermonis, id est sensus & intelligentiam diuinorum eloquiorum, vt prompti simus ad loquendum mysteria incarnationis Christi & diuinitatis. *propter quod* subaudis euangelium. *ita oportet me loqui* id est, vt sciam cui, & quid, & quando, vel

vel quantum debeam loqui. *In sapientia ambulate ad eos*, id est, in fide sanctæ Trinitatis, vbi est omnis sapientia, & bona conuersatione ibi viuite & conuersamini ad eos qui foris sunt, id est, ad paganos, hæreticos, & falsos Christianos, vt non possint vos reprehendere, *redimentes tempus*, id est vestrum facientes, & vobis bene viuendo & recte loquendo lucrantes. Tempus enim sibi redimit, quia suam vtilitatem in illo operatur, *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus*. id est: vt semper gratiam & vtilitatem præstet auditoribus, & gratiosus sit omnibus, & sicut sal condimentum præstat omnibus escis, ita & ille cunctorum mentes condiat. *vt sciatis quomodo vos oporteat vnicuique respondere*, id est, quomodo hæretico, quomodo Christiano, vt si vos interrogauerit hæreticus, quomodo respondeatis, vos credere in Deum Patrem, & filium, & Spiritum sanctum, & his tribus trinitatem habere in personis, & vnitatem in substantia, & dominum Iesum Christum verum Deum & verum hominem esse. Similiter & Christiano est respondendum. *Quæ circa me sunt* vincula, carcerque, omnia nota faciet vobis Tychicus, *iste prædicator erat Colossensium*, charissimus frater, subaudis in fide, quia vnius fidei sumus *minister* subaudis Euangelij prædicatione *& conseruus* in labore, quia simul laboramus in prædicatione, *& consoletur* consolatione *corda vestra*, id est, suo aduentu & meo exemplo, vt non deficiatis in fide, sed potius consolidemini, vt si necessitas fuerit, talia sustinere possitis, qualia & ego modo sustineo *cum Onesimo Charissimo*. Hic ostenditur Philemonem Colossensem fuisse dominum Onesimi & ipsum Onesimum seruum *notum facient vobis*, subaudis Tychicus & Onesimus, *Salutat vos Aristarchus* Aristarchus discipulus fuit beati Pauli, & comes in prædicatione. *conceptiuus meus*, id est qui in vinculis tenetur sicut & ego pro Christi nomine *& Marcus*. Iste est pro quo dissensio facta est inter Paulum & Barnabam, sicut in actis Apostolorum legitur, qui recessit à B. Paulo in quodam conflictu quem habuit cum persecutoribus, & vt quidam dicunt, ipse scripsit euangelium: quia licet cum Beato Paulo fuisset, fuit & cum Beato Petro. *Consobrinus Barnabæ*. Consobrini dicuntur quasi

sororij,qui de singulis sororibus nascuntur.Ideo dicit consobrinum illum esse,vt maioris honoris haberetur apud illos propter Barnabam.Et nisi dixisset,suscipite illum, nequaquam auderent suscipere illum : quia iam audierant illum ab eo discessisse.Emendatus & correctus iterum sociatus est ei. *de quo* subaudis Marco *mandata accepistis*, id est, scriptum,quia iam rediit ad nos *Hi soli sunt* superius memorati *qui sunt ex circumcisione* id est, ex Iudæis, *Ipsi sunt adutores mei in regno dei* hoc est in prædicatione euangelij,quod obseruatores suos perducit ad regnum Dei. *Vt sitis perfecti*, subaudis in fide,& pleni bonis operibus. *Qui sunt Laodiceæ* quæ est ciuitas græciæ.Hierapolis est ciuitas Græciæ *Salutat vos Lucas medicus* iste est Lucas qui euangelium scripsit,& actus Apostolorum , qui fuit genere Syrus. *& demas.* Hic ad tempus discessit ab illo , sed emendatus rediit. *Salutate fratres qui sunt Laodiceæ.* Salutare est salutem optare. *& Nympham.* Nympha nobilis erat quædam matrona,in cuius domo multitudo erat fidelium. *Et cum lecta fuerit apud vos Epistola , facite vt & in Laodicensium Ecclesia legatur.* Et Epistolam istam quã Colossensibus direxit, ideo præcipit legi in ecclesia Laodicensis.& eam quæ erat Laodicensium,ideo precipit Colossensibus legi, quia licet per parua sit,& in canone non habeatur,aliquid tamen vtilitatis habet. *Dicite Archippo,* Archippus episcopus erat illorum *Vide ministerium tuum,* id est , custodi & intellige subaudis episcopatũ, *Salutatio mea manu Pauli* quod est signum in omni epistola mea. *Memores estote vinculorum meorum,* id est accipite me in exemplum , vt sicut ego non timeo pro Christi nomine vincula & carceres sustinere,ita nec vos timeatis , si necesse fuerit. *Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.* Gratia dicitur gratis data: & gratia est qua accepimus remissionem peccatorum in baptismate , & est sensus. Gratia filij dei , & salus ac remissio peccatorum maneat semper vobiscum,Amen.

In epistolam Pauli ad Thessalonicenses priorem argumentum Haymonis.

Macedonia prouincia est Græcorũ,in qua est ciuitas Metropolis Thessalonica , quæ postquam à Paulo apostolo fidem percepit , licet multa pericula sustinuissent

nuissent à suis ciuibus non credentibus , à Pseudoapostolis valuissent seduci, nullo modo tamen à veritate fidei recesserunt. Hos collaudat Apostolus , scribens eis ab Athenis per Timotheum,&c.

IN EPISTOLAM P. AVli ad Thessalonicenses priorẽ Exegesis.

CAPVT I.

Paulus & Siluanus & Timotheus ecclesiæ Thessalonicensium salutem, Nomen suum suorúmque ponit in exordio epistolæ ob causas in aliis epistolis memoratas. Generaliter omni ecclesiæ scribit , quia forsitan tunc temporis non habebant episcopum sibi ordinatum. Licet apud Iudæos nomen synagogæ & Ecclesiæ habebatur in vsu,sicut legitur in libro Regum quia benedixit Salomon omni ecclesię Israel,tamen Apostoli maluerunt in suis epistolis ecclesiæ nomen inserere quàm synagogæ , propter interpretationem nominum. Ecclesia namque interpretatur conuocatio , quæ non potest fieri nisi ex rationabili creatura: synagoga autem quæ interpretatur congregatio,potest consistere ex irrationabili & inanimata,sicut congregatur grex ouium, & cõgregantur lapides : & vt ipsos ostenderent gentiles credentes amplius esse rationabiles quàm Iudæos infideles , qui hoc nomine ecclesiæ maxime vtuntur. *Gratias agimus deo.* i. laudes referimus illi, *semper pro omnibus vobis.* Et non solum pro Thessalonicẽsibus,sed & pro omnibus vobis,qui prædicationem eorum receperunt. *Memores operis fidei vestræ.* Duo coniungit, opus & fidem , quæ perfectum hominem reddunt.Fides nanq; bonis operibus adornata placet deo: quæ vero sine operibus est , mortua & inanis est. *& sustinentiæ spei domini nostri.* Sustinentia est expectatio , Vnde dicimus in Psalmista , Etenim qui te expectant,id est qui te sustinent,non confundentur.Sustinentiam spei domini nostri appellat expectationem futurorum bonorum , quæ

per dominum dantur,& expectationem aduentus domini ad iudicium. *Ante deum*,id est corã deo patre:quia in præsentia & conspectu dei patris iudicabit filius mundũ, *Scientes autem* subaudis sumus,*electionem vestram* qua à deo estis electi ante constitutionem mundi, *quia euangelium nostrum non fuit in sermone* siue in verbo *tantum*, *sed in virtute & in spiritusancto*,id est in virtute miraculorum, quæ per spiritũ sanctum operati sumus *& in plenitudine multa* doctrinæ & bonorum operum. *Scitis quales fuerimus in vobis*, id est humiles fuimus. *Propter vos* vt vos potuissemus deo lucrari. *& facti estis imitatores nostri & domini* quia qualia sustinuit dominus, & nos à propinquis nostris Iudæis,talia & vos sustinuistis patienter. *Excipientes verbum fidei* & doctrinæ *in tribulatione multa cum gaudio spiritussancti* quia spiritussanctus qui erat in vobis, faciebat vos gaudere inter tormenta persecutionum *ita vt facti sitis forma* & exemplum fidei & doctrinæ *omnibus credentibus in Achaia & Macedonia* duabus prouinciis. *A vobis enim diffamatus est sermo Dei.* Diffamatio maxime pro vituperatione ponitur, & in contrariam partem, Sed Apostolus non curans de proprietate verborum, cum debuit dicere, à vobis manifestatus & diuulgatus est sermo dei, dixit diffamatus. *Non est necesse quicquam loqui vobis* subaudis,quia vos estis dei prædicatores effecti. *In omni loco* subaudis vobis vicino,&c.

CAPVT II.

Xhortatio nostra,id est doctrina nostra *non*
E fuit *de errore*, id est de mendacio *neque de immunditia* quia non fuimus luxuriosi *neque in dolo*, id est fraude, astutia,nec in hypocrisi,id est simulatione, vt vos expoliaremus, *ita loquimur non quasi hominibus*, subaudis malis. *Placentes.* Ille quærit hominibus placere, qui adulatur & fauet aliorum peccatis, sed Apostoli non hoc faciebant alicui, sed publice increpabant *Neque in occasione auaritiæ* prædicauimus vt propter cupiditatem prædicaremus vobis *tanquam si nutrix foueat filios suos*, subaudis non alienos, ita diligimus vos, Solent mulieres luxuriosæ diuites & incontinentes committere filios suos aliis mulieribus ad nutriendum, quæ licet pabulum eis ministrent, tamen non eo affectu diligunt illos

illos vt proprios,sed vt mercedem temporalem accipiant. Pseudo ergo Apostoli non affectu materno diligebãt eos, sed vt lucra temporalia ab eis acciperẽt. Apostolus autem Paulus sociique eius non vt nutrix aliena diligebant illos, sed vt mater vnicum filium fouet affectu materno,ita ipse diligebat eos, quia ipse primus genuit eos in fide Christi. *Memores estis fratres laboris nostri & fatigationis.* Laborabat Apostolus in prædicatione & opere manuum eo modo quo sæpe diximus. Et quare laborauit ipse? Vt non esset otiosus. Omnis otiosus in desideriis est, & vt ipse praua desideria vitare posset, labori manuum insistebat *Cum accepissetis verbum auditus dei, accepistis illud, non vt verbum hominum.* Verbum prædicationis quod Apostolus prædicabat, a deo audierat: & sic perceperunt illud Thessalonicenses,quasi ab ipso Christo audirent per præsentiam *quia eadem passi estis à contribulibus vestris quæ & ipsi à Iudæis.* Contribules dicuntur qui ex vna tribu sunt. Crescente igitur in fide domini Iudæa, persecutionem sustinebant credentes ab incredulis: Rubenitæ à Rubenitis, Gadditæ à Gadditis, similiter ex omnibus tribubus: ita & Thessalonicenses credentes à non credentibus suis contribulibus, id est suis ciuibus & vicinis persequebantur. *vt impleant* subaudis ipsi Iudæi, *peccata sua.* Expleto tempore quadragesimi anni, quod dominus dedit Iudæis ad pœnitentiam post possionem suam, illis nolentibus credere completa sunt peccata eorum, de qua completione dixit eis Dominus: Implete mensuram patrum vestrorum: Quando autem Apost. ista loquebatur,adhuc stabat Hierusalem & templum: ideóq; necdũ erãt cõpleta peccata eorũ,quę cõpleta sunt aduenientibus Romanis. Vnde etiã sequitur *Peruenit enim ira dei.* i. vindicta dei *super illos vsque in finem.* Vindictam dei appellat aduentum Romanorum quando perditi sunt fame, pestilentia, gladio,captiuitate. Quæ vindicta manebit super illos vsque in finem seculi,quia semper erunt captiui. Vel si dixerimus, præuenit siue anteuenit illos ira dei,sicut quidam codices habẽt,erit sensus: Præuenit eos vindicta dei in hoc seculo, quæ permanebit vsq; in finẽ. Quæ ideirco dicitur præuenire illos, quia vindicta futuri iudicij, in qua æternaliter damnabuntur, præuenit ista tẽporalis, *desolati à vobis ore,*

id est sermone, collocutione familiari, *aspectu*, id est, præsentia corporis, sed *non corde*, id est affectu dilectionis.

CAPVT III.

Lacuit nobis solis subaudis mihi & Silæ vel
P Siluano *manere Athenis, & misimus ad vos Timotheum. Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus*, subaudis à deo, vt persecutiones & tribulationes istius seculi patienter sufferamus, quatenus per ista temporalia perueniamus ad gaudia æterna.

CAPVT IIII.

Rogamus vos & obsecramus in domino Iesu Postquam laudauit Apostolus Thessalonicenses de perseuerantia fidei quam tenuerunt, non recipientes falsos Apostolos, cœpit eos exhortari vt semper in melius proficerent, bonisque operibus fidem exornarent, inquiens: Rogamus & obsecramus. Hanc habet Apostolus consuetudinem, vt verba sua duplicet ac triplicet vnum sensum habentia, vt in hoc loco. Quod enim est rogare in hoc loco, hoc est & obsecrare: & quod dixit in domino Iesu, tale est ac si diceret, per dominum Iesum. Tale quid inuenitur in epistola ad Hebræos, Locutus est nobis in filio, id est, per filium, *vt quemadmodum accepistis à nobis* audiendo & intelligendo à me & Siluano, *quomodo oporteat vos ambulare*, id est viuere, & cursum huius vitæ in bonis operibus perducere *& placere deo* fidem quam habetis, bonis operibus exornando *sicut & ambulatis* viuitis & conuersamini modo. *vt abundetis magis* scilicet vt magis ac magis crescatis in fide & bonis operibus. Ille enim placet deo, qui fidem rectam quam habet, executione virtutum decorat. Et ille bene abundat, qui crescente ætate fidei in se, studet etiam abundare in sanctis operibus, & in studio virtutum. *Scitis autem quæ præcepta dederim vobis per dominum Iesum*, id est in domino Iesu per me loquente. Quæ fuerunt illa præcepta quæ dedit eis? Præcepta fidei fuerunt, & conuersationis Christianæ, in quibus exhortatus est eos seruire deo viuo & vero, & expectare filiũ eius de cælis ad iudiciũ, quem suscitauit deus pater. Iesum dico, qui eripuit nos per passionẽ suam & per gratiã suam ab ira ventura. *Hæc est enim voluntas*

voluntas dei, sanctificatio vestra, id est hæc est voluntas dei, vt sanctificetis vos eo modo, quo sequentia manifestãt, videlicet *vt abstineatis vos à fornicatione*. Fornicatio isto loco tripliciter potest intelligi: Fornicari est per culturam idolorum à deo recedere, & idola pro deo vero colere. De qua fornicatione dicit Psalmista: Perdes omnes qui fornicantur abs te. Et illud: Fornicatus est Israel cum gentibus, id est idola coluit. Et est alio modo fornicatio quãdo homo amorem terrenarum rerum, filiorũ videlicet, possessionem diuitiarum, præponit amori omnipotentis dei, & recedit à deo per talia, qui vir animæ est. Tertio est fornicatio corporalis, qua quis coit cũ meretricibus, vel quocunq; modo libidinem suam explet *vt sciat vnusquisque vestrũ suum vas*, id est corpus suum & corpus vxoris suæ *possidere in sanctificatione*, id est in castitate, *& honore* tunc honorat quisq; corpus suum, & corpus vxoris suæ, quãdo abstinet à coitu: quia corpus castũ seruãdo, eius oratio castior & acceptior est deo, *nõ in passione desiderij*. Passio desiderij est quãdo homo velut equus & mulus, qui sunt sine intellectu, præceps fertur ad libidinẽ, nec frenat ardorẽ libidinis, respectu & timore omnipotẽtis dei *sicut gẽtes quæ ignorãt deum* Gentes quæ ignorãt deũ, fornicatrices sunt, & nimiũ libidini deditæ, vtpote non habẽtes cognitionẽ dei, sicut sunt Mauri, Vuandali, & maxime Sarraceni, intantum vt plurimi illorum sexaginta & eo amplius vxores habeant. & est sensus. Caueto & obseruate ne nimium & immoderate libidini seruientes, efficiamini similes gentibus, qui deum castitatis amatorem ignorãt, & cum eis damnemini, & multo amplius, quia seruus qui scit voluntatem domini sui, & non facit, vapulabit multis: & melius est via veritatis non cognoscere, quàm postea retrorsum abire. *Et ne quis supergrediatur, neq; circumueniat in negotio fratrem suum*. Beatus Apostolus sociique eius, prædicabant atque suadebãt suis auditoribus, diebus festis & diebus ieiuniorum abstinere ex consensu ab omni coitu, quod & multi faciebant obedientes præceptis & monitionibus eius. Et ne forsitan aliquis post deuotam continentiã instigante diabolo prouocaretur ad coitum illis diebus quibus habebãt deuotionẽ, ait Apostolus: Et ne quis vestrum supergrediatur neq; circunueniat in negotio isto coitus, id est ne aliqua circũuen-

tione violentiã inferat aliquis patri suo, voléti votum seruare, prouocãdo eum ad coitum, sed ex consensu ab omni coitu abstineãt, sicut deuouerũt, quia melius est nõ vouere, quàm votũ non implere, Cũ enim omni tẽpore oratio mũda placeat deo, tũc est acceptior & gratiosior apud deum, quãdo mũdo corde & corpore funditur, diebus scilicet ieiuniorũ. Vnde dominus ait per prophetã: Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Spõsum & spõsam in hoc loco cõiugatos debem⁹ intelligere. Dicit enim beatus Hieronymus, quia frustra assumitur pœnitentia in voce & habitu, nisi etiã abstineatur à delectatione carnis & coitus. Potest & de omni negotio & mercimonio intelligi, vt nemo debeat fraudẽ facere fratri, neq; circunuenire illum *quoniam vindex est dominus de his omnibus.* Non solũ de fornicatione & publica turpitudine, sed etiam de trãsgressione omnis boni propositi, verbi gratia, sicut de illis qui faciunt votũ, vt ex consensu abstineant à coitu tẽpore ieiunij, & postmodum nõ adimplent promissum. *Sicut prædiximus vobis*, subaudis præsentes *& testificati sumus* ita erit dominus vindex de omnibus. *Non enim vocauit nos deus*, ad fidem suam & gratiam, & ad patriam cælestem *in immunditiam.* Vt immunditiæ seruiamus, *sed in sanctificationem*, vt sanctè viuamus, sancti simus, imitantes eum qui dixit: Sancti estote, quia ego sanctus sum. Immunditiæ nomine intelligitur omnis incontinentia & impudicitia, & quocunque modo aliquis semetipsum polluat. Sanctificatio autẽ ista constat in orationibus, in ieiuniis, in eleemosynis, in hospitalitate, in charitate, cæterisque virtutibus. Beatus Apostolus more sanctorum patrũ volebat sanctificare Thessalonicẽses, sicut legimus & Moyses legislator daturus legem, sanctificauit populum, id est, monuit vt sanctè viuentes & mundi manentes, digni essent audire vocẽ domini, & percipere eius præcepta, dicens. Sanctificamini, lauate vestiméta vestra, abstinete ab vxoribus vestris. Si ergo deus illos vocauit in sanctificationem, quãto magis nos, quos redemit sanguine suo, & mũdauit per baptismi gratiã, in sanctificationem vocauit, quatenus digne possimus accedere ad sacramentum corporis & sanguinis eius? Similiter Beatus Iob mittebat per singulos dies ad filios suos, qui forsitã vxorati extra domum eius habitabãt, &

& sanctificabat eos, id est monebat eos sanctè viuere, quatenus illorũ sacrificia & vota accepta essent, Samuel quoq; cum venisset vngere Dauid in regem, vocauit Isai & filios eius ad sacrificium, & sanctificauit eos, i. monuit vt tales se præpararent, quatenus digni essent tanto honore, quorum frater à deo in regnum erat electus. Sic quotidie nos sanctificant Apostoli & sancti doctores, suis dictis admonẽdo vt sanctè viuamus, quatenus digni simus non solũ Christiani vocari, sed & filij dei, & vt deus omnipotens dignetur in nobis habitare. *Itaque qui hæc* subaudis verba, *spernit*, despicit, & contemnit, *non hominem spernit*, id est, non me despicit, *sed deum* cuius verba recito, & qui loquitur per os meum. *Nolumus ignorare vos de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent.* Philosophi & gẽtiles infideles non credentes resurrectionem, multos ex hoc decipiebant, negantes resurrectionem, & faciebant contristari & dolere de morte propinquorum. Et non solum infideles, sed etiam multi fidelium apud Macedones & Thessalonicenses contristabantur de morte parentum, non credentes eos resurrecturos. Pagani ergo & infideles meritò contristabantur de morte suorum, quia per mortem temporalem perueniebant ad vitam æternam. At verò credentes & fideles immeritò contristabantur super recessu fideliũ, quia per mortem temporalẽ perueniebant ad vitam æternam. Quapropter volens eos Apost. certificare de resurrectione, & consolari super morte proinquorum, ait. Nolo vos ignorantes reddere de dormietibus, quia resurrecturi sunt, vt nõ contristemini super morte eorũ, sicut infideles qui non habent spem resurgendi. *Si enim credimus quod Iesus mortuus est & resurrexit, ita & deus* Pater *eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.* Miram rem ait Apost. Christum qui iam viuit, & resurgens à mortuis iam nõ moritur, dicit fuisse mortuum, & electos mortuos appellat dormientes. Christum ergo appellat mortuum, vt dum audimus & scimus illum fuisse mortuũ & resurrexisse, nos quoque speremus resurrecturos per virtutem diuinitatis eius. Electos vocat dormientes, quoniam nemo hominum tam facile potest socium suum excitare à somno, quàm facilè omnes suscitabuntur à somno mortis. Quod autẽ dicit, quia deus pater eos qui dormierũt per Iesum, adducet cum eo,

id est,cum Iesu ad iudicium,tale est ac si diceret. Qui dormierunt in Iesu,illi nempe venient cum Christo in gloria ad iudicium,qui mortui sunt ante eius aduentum,& postea in fide passionis eius,& qui signo crucis sunt muniti,atque sacramento corporis & sanguinis eius die mortis muniti, credentes suam salutem ibi contineri. Dicit beatus Augustinus merito pro illis post mortem offerri sacrificium deo, & corpus domini consecrari,qui positi in seculo,deuotissime illud perceperunt, *Hoc enim vobis dicimus in verbo domini*,id est in sensu domini, quia deus omnipotens loquitur per os nostrum,*quia nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu domini,non præueniemus eos qui dormierunt.* in Christo, modo supra dicto. Sic videntur hæc verba Apostoli sonare, quod Apostolus suo tempore demonstrauerit diem iudicij venturum, Vnde & Thessalonicenses legentes hanc epistolã,putauerunt tempore Apostoli dié iudicii venturũ, Quapropter alloquitur & exhortatur eos in secunda epistola inquiens, Nolite terreri per epistolã quasi instet dies domini. Considerandũ est ergo quod ex persona electorũ loquitur, qui viui in corpore inueniendi sunt in aduẽtu domini,qui residui dicũtur esse patriarcharũ,prophetarũ,apostolorum,omniúmq; sanctorũ qui eos præcesserũt per spacia temporũ,& præcedunt modo,atq; præcedẽt vsq; ad diẽ iudicij,ad requiẽ animarũ,quia post illos relicti erunt. Tã velox ergo erit & celerrima resurrectio mortuorũ electorum,vt illi qui in corpore viui inuenti fuerint & superterram, non possint præuenire eos, eundo obuiam domino in aera,qui in puluere terræ iacebant, *quoniam ipse dominus Iesus in iussu*, id est in iussione dei patris descendet de cælo *& in voce archangeli & in tuba dei descendet de cælo,& mortui qui in Christo sunt*,mortui eo modo quo supradiximus,*resurgent primi*,Idcirco dicit,in iussu,quia iubente & disponente deo patre,veniet filius ad iudicium. Per vnum archangelum debemus(iuxta Augustinum)intelligere omnes virtutes angelicas,quia angeli personabunt vocibus eo venientes. Per tubam autẽ intelligitur vno modo magna vox angelorum &sonus,de quibus Marcus ait,Mittet filius hominis angelos suos cum tuba & voce magna. Quod per tubam intelligatur vox angelorũ, ostendit Psalmista loquẽs de domini ascensione:Ascendit deus in iubilatione,& dominus

minus in voce tubæ. Sicut enim ibi tubam appellat vocem angelorũ dicentium,Viri Galilæi,quid admiramini aspicientes in cælum &c.ita in hoc loco vocem angelorum tubæ cõparat dicentium, Ecce sponsus venit, exite obuiam illi,& exurgite de sepulchris vestris, occurrite ad iudicium redẽptori vestro. Ista vox qua omnes resuscitabuntur,bene potest appellari tuba. Alio modo tuba pro manifestatione ponitur,vt in euangelio ait dominus. Cum facis eleemosynã, noli tuba canere ante te,id est noli manifeste facere ne laudaris ab hominibus,sicut hypocritæ. In tuba ergo dei descendet dominus de cælo.i.manifeste veniet ad iudicium, vt ab omnibus possit videri.secundũ illud: Videbit omnis caro salutare dei, Licet ergo quidam pueriliter intellexerint quod dictum est in Iohel propheta, Iudicium domini veniet in valle Iosaphat, quasi in illa valle iudicaturus sit omnes gentes,non est ita intelligendum, quoniam nõ pro loco, sed pro interpretatione illud nomen posuit ibi propheta. Iosaphat nanque interpretatur vallis iudicij:& domini aduentus ad iudicium in valle erit reprobis:quia electis eleuatis ad superna cum domino, illi remanebunt in imis & in inferioribus inferni partibus. Dicamus & tertio modo secundum beatum Ambrosium,hoc quod dicit, in tuba dei descendet de cælo. Legimus quòd Moyses legislator domino præcipiente fecerit tubas argenteas, & postea Salomon in templo domini,quibus concrepabant in solẽnitatibus & in prælijs,sicut factum est quando muri Hiericho corruerunt,& postea à Gedeone, & sicut de solennitatibus dicit Psalmista. Buccinate in neomenia tuba. Rectè ergo dominus in tuba dicitur venire ad iudicium, quia ipse ad hoc veniet, vt quasi in prælio debellet aduersarios suos. Iudæos,Paganos,hæreticos,falsos Christianos, & victoriam sumat ex eis, dicens illis, Ite in ignem æternum, & ad hoc etiam vt remuneret electos suos introducendo illos ad solennitatem æternæ gloriæ & fœlicitatis. *Deinde nos qui viuimus,qui relinquimur,simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam domino in aera, & sic semper cum domino erimus.*

Ex persona illorum loquitur,sicut & superius,qui viui inueniendi sunt,qui dicunt. Simul rapiemur cum illis, subaudis qui nos præcesserunt ad requiem animarum, sed tunc pariter veniemus obuiam domino. Hoc verbum quod est

rapere, pro velocitate sæpe ponitur, & in hoc loco nimiã velocitatem resurrectionis & diem iudicij designat, de qua supra iam diximus. Nam sicut deus in momento cuncta fecit, ita in momento cuncta diiudicabit, cum dicit, Rapiemur ab angelis cum illis qui nos præcesserunt obuiam domino in aëra, ostendit quia nõ descendet dominus ad terras, sed in altitudine istius aeris sedebit ad iudicandum. Et cum addit. Et sic, id est, cum corpore & anima immortales effecti, erimus semper cum domino. Non debemus putare ꝙ in aëre cum domino simus regnaturi, quia finito iudicio reuertetur cum omnibus electis ad beatitudinem æternã, de qua descendit ad iudicium. Si electi qui viui reperti fuerint, rapientur in aëra obuiam domino ab angelis, quærẽdum est quomodo complebitur quod dictum est à deo primo homini Adæ, & in ipso omni semini eius, Terra es, & in terram ibis, cum illi mortem experti non fuerint? Quæ hoc modo soluitur secundum beatum Augu. Homo de terra factus est in corpore: & antequam inspiraret dominus in faciem eius spiraculum vitæ, id est antequam daret ei animam, illud corpus terra erat: & electi qui viui reperti fuerint, in ipso raptu dum angelicis manibus portabuntur, subitò morientur, subitóque resurgent: & dum anima in ipso raptu exierit à corpore, remanebit corpus terra. sed tamen breuissimum spacium tenebit ipsa mors, intantum vt nec cogitari nec perpendi possit. *Itaque consolamini vos inuicem*, ô Thessalonicenses de resurrectione *in verbis istis* & nolite dolere super morte parentum.

Gene. 3.

CAPVT V.

De temporibus subaudis diei iudicij *& momentis* vtrum æstate an hyeme, vere an autumno veniat, vel qua hora diei vel noctis *non indigetis vt scribam vobis.* Quare? *Ipsi enim diligenter scitis, quia dies domini sicut fur in nocte, ita veniet.* i. sicut fur subitò & insperatè intempesta nocte venit dormiente domino domus, ita insperatè veniet dies iudicij & domini aduẽtus. Dominus requisitus post resurrectionem de die illa, de regno vindelicet electorum, ab Apostolis dicentibus, Domine si in tẽpore hoc restitues regnũ Israel? ait: Nõ est vestrũ nosse tẽpora

pora vel momenta, & ante passio nẽ suam de eadẽ die ait: De die illa (inquiens) nemo scit, neque angeli qui sunt in cælo, neque filius, nisi pater solus. Ergo si pater nouit, vtiq; & filius nouit, qui vnius substantiæ est cũ eo. Sed idcirco dicitur filius ignorare, quia discipulos ignorantes reliquit. *Cum enim dixerint* subaudis reprobi *pax & securitas, tunc repẽtinus illis superueniet interitus.* i. subitanea perditio diei iudicij *sicut dolor est in vtero habentis* subaudis partum. *& non effugient.* Sicut mulier prægnans imminẽte tribulatione & persecutione, non valet effugere persequentium insidias, ita & illi non poterunt effugere, de quibus ait dominus: Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Sicut in verbis Danielis prophetæ inuenimus, regnãte Antichristo & ministris eius tribus annis & dimidio, & interfectis ab illo Elia & Enoch, sicut in Apocalypsi habetur, quo tempore erit persecutio talis, qualis non fuit antea, nec postea subsequetur, interficietur ipse Antichristus, & maxima pars membrorũ eius à Michaele, vt B. Gregorius dicit, & vt B. Paulus dicit, dominus Iesus interficiet eũ spiritu oris sui, in verbo suo & virtute sua. Quod vtrunque verũ potest esse: quia si Michael illũ interfecerit, non sua, sed dei virtus erit & iussio. Post mortẽ autem eius remanebunt quadraginta quinque dies, in quibus multa erit pax, vt in illis electi qui aliquid titubauerunt in persecutione, pœnitentiam agant, & saluentur, ministri autem Antichristi qui remanserunt post mortem eius, gaudebũt per illos quadraginta quinque dies, ducentes vxores, & conuiuia celebrantes, & iocos diuersi generis exercentes, ac dicentes: Licet princeps noster sit mortuus, modo nos habebimus pacem & securitatem. Et cum talia dixerint, subito veniet eis subitaneus interitus. *Vos autem non estis in tenebris.* Infidelitatis. *Qui enim dormiunt*, & quiescunt in peccatis, *nocte dormiunt*, id est, in peccatis & vitiis quiescunt & iacent, *Induti loricam fidei & charitatis, & galeam spei & salutis*, id est, habeamus fidem in Deum, charitatem in Deum & proximum, spem & expectationem futurorum bonorum in capite: quia de cælis veniet nobis salus: & his armis muniti, securi & liberi erimus in aduentu domini. *Non posuit nos Deus in iram*, id est, non ideo nos posuit Deus in fide sua, in ecclesia & cognitione sua, vt in nobis suam

vindictam exerceat: *sed in acquisitionem salutis.* posuit nos, vt salutem nobis inueniremus per fidem Iesu Christi, *vt sive vigilemus,* id est, viuamus in hoc seculo *sive dormiamus,* id est, moriamur in corpore *simul cum illo,* id est, cum Christo *viuamus* in anima & in spe resurrectionis. *Propter quod,* id est, propter illa quæ superius diximus de resurrectione, consolamini vos inuicem. *Rogamus vos vt noueritis eos,* id est diligatis, honoretis, & necessaria eis ministretis: *qui laborant inter vos* in prædicatione & doctrina *Rogamus vos corripite inquietos, consolamini pusillanimes.* Apud Thessalonicenses erant quidam vagi, & vt ita dicamus, gyrouagi, otiose viuentes, & nō laborantes manibus suis vnde viuerēt, neque orationibus aut psalmodiis vacantes, sed circuibant domos aliorum, atque peragrabant de loco ad locum, quærentes vnde viuere possent, cuius rei causa multos inquietabant. Vel etiam inquietos vocat superbos, qui causa superbiæ alios inquietabant. Iterum erāt alij pusillanimes & timidi, qui bonum timebant inchoare, ne forte non possent illud ad effectum perducere: vel si inchoabant, non libere illud agebant, sed verecundabantur ex hoc in præsentia aliorum, ipsique pusillanimes erant, quia aduersa huius seculi patienter ferre non volebant, ideóque scandalizabantur in verbo & facto aliorum. Inquietos ergo, id est, vagabundos, otiosos & instabiles, vel superbos qui alios molestabant, præcipit Apostolus corripi à prælatis & magistris, quatenus desisterent ab otiositate, quæ est inimica animæ, & deponerent superbiam radicem omniū vitiorū, Pusillanimes autem præcipit consolari blandius, vt per exhortationem & consolationem præpositorum roborarentur in omnibus bonis, *Suscipite,* subaudis in officium charitatis *infirmos* in fide, non in corpore *patientes estote ad omnes.* Modo admonet prælatos vt subiectorū improbitatem & impatientiam patienter ferant dum in aliquo contra eos murmurant, Solent enim inquieti & immodesti seu impatientes quando corripiuntur à prælatis, insurgere contra eos, & impatienter ferre illorum correptionem, nolentes ab eis corripi, sed suam voluntatem implere: quorum animositatem debent prælati ad tempus sustinere, & iterum tempore opportuno & cōgruo cum consilio & auxilio emendare *videte,* id est, cauete *ne quis vestrum*

strum malum pro malo alicui reddat. Hoc vult ostendere Apostolus isto in loco, vt non solum malum pro bono non debeamus reddere, sed nec malum pro malo. Quatuor modis redditur aut bonū pro malo, aut bonū pro bono, aut malū pro bono, aut malum pro malo. Bonum pro malo redditur, sicut redēptor noster nobis, qui mortui & perditi eramus, atque propter peccata à deo alieni, quando per passionem suam & baptismi gratiam nos redemit. Bonum pro bono, sicut in die iudicij dabit electis dicēs eis: Quia esuriui, & dedistis mihi manducare, percipite regnū vobis paratū. Malum pro bono redditur, sicut Iudas & Iudæi domino reddiderunt. Vnde ipse dixit eis per Zachariam prophetam: Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam, & est sensus: Infirmos vestros curaui, leprosos mundaui, mortuos suscitaui, esurientes paui, date mihi ex hoc mercedem, si dignum & bonū est. Et appenderunt mercedem meā triginta argenteos. Malum pro malo reddet dominus reprobis in die iudicij, dicens eis: Quia esuriui, & non dedistis mihi manducare, ite in ignē æternū. Quapropter nō debemus vindictam expetere, vti reddamus malum pro malo, quia non possumus hoc tranquilla mente agere, sed debemus illi reseruare, qui semper idem & æqualis manet, & qui dixit mihi (sub.) vindictam reseruate, & ego retribuam illis supplicia, vobis autem præmia. Malum siquidem pro malo reddere non est bonum: malum vero pro bono valde nimiúmque malum est, sed *semper quod bonum est sectamini,* id est, imitamini & persicite *in inuicem* siue alterutrum *& in omnes* hoc est, non solum in credentes, sed etiam in non credentes, quia fratres sumus omnes secundum carnem. *Semper gaudete,* Non in diuitiis caducis, & temporalibus, honoribus, sed in domino gaudete, & bonis operibus, & quia filij dei estis *sine intermissione orate.* Quis hominum mortaliū potest semper orationi insistere? Aut ergo totum tempus pro parte posuit Apostolus, vt dicat illum semper orare, qui canonicas horas obseruat secundum morem & consuetudinem sanctorum patrum: aut etiam illum, qui semper de deo cogitat, & deo placere desiderat. Quandiu enim quis bene cogitat, & bonum desiderat, semper orat. Nā quicquid boni iustus agit, ad orationē est referendū, & nunquam desinet orare, nisi desierit iustus esse, *in omnibus*

gratias agite, id est,in fide,spe,charitate, ceteríſque bonis operibus, & in proſperis & in aduerſis ſemper gratias & laudes agite deo,quia neque proſpera niſi eo donãte,neq; aduerſa niſi eo permittente euenient. *Hæc enim eſt voluntas dei in omnibus in Chriſto Ieſu*, id est,per Chriſtum Ieſum, à quo omnia bona nobis donãtur,& ſine quo nihil boni agere valemus,ſicut ipſe dixit:Sine me nihil poteſtis facere Hæc eſt(inquit)voluntas dei,vt malum pro malo non reddatis, bonum ſemper ſectemini,ſine intermiſſione oretis, vt gaudeatis in domino,& in omnibus ei gratias referatis. *Spiritum nolite extinguere*. Dicamus hoc ſecundum Ambroſij ſenſum.Spiritum nolite extinguere,id eſt,ſi aliquem ad horam ſpirituſſanctus repleuerit ſua gratia,vt poſſit interpretari diuinas ſcripturas.& diuina myſteria loqui, nolite eum prohibere quin loquatur & doceat:quia deus qui os aſinæ aperuit,quę ſeni nõ aperit,reuelat ſæpe iuniori quod melius eſt.Aliter ſecundum Auguſtinũ:Spirituſſanctus qui vnius ſubſtantiæ eſt cum patre & filio, in ſua natura non poteſt extingui, ſed per vitium noſtrum extinguimus illum in nobis,dum illum à nobis excludimus peccãdo Spirituſſanctus,inquit,diſciplinæ, effugiet fictum.Dum ergo tradimus corpus noſtrum libidini, & coniungimus illud meretrici, quod tempore baptiſmi & manus impoſitionis factum eſt templum ſancti ſpiritus,excludimus illum à nobis & fugamus, & quantum eſt in nobis(vt Augu.dicit) extinctores ſumus eius.Sed ne hoc agamus,ait Apoſto.ſpiritum ſanctum qui in vobis cœpit habitare tempore baptiſmatis,nolite fugare à vobis,neque extinguatis illum in vobis peccando,& tradendo corpus veſtrum diuerſis turpitudinibus,quod templum eius debet eſſe *Prophetias nolite ſpernere*, id eſt,ſi aliquis volet explanare dicta prophetarum,ſicut Hieronymus cæteríque doctores ad ędificationẽ auditorũ loqui & prædicare,nolite illum deſpicere,nolite conteñere,ſed humiliter attendite quæ docet. *Omnia autem probate:quod bonum eſt tenete*. Hoc eſt, attendite omnia quæ ille loquitur.probate vtrum dicta illius & verba conueniunt dictis euãgelij,dictis prophetarum,& dictis Apoſtolorum,Quod ſi probaueritis non diſcrepare à ſenſu ſanctorũ patrum verba illius,quod bonũ eſt,tenete corde,& opere perficite *ab omni ſpecie mala abſtinete vos*, id eſt ab omni

mni re mala,& cogitatione praua,& opere peruerſo abſtinete vos. *Ipſe autẽ deus pacis*, id eſt,dominus Ieſus,qui pacẽ reliquit diſcipulis ſuis,& omnibus nobis dicens, Pacẽ relinquo vobis,& qui etiam nos pacificauit & reconciliauit deo patri per paſſionem ſuam,ipſe *ſanctificet vos per omnia*, id eſt, ſanctos faciat in omnibus quæ cogitatis, & opere perficitis *vt integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur*. Quod dicitur, integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſeruetur, dupliciter poſſumus intelligere,Homo conſtat ex corpore & anima & ſpiritu,tamen in eo non ſunt tres ſubſtantiæ, ſicut Didymus contendit,nec eſt tertius in ſubſtantia hominis ſpiritus,ſed ſpiritus ipſe eſt anima,vnde dicitur in euangelio,Inclinato capite emiſit ſpiritum, & idcirco appellatur anima ſpũs,eò quòd ſpiritalis naturæ eſt,vel quòd ſpiret in homine,anima vero dicta eſt eò quòd ad viuificãdum animet corpus,& ad viuẽdum corpori data ſit.Ita etiã rationabilitas & excellẽtia animæ qua ſapimus,& diſcernimur ab aliis creaturis,ſpũs appellari ſolet,ſicut oſtẽditur ibi:Benedicite ſpũs animæ iuſtorum domino,tamen quia ſpiritus & anima vnũ ſunt, inde apparet quia corpore incedimus,anima viuimus,ſpũ intelligimus & ſapimus.De quo ſpũ ſiue rõnabilitate animæ,quę rõnabilitas etiã mens appeliatur,loquitur,hic Apoſt.cũ ait:vt integer ſpiritus veſter & anima &c. Orat ergo Apo.vt ſpiritus,id eſt,rationabilitas noſtra integra & incorrupta atq; inuiolata permaneat: & anima & corp⁹ ſimiliter incorrupta & immaculata permaneãt vſq; in diẽ mortis noſtræ, vel in diẽ iudicij,ſicut ab omnibus ſordibus peccatorum mũdati ſumus tẽpore baptiſmatis, Quia ergo poteſt corpus mundũ eſſe, & anima ac ſpiritus inquinari per malũ cogitatũ & deſiderium: ideo dicit totũ in homine mundũ eſſe debere. Aliter: Spiritus ſanctus ſæpe ponitur pro gratia & donis ſuis,ſicut in epiſtola prima ad Corin.Spũs(inquit)prophetarũ ꝓpheti ſubiectus eſt,id eſt,dona ſpirituſſancti:quia non cogũt homiñe loq ſicut arreptitiũ & dæmoniacũ,ſic in iſto loco poteſt intelligi pro gratia ſua q̃ nobis datur tẽpore baptiſmatis,qua mũdamur ab omnibus inquinamẽtis vitiorum,quã orat Apoſt.vt integra & incorrupta atq; immaculata maneat in nobis,ne noſtro vitio & immũditia corrumpatur,

aut minuatur, vel fugatur à nobis. Si enim mala vita aut cogitatio incidit: non est iam integra ipsa gratia, quia deserit hominem obnoxiũ peccatis. Nam dum ea agit homo quæ odit spiritus sanctus, recedit ab eo eius gratia ex toto, aut minuitur illi qui peccat. Deus (inquit) pacis sanctificet vos per omnia, id est, totum hominem, vt gratia spiritus sancti quam percepistis tempore baptismatis, non recedat à vobis, sed integra maneat vobis, & anima incorrupta sit, corpusque immaculatum, & totus homo mundatus integer seruetur sine querela. Non dicit sine peccato, quia non est homo qui faciat bonum & non peccet, & in multis offendimus omnes. Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est. *Fidelis est*, id est, verax in promissionibus suis. *qui vocauit vos* ad fidem & gratiam suam. *qui etiam faciet* subaudis id quod promisit. Fidelem dicit deum in promissionibus suis, vt securi de præmio rectè conuersentur.

¶ In epistolam ad Thessalonicenses posteriorem argumentum Haymonis.

THessalonicenses accipientes priorem epistolam, cũ peruenissent legendo ad illum locum vbi loquitur Apost. ex persona electorum, qui in die iudicij inueniendi sunt viui, inquiens, Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra: conturbati sunt: nimiúmque perterriti, putãtes Apostolum ita esse locutum, quasi suo tempore & illorum venturus esset dominus ad iudicium, & timebant illi, mittit cũ diabolo in carcerem æterni supplicij, eò quòd tarde venientes ad fidem imperfecti essent. Quapropter Apo. vt comperit illos super hoc tristari, scripsit eis istam epistolam secundam, in qua significauit eis nondum imminere diem iudicij suo tempore: & ostendit eis quòd antea destruendũ esset regnum Romanorum, tamen occultè & obscurè. Neque enim audebat apertè scribere de abolitione regni Romani, ne forte in credentes persecutionem excitaret. Denuntiat etiam aduentum Antichristi, & interfectionem eius.

In epistolam

IN EPISTOLAM PAVLI ad Thessalonicenses posteriorem, exegesis.

CAPVT I.

PAulus & Syluanus idem est initium idémque sensus quem in priori exposuimus, *Supercrescit fides vestra.* Fides augmento eget, vnde Apostoli dicunt domino, Adauge nobis fidem. Et quidam alius: Credo domine: adiuua infidelitatem meã, *Gloriamur in tribulationibus quas sustinetis in exemplũ iusti iudicij dei.* Sicut ex verbis Prosperi aliorúmq; doctorũ colligere possumus, nihil agitur in hoc mundo, nisi aut deo faciente, aut ipso permittente. Sancti ergo martyres aliique fideles deo permittente, multa pericula & aduersa in hoc mundo ad exemplum iusti iudicij dei patiebantur, quoniã in ipsis ostendebatur, quia si illi qui dilecti deo erant, talia patiebãtur, multo ampliora & grauiora reprobi & inimici illius in die iusti iudicij dei susципient. Iustũ dei iudicium dicit, quia tunc iudicabit deus orbem terræ in æquitate. *Si tamen iustũ est apud deum retribuere malis mala, & bonis bona.* Si tamen cõiunctio causalis in hoc loco non pro dubitatione ponitur, sed pro affirmatione, quasi diceret. Quoniã iustum est deo ita agere *in reuelatione*, id est in manifestatione *domini Iesu de cælo* venientis ad iudicium *cum angelis virtutis eius*, sicut ipse dixit: Cũ venerit filius hominis: & omnes angeli cum eo, *& in reuelatione domini Iesu dantis vindictam*, reprobis in flamma ignis *his qui non nouerunt deum*, i. paganis *& qui non obediunt euangelio*, hæreticis videlicet & falsis Christianis atque Iudæis. Bene in flamma ignis dicit daturum dominũ vindictam reprobis, quia ignis præcedet eum, tantum spatium aeris occupans, quantum occupauit aqua in diluuio, qui ardebit terram & crassitudinem aeris, & purgabit electos, reprobi autem audientes à domino, Ite in ignem æternum, inuoluentur ab isto igne, & trahentur ad supplicia inferni, *qui* reprobi *dabunt pœnas æternas in interitum*, dabunt pœnas aliis, sed sibi dabunt & inferent, quia mala

fecerunt pro quibus talia recipient. Dare etiam aliquando ponitur pro sustinere, sicut in Vergi. Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo, id est, sustinet pœnas, ita & hic dabunt pœnas, id est, sustinebunt. *Cum venerit glorificari in sanctis suis*, id est, clarus apparere eis & blandus, reprobis autem terribilis & sæuus. *Quia creditum est testimonium nostrũ super vos de illo*, id est quia receptum & creditum est Euangelium & prædicatio nostra in nobis & à vobis in die illo, id est propter illum diem, vt euangelium perhibeat vobis testimonium credulitatis in die illo, & recipiatis mercedẽ æternam. *In quo* subaudis negotio *oramus* vel ad hoc oramus semper pro vobis, &c.

CAPVT II.

Rogamus vos fratres per aduentum domini nostri Iesu Christi & nostræ congregationis in ipsum. Duos domini aduentus legimus, primum in humilitate, secundum in potentia, quando veniet ad iudicium, de quo hic agitur. Congregationem suam appellat multitudinem electorum, vel quæ cum eo veniet, vel quæ ei obuiabit ad iudicium. In ipsum dicit, quasi in ipso, quia in Christo sunt omnes electi, vtpote membra, adhærentes illi. Rogamus vos *fratres per aduentum domini Iesu* ad iudicium *&* per aduentum *nostræ congregationis in ipsum*, id est omnium sanctorum qui in ipso consistunt, *vt non cito moueamini*, id est non cito conturbemini, *neque terreamini*, quasi instet dies domini. *neque per spiritum*, id est, si aliquis se dixerit admonitũ à spiritu sancto quod dies iudicij immineat, nolite illi credere, neque terreamini eius verbis. *Neque per sermonem*, id est, per tractatum. Si aliquis explanator & tractator prophetiarum vobis dixerit, collegi sensum prophetæ Isaiæ & Danielis, aliorúmque prophetarum, & præuideo diem iudicij imminere, & Christum venire ad iudicium, nolite ideo terreri *neque per epistolam tanquam per nos missam.* Si aliquis pseudoapostolus hoc finxerit, nolite ei credere. *Quoniam nisi venerit discessio primùm*, vt discedant omnia regna à regno & imperio Romanorum *&* reuelatus sue manifestatus *fuerit homo peccati.* Antichristus videlicet, qui licet homo sit, fons tamen erit omnium peccatorum. *&* filius perditionis, id est,

est filius diaboli, non per naturam, sed per imitationé. Qui ideo appellatur perditio, quia per illum venit perditio, & ipse perdidit humanũ genus *qui aduersatur*. i. contrarius est Christo, omnibúsque membris eius, *& extollitur* siue erigitur in superbiam *supra omne quod dicitur deus, aut quod colitur.* Non est verum quod ait: Quod dicitur deus, aut quod colitur. Extollet se Antichristus supra omne quod dicitur de⁹, id est supra omnes deos gentium, Herculé videlicet, Apollinem, Iouem, qui falsò dicũtur dij, & supra omnes electos qui nuncupatiuè vocantur dij, vt Moyses cui dicitur: Ecce constitui te deum Pharaonis. & in lege: Diis ne detrahas id est, sacerdotib⁹ &, Ego dixi, dij estis. Igitur super omnes ipsos extollet se Antichristus: & maiorem se dicet omnibus ipsis, & non solum super illos sed etiam (quod maius est) supra omne quod colitur, id est, supra sanctam trinitatem, quæ solummodo colenda & adoranda est ab omni creatura, ita se extollet, vt in templo dei sedeat ostendens se tanquã sit deus. Hoc dupliciter potest intelligi. Nascetur Antichristus in Babylone de tribu Dan iuxta quod Iacob dicit: Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita. Et cum venerit Hierosolymã circuncidet se, dicens Iudæis, Ego sum Christus vobis promissus. Tunc confluent ad eum omnes Iudæi, & reædificabunt templum, quod est destructum à Romanis, sedebítque ibi, dicens se esse Christum, Vel etiã in templo dei. i. in ecclesia sedebit, ostendens se tanquam sit deus. Nam sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis requieuit, ita in illo homine qui Antichristus appellatur, eo ꝙ sit cõtrarius Christo, plenitudo malitiæ & omnis iniquitatis habitabit: quia in ipso erit caput omnium malorũ diabolus, qui est rex super omnes filios superbię. His verbis demonstrauit Apostolus Thessalonicensibus, nõ prius venturum dominũ ad iudicium, quã regni Romani defectio fieret: quod iam non impletum videmus, & Antichristum apparere in mundo, qui interficiet Christi martyres. *Non retinetis quòd cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis de aduentu Antichristi, & de die iudicij. Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore.* Dicit: Scitis quid detineat, & non demonstrat quid: Quod nihil melius ibi intelligitur voluisse significare, quàm destructionem regni Romanorũ, de qua obscure hic locutus est, ne forte aliquis

Exod. 7.
Exod. 32.
Psal. 71.
Gene. 41.

Romanorum legeret hanc epistolam, & excitaret contra se aliósque Christianos persecutionem illorũ, qui se putabant semper regnaturos in toto mundo. Vos scitis (inquit) quid detineat illũ Antichristũ, & quid moretur illum: quia necdum destructum est regnum Romanorum, nec recesserunt omnes gentes ab illis. Vt reueletur siue manifestetur ipse Antichristus in suo tẽpore, id est, congruo tempore & à deo disposito, scilicet postquã omnia regna discesserint à Romano imperio. *Nam mysterium iniquitatis iam operatur.*

Mysterium Græce, latino vocabulo dicitur aliquid occultum & secretum. Mysterium ergo iniquitatis appellat interfectionem sanctorum martyrum, & persecutionem quam inferebat Nero & principes eius fidelibus Christi. Quæ ideo appellatur mysterium, quia quod diabolus operaturus est manifeste per Antichristũ interficiẽdo sanctos martyres Eliam & Enoch, aliósq; plurimos, hoc operatur iam occulte per membra sua. Neronem ac principes eius, interficiens per illos principes, martyres, Apostolos. Istud mysterium iniquitatis cœptũ est à Nerone, qui occulte instigante patre suo diabolo, zelo idolorum interfecit sanctos martyres, & peruenit vsque ad Diocletianũ & Iulianum apostatã, qui plurimos sanctorum perimerunt. Sicut ergo Christus, qui est caput omnium electorũ, longe ante suum aduentum occulte & per mysteriũ præfiguratus est, sicut in morte Abel, & in immolatione Isaac, & in Dauid rege, qui Goliam interfecit, qui diabolum significabat, quẽ Christus in sua morte & passione debellauit: ita diabolus qui in Antichristo erit, in mẽbris suis, malis, scilicet regib⁹ præfiguratus est occultè, & per mysteriũ tantũ, *vt qui tenet nunc teneat donec de medio fiat.* i. hoc solũmodo restat, vt Nero qui nũc tenet imperiũ totius orbis: tandiu teneat illud, donec de medio mundi tollatur potestas Romanorum. In Nerone comprehendit omnes Imperatores Romanos qui post illũ imperij sceptra tenuerũt. Ideo dicit: Donec de medio tollatur: quia vndique ex omnibus gentibus cõfluebãt Romam, & quasi in medio mundi erat, habens in circuitu suo omnes gentes: vel quicquid intra initium & fines continetur, medium potest dici. *Et tunc* subaudis cũ ablata fuerit potestas à Romano imperio, *reuelabitur* siue manifestabitur *ille iniquus*, Antichristus. *quem dominus Iesus interficiet*

spiritu oris sui. Siue dominus Iesus interfecerit illum potentia iussionis suæ, siue Michael interfecerit eum, virtute domini Iesu occidetur, non virtute Michaelis. Occidetur autem (sicut doctores tradunt) in monte oliueti, in Babylone & solio suo, illo in loco contra quem dominus ascendit in cælos. Quod verò dicit Apostolus: Tunc reuelabitur ille iniquus, postquam fuerit destructum Romanum imperium non est ita intelligendum, quod statim dixerit illum venturum sed primum illud destruendum, ac deinde Antichristum venturum, tempore à deo disposito, *& illustratione* siue claritate *aduentus sui* destruet dominus Iesus *eum*, id est Antichristum, *cuius est aduentus secundum operationem satanæ.* Hoc ad ipsum diem iudicij pertinet, quando destruetur ipse Antichristus cum omnibus membris suis: audient enim à domino: Ite in ignem æternum. Notandũ quia nõ statim veniet dominus ad iudiciũ, vbi fuerit Antichristus interfectus: sed (sicut ex libro Danielis intelligimus) post mortẽ illius concedentur electis ad pœnitentiã dies quadraginta quinque. Quantulũcunque verò spatium temporis sit vsquequo dominus veniet, penitus ignoratur. Quódque dicit: Cuius aduentus erit secundũ operationem satanæ, intelligendum est, quia quicquid operabitur, diabolo instigante & cooperante implebit, qui ex toto illũ possidebit: tamen non amittet sensum, vt ignoranter dicat se nescire deum: neq; vexabitur à diabolo, sicut phrenetici: quia si ita esset, nequaquam peccatum haberet quicquid ageret: sicut illi non habent qui phreneſim patiuntur, qui nesciũt quid agant, *in omni virtute, signis & prodigijs mendacibus*, subaudis erit aduentus Antichristi. Signa & prodigia pro vno accipiuntur. In signis ergo & prodigiis mendacibus operabitur, quia videbitur mortuos suscitare, & alia multa signa facere, sed mendacia erunt, & à veritate aliena, quia per magicam artem & phantasiam deludet homines, sicut & Simon magus delusit illum, qui putans eum occidere, arietem decollauit pro eo. Vel etiam in signis & prodigiis mendacibus erit aduentus eius, quia per signa & prodigia falsa quæ videbitur operari, tradet homines ad mendaciũ colendum, id est, ad semetipsum, qui est mendax & pater eius. *& omni seductione* siue deceptione *iniquitatis erit his qui pereunt*, id est Iudæis & paganis, *eo quòd charitatem veritatis*

Ioan.16. *tis non receperunt vt salui fierent*.i. spiritum Christi,'qui dixit: Ego sum veritas, per quem spiritum sanctum infunditur dilectio dei & proximi in cordibus nostris. Ideóq; quia neque Christiũ neque spiritum sanctũ voluerunt recipere, *mittet illis deus operationẽ erroris*, id est permittet ad eos venire Antichristum operatorem mendacij. Plus est quod dixit operationem, quam operatorẽ, quia ipsam rem mittet eis, id est, ipsum mendacium, & patrem omnis malitiæ & iniquitatis. *vt credant mendacio*, id est diabolo *vt iudicentur* siue damnentur, *omnes qui non crediderunt veritati*, Christo *sed cõsenserunt iniquitati*, diabolo, quod elegerit nos apostolos primitias in salutem omnium gentium. Apostoli primitiæ fuerunt: quia primi crediderunt. *In acquisitionem gloriæ domini Iesu*, id est, vt vos acquisiti ad fidem nostra prædicatione, augmẽtum faciatis corpori Christi, & glorificetur per vos atque laudetur, iuxta illud: Videant opera vestra bona, &

Mat 5. glorificent patrem vestrum qui in cælis est. *Deus pater qui* in tantum *dilexit nos* vt filium suum pro nobis daret, & *dedit consolationem æternam* promittendo nobis regnum cælorum, *& spem bonam* expectationem futurorum bonorum, *in gratia* sua non in merito nostro, *exhortetur*, id est, doceat corda nostra,

CAPVT III.

E cætero orate pro nobis, vt sermo domini currat ab ore nostro ad aures vestras, & ab auribus ad cor, sic quod vertatur in operationẽ. *vt liberemur ab importunis.* qui non stant in portu quietis. *Dominus autem dirigat corda vestra*.i. si quid fortitudinis in vobis habetur, augeat & faciat vos per rectitudinẽ vitæ ambulare, & rectos gressus figere in bono opere *in charitate dei* & proximi *& patientia Christi*, vt patiẽtes sitis inter aduersa huius seculi, sicut Christus pertulit patiẽter opprobria, irrisiones flagella, crucem: vel (sicut quidam codices habent) in expectatione Christi, vt expectetis Christi aduentum ad iudicium. *Gratis panem non manducauimus*, id est, sine labore. *Si quis non obedit verbo* subaudis nostro, aut vestro, vt non sit otiosus *per epistolam* subaudis vestram *hunc notate* notate vobis, & nos aspere increpabimus illum. *Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola.* In fine omnium epistolarum Hebraicis literis & Græco sermone nomen suum scribebat, ne illud quod sequitur, ab aliquo pseudoapostolorum potuisset corrumpi, *Ita scribo*: Quomodo? *Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis, Amen.*

IN EPISTOLAM PRIOREM AD Timotheum, argumentum Haymonis.

THimotheus, filius fuit mulieris viduæ, patre gentili Græco procreatus. Quem mater dum vellet circũcidere secundũ præceptum legis, pater prohibuit, qui erat incircuncisus: vtpote gentilis. Traditus autem literis, eruditus est tam diuinis scripturis quàm liberalibus artibus: sociatúsque Beato Paulo, factus est ei comes in prædicatione: ac postea ab illo ordinatus & constitutus episcopus: Cui Apostolus direxit hanc epistolam, instruens eum de ordinatione episcopatus, diaconij, omnísq; ecclesiasticæ disciplinæ & ordinis: & quomodo deberet docere populum.

IN EPISTOLAM P. AVli ad Timotheum priorem Exegesis.

CAPVT I.

Paulus Apostolus Christi Iesu secundum imperium dei, id est secundum iussionẽ & voluntatem dei patris *saluatoris nostri* & secundum iussionem *Christi Iesu spei nostræ*. Salutem refert ad deum patrem: & spem nostram ad Christum: quia deus pater dedit nobis salutem per filiũ suũ: quẽ dignatus est mittere nobis: & per spiritum sanctum, quem nobis tribuit tempore baptismatis: & tempore manuum impositionis. Per Christum autem habemus spem, id est expectationem futuronũ bonorũ: quia sicut ille resurrexit à mortuis & ascẽdit ad cælos: ita nos speram⁹ resurrectionẽ nobis profuturã peripsum: & ad gloriã æternæ beatitudinis ascensuros.

Timotheo dilecto filio in spiritu, in doctrina: *in fide* non carne. *Gratia* qua gratis dimittuntur peccata, *& misericordia & pax* qua reconciliamur deo patri. Misericordiam mediam interposuit: vt ostenderet, quia gratia & pax per misericordiam dei nobis confertur, non per meritum nostrum. *Sicut rogaui te vt remaneres Ephesi*, quæ est ciuitas metropolis Asiæ. *Cum irem in Macedoniam*, prouinciam Græcorum, *vt denuntiares quibusdam*, id est, Iudæis iudaizantibus, & non rectè credentibus, *ne aliter docerent*, subaudis, quàm nos docemus *neque intenderent fabulis & genealogiis interminatis*, id est, generationibus quæ terminum non habent, *quæ* fabulæ & genealogiæ, *quæstiones præstãt magis quã ædificationem dei, quæ est in fide*. De Iudæis loquitur, qui præter pentateuchum & prophetas aliásq; scripturas, habent quasdam traditiones, non scriptas, sed memoriæ commẽdatas ex traditione patrum, quas Aposto. fabulas, id est fictiones & cogitationes appellat, quæ nullam vtilitatẽ habent in se, nisi cõtentiones generãt & quæstiones. Ex quibus pauca de pluribus dicam: Traditio illorũ est, in exordio duas mulieres esse factas, Euam, & alteram: ex quibus dicunt multos filios esse natos, quod nusquã sacra scriptura narrat. Tales etiam erant illi, de quibus dicit dominus,

Matt.15. Væ vobis pharisæi & scribæ, qui superponitis traditiones vestras mãdatis dei, dicẽtes patri, Corban. i. donũ vel munus quocũq; ex me, tibi proderit, & multa his similia. Similiter de genealogiis proponebãt quęstionẽ, quot annis vixerit Mathusalẽ, Heber, Noë, cæteríq; patres: & quid fecerint, & quomodo vel quãdo, vnde proponunt quæstionẽ. Si Salomõ duodecimo anno ætatis suæ vnctus est in regẽ, & quadraginta annis regnauit. & Roboã filius eius quadragesimo similiter anno ætatis suæ suscepit regnũ. quomodo Salomõ duodenis potuerit filiũ procreare? Quæ traditiones & genealogiæ nullã ædificationẽ dei præstant, quæ est in fide. i. quæ ad fidẽ dei pertinet. Aedificatio dei est, quãdo quis ea loquitur, quæ aliquid vtilitatis habẽt, per quæ præparat & ædificat deo tẽplũ in cordib⁹ auditorũ. Sed signẽta Iudæorũ quæ memoriter recitãt, nullius vtilitatis sunt. Dicit enim beatus Hieronymus: Quid mihi prodest scire quot annis vixerit Mathusalem, Noë, Sem, aliique patres? Nihil. Sic intelligẽdum est de fictionibus illorum, à quibus Apostolus præcipit eis per Timotheum vt desistant. *Finis enim præcepti est charitas*. Finis est terminus, finis est consumptio qua consumitur cibus, vt vltrà non sit quod erat, Vnde dicimus, finitus est cibus. Finis etiam est cõpletio, perfectio, consummatio, qua cõsummatur tela, vnde dicimus, finita est tela. i. texendo perfecta est, & cõsummata. Sic finis præcepti, siue præceptorũ perfectio & completio est charitas. Totã enim magnitudinẽ & latitudinem diuinorum eloquiorũ secura possidet charitas, qua diligimus deum & proximũ. Omnis igitur præcepti finis siue completio charitas est, id est ad charitatẽ refertur omne preceptum, quia qui deũ diligit, nõ peccat: & qui proximũ amat vt seipsum, no delinquit, quia non adulterat vxorem eius, quoniam nó vult suã adulterari nõ occidit alium, quia non vult occidi. Sic de cæteris intellgẽdum est præceptis. Et ipsa charitas *De corde puro* debet esse, non de ficto: *& conscientia bona & fide non ficta*. Conscientia sæpe ponitur pro spe, sicut in hoc loco. Charitas ergo de spe bona debet procedere, quia ideo debet deum & proximum diligere, vt æterna præmia se speret exinde recepturum. De fide etiam non ficta, vt quod credit & intelligit, opere perficiat. Nam fides ficta est quæ cõfitetur ore, sed nõ tenetur corde, neq; exornatur operibus: quã multi habent, de quibus dicitur: Confitentur se nosse deum, factis autem negant. Fides vero vera est, quæ tenetur corde, profitetur ore, perficitur opere, *A quibus* subaudis virtutibus, id est, à charitate, spe bona, & fide nõ ficta *aberrantes quidam* Iudæorum *conuersi sunt in vaniloquium* loquentes ea quæ vana sunt, nullámque vtilitatem in se habentia. *Volentes esse legis doctores, non intelligentes* ea sicut intelligenda sunt *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Iudæi siquando de praua & falsa opinione sua, & de fabulis & traditionibus suis vanis reprehendi & conuinci cœperint, ad defendendum id quod leuissima temeritate & cogitatione, necnon & apertissima falsitate dixerunt, eosdẽ libros suos, vnde id probant, proferre conãtur: vel etiam memoriter, quæ ad testimonium valere arbitrantur, multa verba inde pronuntiant: non intelligentes sicut intelligenda sunt: neque quæ loquuntur: neque testimonia quæ proferunt de quibus volunt affirmare, suam falsitatem ponentes incongrua exempla: *sicut*

autem quia bona lex est, si quis ea legitime vtatur. Ille vtitur legitime lege, qui intelligit quare sit data, videlicet ad reparandā & roborandā naturalem legem, quam genus humanum in cōculcatā habebat, & qui intelligit quandiu obseruari debuit in figura, scilicet vsque ad Christi aduentum, & qui ea quæ in lege præcipiuntur carnaliter & in figura, post domini aduentum spiritaliter intelligit, & iam non in figura, sed in veritate adimplet, videlicet vt circuncidat se, id est, expoliet per baptismum & per pœnitentiam ab omnibus peccatis, & celebret sabbatum spiritaliter, quiescendo à prauo opere, & præcepta moralia teneat. Qui taliter vtitur lege, bona est illi lex *scienti hoc, quia iusto non est lex posita*, id est, iustificato per fidem & gratiam baptismatis, & legē volenti implere, non est lex posita, id est, imposita vt supra illum sit. In illa enim est potius, & cum ipsa quàm sub illa, quia amicus legis est. Vnde si omnes iusti essent, nequaquā esset lex data. *Sed iniustis & peccatoribus* data est lex, vt illi eius timore desinant peccare. *Plagiarius* subaudis posita est lex. Plagiarij sunt seductores, qui homines seducendo furantur & vendunt *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* In Græco habetur, humanus sermo, id est, iucundus, gratus & acceptus. Quid enim iucundius, quid gratius vel acceptius, quam audire, quia Christus Iesus venit peccatores saluos facere? Si ergo est humanus, nunquid est & diuinus? Est vtique, quia nisi esset diuinus, nequaquam potuisset peccatores saluos facere, Sed humanum illum dixit alio modo, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis vel fidelis sermo est, id est verus, & dignus est, vt ab omnibus acceptus habeatur, quia Christus Iesus venit peccatores saluos facere: sicut ipse dixit. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, & venit filius hominis saluare quod perierat. Sed quærendū est quare dicat Apostolus, quare primus ego sum. Nūquid ante eum non fuit peccator Cain? Nunquid ante eū non fuerunt peccatores Sodomitæ, & Iudæi qui crucifixerunt dominum? Vel nunquid illum primum venit vocare & saluare? Nunquid ante eum non est vocatus & saluatus Petrus, aliique Apostoli, multíque credentes? Sunt vtique. Notandum, quia sicut dicitur primus in bono inter alios

Lucæ. 5.
Matth. 18.
Iob. 1.

alios, ita etiam & primus inter alios in malo: & ponitur aliquando pro ordine vel dignitate. Sed in hoc loco Apostolus causa humilitatis primum se dixit, quasi priorem aliis, aut pessimum omnium. Sic enim soliti sumus dicere, verbi gratia: Transit rex aut quælibet potestas per quēdam locum, & inuenit turbam latronum, & dicit: Quis est primus in vobis, adducite illum, id est quis est primus ad malum, adducatur, cuius authoritate alij latrocinium exercent. Sic etiā dum inuenit aliquis artifices laborantes dicit, Quis est hic primus? Non interrogat quis prior sit ætate, sed quis prior sit arte. Sicut ille prior est in arte, ita latro primus est in iniquitate: Et beatus Apostolus hoc modo de se dicit causa humilitatis: Quorum primus ego sum, id est illorum peccatorum quos venit Christus saluare, ego sum pessimus. Re enim vera multum erat imbutus iniquitate, qui Christum iam in cælo sedentem persequebatur in terra in membris suis. *Sed ideo misericordiā consecutus sum, vt in me primū ostenderet Christus Iesus omnē patientiā ad informationem eorū qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Quare sit misericordiam consecutus, exponit causas. Christus, inquit, daturus veniam conuersis ad se peccatoribus, extēdit charitatem suam vsque ad inimicos suos, & ne primum elegit acriorem inimicum, quem sanaret, ne cæteri desperaret. Egit dominus more peritissimi medici, qui veniens ad illum locum vbi antea ignotus erat, & vbi plurimi infirmi sunt, quēcunque grauiori infirmitate laborantem, & in desperatione positum inuenit, illum assumit primum ad curandum, vt in illo ostendat peritiam suæ artis, & vt alij infirmi videntes illum sanatū, qui grauiori morbo grauabatur, non desperent de salute: sed vnusquisque illo in loco dicat proximo suo, Vade ad illum medicū, securus esto, sanabit te, sic dominus Iesus Christus verus medicus, ostendit in Beato Paulo gratiam suæ medicinæ. i. misericordiā suæ pietatis, sanādo illū à languore infidelitatis & morbo vitiorū, vt in illo ostēderet, quia si illius misertus est, qui eius fuit persecutor in sanctis martyrib⁹, vtique & aliis miserebitur. *Regi autē seculorū immortali inuisibili soli deo, honor & gloria in secula seculorū.* Quidā regē seculorū in hoc loco intelligunt deū patrē, pro eo quod ait Apost. inuisibili, dicentes, ideo illū appellatū esse ab Apostolo in-

Actu. 9.

uisibilem, quòd eius persona in veteri testamento per aliquã subiectam creaturam & similitudinem non fuit ostensa, sed filij, sicut ostensa est Isaiæ, qui vidit illum in habitu regnantis sedere: & Danieli, qui dixit, Aspiciebam in visu noctis, & ecce filius hominis venit, & data est ei potestas. Quod beatus Augustinus reprehendit, affirmans regem seculorum inuisibilem sanctam trinitatem appellatam esse, patrem videlicet & filium ac spiritumsanctum, quæ trinitas personarum veritatem deitatis facit, quæ est vnus deus: & sicut est pater inuisibilis, ita filius inuisibilis, & spiritussanctus inuisibilis, quia deus spiritus est. Illi ergo qui dicunt personã patris non esse ostensam in veteri testamento, attendant quid dicat Daniel, Aspiciebam, inquit, & ecce antiquus dierum sedit. Quapropter rex seculorum sancta trinitas est: quæ est vnus & verus deus, immortalis, immutabilis, & inuisibilis in sua substantia. Pater igitur & filius & spiritussanctus, vnus deus, rex est seculorum præteritorum & futurorum. homo vero assumptus à verbo ex tempore, rex est futurorum, ex quo assumptus est à verbo, Nam præteritorum seculorum non fuit rex ille homo, quia nõ erat. Soli deo, id est, sanctæ trinitati honor, laus, iubilatio, & gloria in omnia secula seculorum sit. *Hoc præceptum* superius dictũ: quia Christus Iesus venit peccatores soluos facere, vel etiam hoc præceptum *commẽdo tibi* quod dicturus sum *fili Timothee secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam.* Prophetias præcedentes appellat intelligentiam prophetarum, quam habebat Timotheus antequã ordinatus esset episcopus. Cõmendo, inquit, tibi hoc præceptum, subaudis intelligentiã prophetarum, quæ præcessit in te antequam episcopus ordinareris à me, vt milites, id est, certes in illis prophetiis bonam militiam, id est, pugnam, docendo te & alios, quod prædicas ore, perficiẽdo opere. Nam militia dicitur pugna, & miles pugnator, *habens fidem* subaudis rectam *conscientiam bonam* id est, bonam spem: quæ intelligitur per conscientiam, sicut paulo supertius prædiximus. Ille ergo habet bonam spem, qui talia opera agit, pro quibus sperat se præmia æterna perceptutum, *quam* subaudis fidem vel spem, *repellentes quidam, circa fidem naufragauerunt.* Naufragium dicitur nauis fracta. Et sicut ille nudatur à substantia sua quam habebat

Ffa.15.
Dan.7.

Ibidem.

Luc.5.

bebat in naui, qui naufragium patitur, & insuper ipse perit: ita qui repellunt fidem, nudantur à veritate fidei, & pereunt insuper æterna perditione. Circa fidem naufragauerunt, id est nudi & alieni à veritate fidei remanserunt, vel etiam perierunt *ex quibus* id est ex his qui à veritate fidei recesserũt *est Hymenæus & Alexander, quos tradidi sathanæ, vt discant non blasphemare.* Alexander quidam fuit faber ærarius, veniens ad fidem Christi, sed postea reuersus est ad apostasiam suam, qui postea erat apud Athenas faciens ædes Dianæ, quando commouit totam ciuitatem contra Apostolum. Vnde ipse dicit in epistola sua ad Timotheum: Alexander ærarius multa mala mihi ostendit. Multi ergo fuerunt qui à fide recesserunt, ex quibus fuit Simon magus, & Hymenæus atque Alexander, quos duos tradidit Apostolus diabolo ad vexandum & puniendum, quo suadente & instigante à fide recesserunt, & nomen omnipotentis Dei blasphemabant, ne alij auderent similiter facere, Nam tantæ potestatis erat Apostolus, tantámque gratiam habebat, vt recedentes à fide, solo verbo traderet diabolo.

CAPVT II.

Bsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt. Beatus Apostolus dirigens hæc verba Timotheo, in illo tradidit omnibus episcopis & presbyteris, omnique ecclesiæ formã quomodo deberent missarum solennia celebrare, & pro omnib⁹ hominibus orare: quam formam vel exemplum omnis ecclesia modo retinet. Nam obsecrationes sunt quicquid præcedit in missarum solennijs, vsque ad illum locum vbi incipit sacerdos consecrare mysteria corporis & sanguinis domini, inquiens, Te igitur clementissime pater petimus. Orationes sunt, quas fundit sacerdos in consecratione Eucharistiæ vsque ad fractionem corporis domini, videlicet quando particulam quandam sacerdos in calicem ponit. Postulationes sunt benedictiones episcopales, quas dicit episcopus super populum, inuocans nomen Dei super il-

lum, quod tractum est ex veteri testamento. Per Moysen námque dixit dominus sacerdotibus, Inuocabitis nomen meum super filios Israel, & egobenedicam eis. Gratiarum actiones sunt laudes quas communicato populo refert sacerdos deo patri, qui dignatus est mysteria corporis & sanguinis filij sui dare eis ad salutem & redemptionem. Et ne forte diceret aliquis, non debemus orare pro regibus infidelibus, & iudicibus ac ducibus, quia pagani sunt præcepit Apostolus pro omnibus hominibus orare, eodem spiritu sancto afflatus, quo & Ieremias propheta, qui misit epistolam Iudæis qui erant in Babylone, vt orarent pro vita regis Nabuchodonosor, filiorúmque eius, & pro pace ciuitatis, ad quam ducti erant captiui, inquiens. Ideo debetis orare pro eis, quia in pace illorum erit pax vestra. Similiter & Apostolus reddit causas quare talia præcipiat. *vt tranquillam & quietam*, id est pacificam *vitam agamus in omni pietate & castitate* Pietas est cultus & religio omnipotentis dei. Ideo ergo orandum est seruis dei pro regis vita, & pace regni, vt ipsi liberius possint dediti esse cultui & religioni dei: quia plerúmque dum hostes fugant seruos dei à propriis sedibus, & desæuiunt bella & seditiones per regna, non possunt in cultura dei esse intenti per omnia sicut tempore pacis. Pietas etiam est misericordia quam debemus impendere pauperibus & indigentibus. Si ergo deprædamur ab hostibus, non possumus opus misericordiæ exercere, quia non valet misericordiam impendere alteri, qui non habet vnde miseriam suam vel semetipsum sustentet: Sed vt habeamus vnde eleemosynam tribuamus, orádum est pro vita regis ac principum, & pro pace regni, & vt agamus vitam nostram, id est ducamus in omni castitate corporis. Tempore pacis vtcúnque & cum minima difficultate seruari potest castitas: quando verò deprædatur regnum à prædonibus & hostibus, nequaquam potest seruari, quia domini qui deprædati sunt captiuos, explent voluntatem suam & immunditiam cum eis vt libet: nec valent resistere, Quapropter orandum est pro salute & vita fidelium regum & principum, vt longo tempore conseruati pacem habeant & regnum, & magis ac magis proficiant in melius. Pro infidelibus quoque orandum est, vt resipiscant ab infidelitate, & transeant ad fidem.

Num. 6.

Hiere. 29

Hoc

Hoc enim bonum est coram saluatore nostro Deo, subaudis, vt pro omnibus hominibus oremus *qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Cum Psalmista dicat: Omnia quæcunque voluit dominus fecit: & Apostolus: Qui vult omnes homines saluos fieri: quærendum est, quare omnes homines non soluentur? ad quod dicendum, quia verum est quod Psalmista dicit: Quia ipse dixit, & facta sunt similiter omnes homines vult saluare qui saluantur, & qui per misericordiam quærunt saluari. Totum enim pro parte posuit Apostolus, sicut & in euangelio. vbi dicit dominus: Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me: Non enim omnes homines traxit aut trahit ad se, sed omnia subaudis electa, & ex omnibus generibus & gentibus, & ex omni sexu & conditione, à regibus vsque ad mendicum, à perfectis vsque ad puerum vel infantam vnius diei. Nemo tamen potest saluari, nisi quem dominus vult: quia ipse cui vult miseretur. Si enim omnes homines in sua perditione manssissent, rectum dei iudicium esset. Sed vt eius misericordia & potentia ostenderetur, quia ipse potens est omnes homines saluare, in illis qui pereunt, ostendit suum rectum iudicium: & in his qui saluantur, suam misericordiam. Præuenit enim nos eius gratia vt velimus, debet nostra voluntas voluntati illius concordare, & tũc ipse dabit posse: atque ex hoc quod eius voluntati iungimus nostram voluntatem, digni sumus remuneratione. Tamen totũ illius gratiæ est retribuendum, quicquid boni agimus. Qui vult (inquit) omnes homines saluos fieri, subaudis, qui saluantur: & ad agnitionem sanctæ Trinitatis venire, quæ est summa & substantialis veritas. *Vnus enim deus* pater & filius ac spiritussanctus. *vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Dominus Iesus in vna persona verus deus & verus homo est. Si solummodo deus esset, non poterat esse mediator noster, quia ipse in natura diuinitatis vnius substantiæ est cum patre. Econtra si solummodo homo purus esset, nequaquam mediator esset inter nos & deum patrem: quia peccator esset, & similis nobis omnibus. Accepit ergo humanitatem nostram qui deus erat, & per hoc quia sine peccato conceptus, natus, & conuersatus est, Deus verus & homo existens, innocenter pro nobis mortuus, factus est

mediator noster,quia nemo est deus & homo,nisi ipse solus,nam mediator non potest esse nisi inter duas partes. Est autem mediator malus qui generat discordias inter duos.Bonus vero mediator generat & procurat pacem,sicut dominus Iesus inter nos & deum patrem. *qui dedit redemptionem pro omnibus* subaudis electis. Quam redemptionem? *semetipsum* Qui dedit etiam *testimonium* subaudis resurrectionis nostræ & ascensionis ad beatitudinē æternam *temporibus suis*, id est,tempore quo resurrexit & ascendit ad cælos,Testimonium resurrectionis dedit,quia sicut ipse mortuus est,& tertia die resurrexit:atq; postmodum ad cælos ascendit,ita nos credimus resurgere in die iudicij,atque ad gaudia cęlestis regni trāsire,sicut ipse promisit. *In quo testimonio*, id est,in spe resurrectionis, *positus sum ego prædicator* vt illam annunciem. *Volo ergo viros orare in omni loco*, Si Apostolus vult,deus vult qui habitat in eo:quia vas electionis est ille.Ne forte putaret ali qui,non esse orandum nisi tantūmodo in ecclesia,ait Apostolus:volo homines orare in omni loco,in agris,in syluis indomibus,in itinere.Tamen non præcipit orare in turpibus locis,sicut est sterquilinium,neque in publicis locis,in foro videlicet,aut in plateis,nisi causa itineris,vt si in itinere sit positus, ne reprehendatur ille talis cum pharisæis, quibus dominus ait:Væ vobis pharisæi hypocritæ,qui oratis in angulis platearum. *Mat.6.* *leuantes ad cælum puras manus*, ab homicidio,à rapina,à furto,à periurio, *sine ira & disceptatione*, id est,discordia *Similiter* volo *& mulieres* orare *in habitu ornato*, non ornato auro, vel gemmis aut margaritis,sed ornato dicit, id est,congruo sibi, quia nullus est plus congruus quàm candidus, sicut est sindon. *sed quod decet mulieres* subaudis illud indumentum habeant, *promittentes pietatem per bona opera*, id est,ostendentes religionem & cultum dei se tenere per bona opera. *Mulier in silentio discat*, subaudis quod ignorat, *cum omni subiectione*. non in ecclesia. neque cum superbia,sed in domo. *Docere autem mulieri non permitto*, in suo sexu permittitur mulieri docere in domo sua,& pueros etiam,in ecclesia autem prohibetur.Et hoc quare?Quia subiecta debet esse viro, quia de corpore eius facta est.Vel etiam idcirco non permittitur ei nocere,quia fragilior est sexu quàm vir.Et cauendū ne

ne sicut Eua per serpentem seducta mortem attulit mundo,ita etiam facile ad errorem lapsa, alios ad eundem errorem pertrahat. *Adam non est seductus* subaudis, primus per serpentem, mulier autem seducta, subaudis prima,*in præuaricatione fuit*, id est præuaricationis pœnæ subiacuit *Saluabitur autem* subaudis mulier *per filiorum generationem, si permanserit* eadem mulier *in fide perfecta & dilectione* dei & proximi *ac significatione* vt præter virum proprium alterum non cognoscat, *cum sobrietate* siue cum temperantia. Saluabitur mulier per filiorum generationem, id est per bona opera, si habuerit charitatem, misericordiam, hospitalitatem, cæteráque talia, quæ beatus Gregorius intelligi vult per filios. Aliter: Nunquid saluabitur mulier amplius, si permanserit in castitate? Vtique. Sed si genuerit filios, & eos in fide & religione omnipotentis dei educauerit,atque ad perfectionem bonæ vitæ perduxerit, si quid deliquit, saluabitur pro labore quem illis impendere studuit *fidelis sermo*, id est verax, siue præcedens siue subsequens,vel humanus sermo,vt in Græco habetur,id est iucundus, gratus,& acceptus.

CAPVT III.

Si quis episcopatum desiderat,bonum opus desiderat. Opus,non dignitatem: laborem,non honorem.Ideo debet aliquis episcopatum desiderare, vt aliis doctrinam verbi dei annunciet,vt bonum exemplum ostendat,& si necessitas fuerit, vt primus ad palmam martyrij currat.*Oportet episcopum irreprehensibilem esse*,id est sine crimine & capitali peccato.Nō dixit:Sine peccato:quia non est homo super terram qui faciat bonum, & non peccet *ornatum* moribus & virtutibus atq; doctrina, non auro redimitis vestibus aut castoriis *pudicum*,id est castum ab omni immunditia *hospitalem*.Laicus aut quilibet ecclesiasticus si duos aut tres pauperes hospitio colligit,hospitalitatis officium implet: episcopus vero, si omnes non receperit,inhospitalis reputatur.*non percussor* sē vt non sit pugil,sicut iudices iffius seculi.Vel si percussus fuerit,non reddat vicem,vel etiam prauo suo exemplo aut doctrina peruersa non percutiat animos subiectorum.*non*

cupidum. Morbo cupiditatis penè omnes laborant *vnius vxoris virum*, id est antequam ordinetur, vnam vxorem debet habere, vt nó sit bigamus aut trigamus: postea vero penitus abstinere debet, *suæ domui bene præpositum*, id est suæ familiæ antequam ordinetur. *non neophytum*, id est nouellũ conuersum, id est nouiter venientem ad fidem, vel nóuiter deferentem militiam secularem. *Ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli*, id est in dãnationem, in quam diabolus incidit per superbiã, & dicat: Indigebat ecclesia mea sapientia, vel meo auxilio, ideo me ad fidem adduxit, & super se constituit. *Oportet etiam illum & testimonium bonum habere ab his qui foris sunt*, id est ab hæreticis & paganis, qui extra ecclesiam sunt, debet habere bonũ testimonium, sicut de beato Basilio legimus. *Similiter diaconos* subaudis oportet esse pudicos. Quare tacuit de presbyteris? Quia in ordine episcopali comprehenduntur presbyteri. Omnis enim episcopus presbyter est, & tamé non omnis presbyter episcopus est. *Non turpe lucrum sectantes.* Turpe lucrum est, per vluram & quasdam inuentiones luera temporalia cumulare. *Habentes mysterium fidei in conscientia bona.* Mysterium dicitur res occulta, & mysterium fidei appellat hic ipsam fidem, qua credimus in deum, quæ occulta est: quia nõ videtur nisi in corde. Conscientiam bonam dicit spem bonam, vt per bona opera sperẽt percipere præmia æterna. Habẽtes mysterium fidei, id est fidem perfectam in spe bona, *Similiter mulieres* oportet esse *pudicas.* Quidam voluerunt hic intelligere diaconissas, sed non est illud, vt beatus Augustinus dicit. *Scias quomodo oporteat te in domo dei conuersari, quæ est ecclesia dei viui, columna & firmamentum veritatis*, Ecclesia & columna & firmamentum veritatis appellatur, quod vnum est, propter firmitatem fidei, & quia doctrinis cælestibus & diuinis miraculis firmata est. *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu.* Sacramentum dicitur occulta res, idem est & mysterium, siue mysticum aliquod. Sacramentum autem isto in loco appellat Apostolus verbũ dei patris, quod in natura diuinitatis (in qua æquale est patri) inuisibile manet. Sacramentum vero pietatis dicit, id est religionis & veræ culturæ, quia illi soli competit religio sancta, & illum conuenit venerari. Istud magnũ sacramẽtum pietatis manifeste est, id est manifestatum est in ecclesia, in cordibus fidelium, quod filius dei est. Et hoc est quod subiungit. Quod manifestatum est in carne, id est istud sacramentum quod in natura diuinitatis non poterat videri, visibile factum est per carnem, & per doctrinam cælestem, & per miracula diuina. Vnde dicitur in euangelio. Hoc fecit initium signorum Iesus, & manifestauit gloriam suam. Iustificatum est istud sacramentum in spiritu, id est iustum apparuit esse per plenitudinem diuinitatis quæ erat in illo, & quæ custodiuit eum à peccato, *apparuit angelis*, id est Apostolis & prædicatoribus per carnem & miracula, *prædicatum est gentibus* ab Apostolis quando profecti prædicauerunt vbique, *creditum est in mundo*, id est ab habitatoribus mundi creditum est quòd ipse esset verbum dei, *assumptum est in gloria* paternæ maiestatis. Ordo præposterus est. Apparuit enim Apostolis, ac deinde assumptum est ad dexteram patris, & sic postmodum prædicatum est ab Apostolis, & creditum est à gentibus.

CAPVT IIII.

Spiritus autem manifeste dicit subaudis per me.

S Tale est ac si diceret: Hęc dicit spiritus sanctus per me, *quia in nouissimis temporibus*, id est in hac nouissima ætate in qua modo sumus *discedẽt quidam à fide, attendentes spiritibus erroris*, id est dæmonibus in errorem illos trahentibus. Idem est quod subdit *& attendentes doctrinis dæmoniorum in hypocrysi loquentium mendacium*, id est in simulatione veritatis. Dæmones enim loquuntur per ora hæreticorum simulate, quasi vera sit eorum prædicatio *& cauteriatam habentium suam conscientiam.* Cauterium vel cauterium, est ferramentum medici, à quo corrumpitur & vritur cutis & caro hominis. Et sicut cauterio cutis & caro corrumpitur, ita illorum mens qui à fide recedunt, corrupta est praua doctrina & peruersa opere, & hoc est quod dicit Apostolus: Corruptam habentes mentem, *prohibentium nubere*, id est nuptias celebrare, dicentes nuptias à diabolo esse inuentas, nõ recolentes neq; intelligentes quod dicit dominus primis hominibus: Crescite & multiplicamini. &, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. In his locis notauit Apostolus per spiritũ sanctũ hæreticos qui post discessum eius

fuerunt, Marcionem videlicet, Hebionem, Cherinthum, Manem, cæteróſque peruerſi dogmatis doctores. *Ineptas autem*, id eſt non aptas & non congruas fidei *& aniles fabulas deuita.* Aniles fabulas appellat deliramenta quæ ſolent anus & vetulæ mulierculæ excogitare & narrare iuuenculis. *Exerce teipſum ad pietatem*, id eſt extende ad cultum & religionem omnipotẽtis dei, & ad miſericordiam. *Nam corporalis exercitatio ad modicum*, id eſt ad aliquid *vtilis eſt* verum eſt, quia exercitatio corporalis, quæ fit in aliquo opere, leuamen præſtat corpori. Aliter. Corporalis exercitatio quæ fit in ieiunio, in vigiliis, in abſtinentia, in refrenatione corporis, parum prodeſt illi qui habet vnde faciat eleemoſynam pauperi, & retinet illam. *Pietas autem*, id eſt miſericordiæ opus, *ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ* præſentis *quæ nunc eſt, & futuræ* etiam vitæ. Qui eleemoſynam impendere pauperi curat: & in præſenti miniſtrat ei Deus temporalia ſubſidia, & in futuro vitam æternam, & hoc eſt quod dicit: Promiſſionem habens præſentis vitæ & futuræ *qui eſt ſaluator omnium hominum, maxime fidelium.* Sicut omnipotens deus creator eſt omnium creaturarum, ita etiam ſaluator, quia ipſe ſaluat illam in hoc ſeculo. Maximè tamen fidelium ſaluator eſt, quos ſaluat in hoc ſeculo & in futuro. *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat.* Adoleſcentia & iuuentus pro vno accipiuntur. Et Timotheus iuuenis iam erat: ideo dicit: Talem te præbe, vt ætatem tuam nemo poſsit ſpernere. Es iuuenis ætate, ſis ſenex mente & moribus *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyteri* Gratiam appellat hic fidem & ſapientiam, atque remiſsionem peccatorum & gratiam epiſcopatus quæ per prophetiam data eſt illi, quia prophetiæ ſpiritu reuelante cognouit B. Paulus Timotheum dignum eſſe epiſcopali honore.

CAPVT V.

Seniorem ne increpaueris, quia ſolẽt ſenes durè accipere quando increpantur à iunioribus. Sed dicit beatus Gregorius, quòd licet Apoſto. dicat, Seniorem ne increpaueris, ſenior tamen ſtultus vehementer eſt increpandus, &c. *Viduas honora, quæ veræ viduæ ſunt*, id eſt talem quæ ſexaginta annorum eſt,

eſt, & fuit vnius viri vxor, & quæ deſolata eſt à filiis & filiabus, omníque ſubſtantia. Honor autem hic pro dono & muneribus accipitur. *Nam vidua quæ in deliciis eſt viuens,* corpore, *mortua eſt* in anima apud deum, licet apud homines videtur viuere. *Si quis* fidelis vel ſi qua vidua *ſuorum* filiorum *& maxime domeſticorum* qui in domo eius ſunt *curam non habet* vt illos doceat recte viuere & conuerſari, fidem negauit per mala opere *& eſt infideli deterior* quia melius eſt viam veritatis non cognoſcere, quàm poſtea deuiare. *Vidua eligatur* ſubaudis ad ſuſtentandum de ſubſtantia eccleſiæ *non minus ſexaginta annorum*, id eſt ſexagenaria. *Cum enim luxuriata fuerint* illæ adoleſcentiores viduæ *nubere volunt in Chriſto*, id eſt in fide Chriſti, & fidelem Chriſtianum accipere in maritum. Solent multæ mulieres mortuis viris ſuis promittere deo viduitatem, caſtitatem, & accipere velamen ſuper caput ſuum, poſtea verò miſcent ſe ſeruis ſuis, & aliis & fornicatoribus, atque ad vltimum in Chriſto volunt nubere, id eſt aliquem Chriſtianum accipere, dicentes. Quia non poſſum me continere, nubam alicui Chriſtiano fideli. Iſtam talem iuuenculam præcipit Apoſtolus deuitare *habentes damnationem, quia primam fidem* & promiſsionem quam deo promiſerunt permanere in viduitate *irritam fecerunt* accipientes poſtea maritũ. *Volo nullam occaſionẽ dare aduerſario*, id eſt volo vt occaſionem non dent diabolo *gratia* ſiue cauſa *maledicti* vt maledicantur & blaſphemẽtur ab illis. *Si qua fidelis* mulier *habet viduas* filias aut neptes *ſubminiſtret illis* quę neceſſaria ſunt. *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Duplicem honorem præcipit exhiberi preſbyteris, in ſalutationibus videlicet, vt humilient ſe illis ſubiecti, & in exhibendis donis ſubſidiiſque temporalibus. *Sine præiudicio nihil facias in alteram partem declinando*, id eſt nihil facias, niſi prius tuo iudicio & diſcretione examines & diſcernas vtrum faciendum ſit necne. *Manus citò nemini impoſueris* donec probes vitam illius & fidem, vtrum rectam fidem teneat, atq; doctrinam illius, vt poſsit populum docere. Sine his tribus nullus eſt ordinandus epiſcopus aut presbyter ſcilicet ſine fide catholica, conuerſatione bona, & doctrina ſana. *Neque cõmunicaueris peccatis alienis* Peccatis cõmunicat epiſcopus, id eſt particeps eſt pec-

catorum alicuius, quando cognoscit aliquem veraciter criminosum esse, vel audit malam famam illius, & ordinat illum episcopum vel presbyterum. Si vero ignorat peccata illius, nec audit illius malam famam, neque videt illum confessum aut conuictum testibus, licet sit peccator qui ordinatur, nõ est episcopus particeps peccatorum eius. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequẽtes tuas infirmitates* Solent homines qui cum vino nutriti sunt, infirmari quando abstinent à vino, quia quasi natura est illis vinum bibere. Similiter de cæteris rebus quibus homo nutritus est, & quæ in vsu habuit, si quando ab illis abstinet, debilitatur corpus, & non valet explere ita diuinum officium, & dei seruitio esse dedicus. Quapropter ne Timotheus nimiũ abstinendo à vino infirmaretur amplius, & non posset postmodum diurno operi insistere, præcipit ei Apostolus modico vino vti: quoniã si vinum cum temperantia & sobrietate quis biberit, leuamen præstat corpori. Sed quid est quod patrem Publij dysenteria laborantem solo verbo sanauit Apostolus, & discipulum suum Timotheum non sanauit, nisi tantummodo medicinam quodammodo ostendit, per quam posset aliquid corpus alleuare? Pater Publij quia infidelis erat, necesse habebat sanari per miraculum, vt per sanitatem corporis sibi præstitam perueniret ad sanitatem animæ. Timotheus vero qui fidelis erat, non indigebat sanari per miraculum, quia fidelissimus erat.

CAPVT VI.

I quis aliter docet subaudis quàm nos prædicamus, nõ debere seruos fideles seruire dominis infidelibus, *& non acquiescit sanis* siue veris. *sermonibus domini nostri Iesu Christi, & ei* etiam doctrinæ nõ acquiescit, *quæ secundũ pietatem*, id est secundum religionem *est* subaudis de vita. In hoc loco Iudæos notat, qui dicebant non temere seruum in seruitio teneri, nisi sex annis, secundum legis præceptũ. Sed dicit beatus Augustinus: quia illud spiritaliter est intelligendum, magnumque mysterium in se cõtinet, quod illi carnaliter obseruabant, & dicit omni tempore quo vixerit seruus, debere dominis suis seruire, nisi ab eis libertatẽ promeruerit *Superbus est* ille talis qui aliter docet *nihil* boni *sciens*, sed languens in animo

animo *circa quæstiones & pugnas verborum* quod vnum est, *ex quibus* quæstionibus *oriuntur blasphemiæ* quia blasphemat sacram scripturam per malam interpretationem *suspiciones malæ* ad inuicẽ: quia vnus suspicatur aliũ non recto intelligere *conflictationes hominum mente corruptorum* quia confligendo inter se de quæstionibus, corrumpunt hominum mentes & illi tales *à veritate priuati sunt*, id est longe separati sunt *existimantium quæstum* siue lucrum temporale *esse pietatem* siue prædicationem, id est, qui ideo prædicant, vt lucrum temporale possint accipere ab auditoribus. *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia.* Ac si diceret: Vis scire ò Timotheæ quid sit lucrum magnum seu quæstus? Pietas, id est, fides & cognitio sanctæ Trinitatis est lucrum magnum cum sufficientia: quando homo non desiderat plus habere quã necesse est ad corporis necessitatem implendam. *Nam qui diuites volunt fieri, incidunt in tentationes diuersas*, quia diu noctúque cogitant quomodo possint ditari, & incidunt etiam in laqueum, id est, in damnationẽ diaboli. *radex siue initium omnium malorum est cupiditas*, id est, amor pecuniarum & honoris: quæ & auaritia nominatur, quia omnia mala de illa procedunt. Videamus quomodo. Verbi gratia: Volo adulterium perpetrare, occido virũ mulieris, & hoc cupiditas agit. Volo abundare diuitiis, aufero equum alicuius, & expolio alios. & in hoc cupiditas est, Similiter de cæteris vitiis intelligendum est. Sed quæstio est in hoc loco, quare dicat Apostolus, radix omnium malorũ est cupiditas siue auaritia, cum sapientia dicat: initium siue radix omnis peccati superbia: quomodo ergo erit vtrũque & auaritia radix peccati, & superbia initium peccati? Vtrũq; verũ est, quia ista duo cõiuncta sunt, & vnũ sine altero nequaquã fit. Auaritia etenim non solũ diuitiarũ est, sed altitudinis & dignitatis. Omnis nãq; superbus ideo se extollit, vt maior appareat aliis, & auarus ideo congregat diuitias, vt altior & potentior sit aliis in dignitate, & præcellat eos in multitudine diuitiarum. *quam* subaudis cupiditatẽ siue auaritiã *quidam appetentes*. i. vltra modũ quærẽtes *erraverunt à fide &c. Apprehende vitam æternam* recte docendo, & bene viuendo *ad quam* percipiendam *vocatus es & confessus bonam confessionem coram multis testibus.* Apprehende vitam æternam. Timotheus quando baptiza-

tus est, tantæ ætatis erat, vt interrogatus vtrum crederet deum omnipotentem, & quomodo crederet, ipse ore próprio confiteretur se credere. *Præcipio tibi coram deo* patre *qui viuificat omnia* subaudis, quæ viuificantur *&* coram Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem. Quod fuit illud testimonium, siue illa confessio? quod vnum est istud, Pilato interrogante vtrum ipse esset rex Iudæorum? ait: Tu dicis, Ecce testimonium. Similiter quando dixit, Ego testimonium perhibeo veritati. Et quid præcipio tibi? vt serues mandatum tibi à me commendatum, sine macula irreprehensibile vsque in aduentum domini nostri Iesu Christi, id est vsquequo ab illo voceris per mortem corporis. vel vsque ad diē iudicij seruet vnusquisque fidelium hoc mandatum quod supra tibi commendaui *quem* subaudis aduentum domini nostri Iesu Christi *suis temporibus*, id est congruis & dispositis *ostendet beatus & solus potens rex regum, & dominus dominantium.* Beatum & solū potentem regémque regū ac dominus dominantium debemus intelligere hic sanctam trinitatem, patrem videlicet filiū, ac spiritum sanctū, vnum deum omnipotentem, qui aduentū hominis assumpti à verbo ostendit congruis temporibus *qui solus habet immortalitatem*, id est, immutabilitatē. Angeli & animæ hominum immortales sunt: sed comparatione omnipotentis dei, cuius immutabilitas neq; initium neque finem habet, isti immortales nō sunt, quia eorū immortalitas ex tépore cœpit esse. Velut amplius dicamus, in hoc q̄ mutari poterunt angeli & animæ, quasi immortales non fuerunt. Quando enim angelus peccauit, in superbiā erigens se (cuius rei causa mutatus est de bono in malum) quasi in mortem cecidit, quia mutari potuit. Similiter homo quando peccando mutatus est de bono in malum, in mortem corporis & animæ cecidit, ideóque solus omnipotens deus & immortalis manet in eternum *& lucem habitat inaccessibilem.* Deus omnipotens lux est substantialis, quia illuminat omnem hominem. Sed si inaccessibilis est, quare dicit Psalmista, Accedite ad eū, & illuminabimini? In hoc ergo est inaccessibilis, quia nemo potest accedere ad eum, nisi à deo attrahatur. Qui verò à deo attrahitur, illi est accessibilis *quem nullus vidit hominum* subaudis, corporeis oculis, *sed nec videri potest* sicuti est, corporeis oculis. Videtur

detur tamen ex parte mentis intuitu. *Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere*, id est non superbire, neque in superbiam erigi, *neque sperare in incerto diuitiarum.* Diuitiæ huius seculi incertæ sunt, quia transitoriæ sunt, quoniam plerunque amittet illas homo ante mortem, ex toto autem in ipsa morte. Ideóque nemo debet spem suam in illis ponere *sed in deo* subaudis debet sperare *qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum*, id est, qui omnia bona nobis administrat, quæ possumus ita disponere in præsenti, vt in futuro fruamur remuneratione eorum. Præcipe etiam illis, *bene agere* videlicet vt bene agant, *communicare*, id est, mortales se recogitare, & socios esse aliis hominibus infragilitate, & *thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum*, id est, diuitias sibi præparare in futurum, faciendo amicos de mammona iniquitatis, iuxta quod dominus ait: Thesaurizate vobis thesauros in cælo. Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. O *Thimothee depositum* siue commēdatum *custodi*, id est, gratiam fidei & sapientiæ doctrinam quam tibi commendaui *deuitans* siue declinans *profanas*, id est, irreligiosas *nouitates vocum*. Sunt enim nouitates vocū non profanæ, sed religiosæ, sicut legimus quòd in Antiochia primùm Christiani appellati sunt, & sicut sancti patres in synodo nouum quoddam nomen adinuenerunt homousion, id est, vnius substantiæ. quod in tota serie diuinarum scripturarum ante non est inuentum. Istæ tales nouitates vocum non sunt contra religionem, sed religiosæ, quia ad religionem pertinent. Econtra sunt nouitates vocum prophanæ, quas adinuenerunt hæretici, à quibus præcepit Apostolus declinare Timotheum, Et deuita etiam *oppositiones*, id est, quæstiones, *scientiæ falsi nominis*, id est, quæstiones Iudæorum, quas solent opponere, quæ videntur quæstiones esse scientiæ, sed falso nomen scientiæ habent, quia non est ibi scientia, *quam scientiam falsi nominis quidem promittentes*, id est, ostendentes tanquam vera scientia sit *circa fidem exciderunt*, id est à veritate fidei alieni pierunt, *Gratia* dei *tecum* subaudis sit. Amen, id est, fiat quod oro, vel verum est, quod hactenus dixi &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN EPISTOLAM AD TIMOTHEVM posteriorem argumentum Haymonis.

SEcundam epistolam Timotheo scripsit ab vrbe in carcere de exhortatiõe martyrij: & quid futurum sit temporibus nouissimis, & sua passione: & vt perseueraret in officiis rectè prædicationis, & sancta operatione &c.

IN EPISTOLAM PAVLI ad Timotheũ posteriorem exegesis.

CAPVT I.

PAulus Apostolus. Cuius Apostolus? *Christi Iesu per voluntatem dei* patris *secundum promissionem vitæ quæ est in Christo Iesu.* Deus omnipotens pater ad hoc voluit eligi per filium suum Paulum Apostolum, vt per illum annuntiaret promissionem vitæ æternæ, quę est in Christo Iesu. i. quæ datur per fidem Christi Iesu electis. Vita enim æterna per Christũ datur, quia in illo cõsistit, sicut ipse dicit: Ego sum via, veritas, & vita, & hæc est vita æterna, vt cognoscãt te, & quem misisti Iesum Christum, vnum & verũ deum. *Timotheo charissimo filio.* In græco habetur germanissimo fratri. *Gratias ago deo meo, cui seruio à progenitoribus,* siue à patribus *meis in conscientia pura.* i. in mente pura, ab omni fictione & simulatione: *quòd sine intermissione habeam tui memoriam.* Quidam codices habent, quam sine intermissione: sed melius est dicere quod legimus in Genesi, Abraham reuertente à cæde quatuor regum, occurrerit ei Melchisedech sacerdos dei summi, & obtulerit ei panem & vinum: cui Abraham dedit decimas de prædis omnium hostium, & dicit idem Paulus Apost. in epistola ad Hebræos, quòd Leui qui decimas accepit à fratribus suis, ipse decimatus est in proauo suo Abraham, adhuc enim in lumbis erat Abrahæ, quando decimas dedit Melchisedech sacerdoti. Vnde considerandũ est, quia

Gene. 14.

quia sicut Leui in proauo suo decimatus est, ita Apostolus in Abrahã Isaac & Iacob, aliisque patribus deo seruiuit. Et hoc est quod dicit: Gratias ago deo meo, cui seruio à progenitoribus meis. Hoc autem ideo dicit, vt ostendat eandem fidem habuisse veteres patres qui domini aduentum præcesserunt, quam habebat ipse aliique Apostoli, & ab illis patribus descendit ad Apostolus & ab aliis ad nos, sicut & à nobis descendit ad illos qui futuri sunt. Refert autem gratias deo, quo donante semper erat memor discipuli sui Timothei, nec poterat illius obliuisci. Vel etiam in hoc referebat ei gratias, quia seruiebat illi à progenitoribus suis. *desiderans te videre, vt gaudio replear.* de tuo aduentu *memor lachrymarum tuarum* quas fudisti à me recedendo. Quãdo Apostolus ista scribebat, Timotheus erat vltra mare, & ipse iacebat in carcere constrictus catenis & cippo: ideóq; tantum desiderabat illum, vt in illo haberet aliquam consolationem. Nam quando ab illo discessit Timotheus, amarissimas fudit lachrymas. Recordationem accipiens, siue habens *eius fidei quæ est in te non ficta, quia bonis operibus illam exornas* fides *habitauit primum in auia tua Loide, & in matre tua Eunice.* Genealogiam Timothei ad memoriam reducebat Apostolus, vt ostenderet amorem suum quem habebat non solum erga illum, sed etiam erga parentes quorum memoriam habebat, *certus sum autem quòd & in te* subaudis, habitat eadem fides. Propter quam causam, quia fidem veram habes, *admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Quia Timotheus mansuetissimus erat, & nimiæ patiẽtiæ, hortatur illum Apostolus quatenus fortiter consistat in prædicationis officio, & fortiter redarguat negligentes, inquiens, Ideo admoneo te vt euigilare facias in te gratiã Dei, vt sine timore prædices, & corripias peccantes. Gratiam autem Dei appellat fidem, doctrinam & operationem, quæ omnia gratis dantur. *Non enim dedit nobis deus spiritum timoris, sed virtutis.* Duo sunt timores, vnus bonus, alter malus. Malus timor est, qui à diabolo immittitur, quẽ habuit Petrus quando dominum negauit, & de quo dicit dominus. Noli timere eos qui occidunt corpus. Bonus autem timor à deo datur, quem dicit Isaias super dominum requieuisse, Et requiesset (inquiens) super eum spiri-

tus timoris domini,& de quo dominus in euangelio:Time re, inquit, eum qui potest animam & corpus perdere. De malo ergo timore,per quem quis discedit à fide,dicit Apostolus hic:Non dedit nobis spiritum timoris,vt timeamus persecutores huius seculi,& cessemus propter hoc à prædicatione,sed spiritum virtutis,id est,fortitudinis,vt constãter annuntietur verbum fidei *& dilectionis* vt diligamus deum & proximum *& sobrietatis* vt in omnibus sobrie & temperate agamus. *Noli itaque erubescere testimonium domini nostri* Erant quidam illo tempore qui erubescebant dicere Christum esse hominem verũ & mortuum & passum, quidam etiam negabant illum natum esse de virgine,& resurrexisse à mortuis.Quapropter alloquitur Timotheum, inquiens.Nolite verecundari testimonium præbere Christo,quod natus est de virgine,quod passus est, quòd mortuus est,quòd resurrexit,atque ascendit ad cælos,vbi sedet nunc in gloria paterna. Sed *neque me vinctum eius*, erubescas aut despicias:quia non causa furti aut homicidij teneor astrictus vinculis,sed pro veritate. *Sed collabora euangelio.* Laboro ego,collabora tu mecum *secundum virtutem dei qui nos liberauit à morte, & vocauit vocatione sua sanctam*, Hic iungit se omnibus Apostolis,qui à domino sunt vocati.Nam sicut Petrus,Andreas,Iacobus & Ioannes à domino vocati sunt,quibus dixit,Venite post me,faciam vos piscatores hominum:ita Apostolus Paulus vocatus est de cælo,dicente domino:Saule Saule, quid me persequeris?Ista ergo vocatio sancta fuit, quia per illam sanctificati sunt, *non secundum opera nostra*, id est,merita nostra vocauit nos, *sed secundum propositum suum*, id est, secundum quòd ipse definiuit & prædestinauit,vocauit nos:& secundum *gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora secularia.* Tempora secularia debemus hic intelligere tempora & secula quæ ex eo tempore esse cœperunt,quo mundus factus est,& dies & nox.Nam antea non erant secula neq; tẽpora, quouisq; venit vicissitudo diei & noctis,& mutabilitas tẽporis,sed quasi æuũ erat.Igitur ante omnia secula & tẽpora data est Apostolis gratia in prædestinatione dei, quòd apostoli Christi essent futuri,& omnes etiam electi à deo prædestinati sunt in Christo ante initium mundi, sicut in epistola ad Ephesios dicitur: Qui prædestinauit nos

nos in ipso,id est,in Christo ante mundi constitutionem. De qua prædestinatione dicit dominus in euangelio: Clarifica me tu pater apud temetipsum claritate quam habui in prædestinatione,priusquam mundus esset. *Manifestata est autem* subaudis eadem gratia *nunc* in vltima ætate *per illuminationem saluatoris nostri Iesu Christi*, id est,per doctrinam & miracula illius qui lux est,& qui illuminat omnem hominem.Ostensa est & manifestata illi gratia in mundo, quæ est prædestinata ante exordium mundi *qui destruxit quidem mortem*, resurgendo à mortuis, & electos suos de morte reuocando. *Illuminauit autem vitam & incorruptionem per euangelium*, id est,vitam æternam & incorruptionem atque immortalitatem quam habet in se,ex quo resurrexit à mortuis,quia resurgens à mortuis iam non moritur. Vel ostendit & manifestauit, siue illuminauit per predicationem euãgelij:quoniam sicut ille viuit, ita speramus nos resurgere & viuere sine fine fœliciter cum illo *in quo* subaudis euangelio,positus & constitutus *sum ego predicator. Ob quam causam* subaudis quia ego constitutus sum predicator euangelij *etiam hæc patior:sed non confundor*, id est, non erubesco,Quid patiebatur Apostolus?Persecutiones, flagella,carceres,vincula,cippum,famem, sitim, & cætera talia incommoda *Scio enim cui credidi*, id est,christo,ideó- que non confundor inter tormenta, *& certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem* Depositum posuit pro commodatum,& quid Apostolus habebat cõmendatum Christo?Salutem suam habebat apud illum cõmissam.Inde dicit:Certus sum,quia Christus cui credidi,potẽs est seruare salutem meam in illum diem, id est, in diem iudicij:quam salutem in spe & in fide illius collocaui. *Formam habeas*, id est,exemplum *sanorum verborum quæ à me audisti.* Sana verba sunt siue sana doctrina, quando hoc quod predicatur,operibus impletur *bonum depositum custodi per spiritum sanctum qui habitat in nobis*, id est, doctrinam & operationem quam tibi commendaui, custodi per virtutem spiritus sancti,qui est in nobis:vel, depositum quod accepisti per spiritum sanctum,custodi *Scis quia auersi sunt*, id est,recesserunt *à me omnes qui in Asia sunt* Si Apost.intantum prædicauit in Asia,donec omnes Asiani crederẽt, sicut in Act.Apost.Lucas dixit,quare hic dicit Apost.à se

omnes receſſiſſe? Et ibi ergo & hic totum pro parte poſitũ eſt. Crediderunt ergo omnes Aſiani electi & prædeſtinati, receſſerunt omnes reprobi & non predeſtinati, ex quibus eſt Phygelus & Hermogenes. Alter fuit Phygelus, & alter fuit Philetus, & tamen vtérque apoſtata, Phygelus & Hermogenes ſocij fuerunt, de quibus hic dicitur: & Philetus ſimiliter & Hymenæus, de quibus in ſubſequentibus ſermo habebitur. Phygelus ergo & Hermogenes adhæſerunt non ſimpliciter beato Apoſtolo, ſed vt explorarent eius prędicationem & conuerſationem, & reprehenderent eũ. Sed cum hoc non potuiſſent, receſſerunt ab illo, quia non erant rectè fidei, *Det miſericordiam dominus Oneſiphori domui*, id eſt familiæ illius. Iſte Oneſiphorus Aſianus fidelis erat effectus per prædicationem Apoſtoli: qui cum ſui cauſa veniſſet Romam ad imperatorem, vtpote quia nobiliſſimus erat, magnæ quę dignitatis, requiſiuit vbi eſſet Apoſtolus. Et cum reperiſſet illum eſſe in carcere, non eſt dedignatus ad illum venire, ſed conſolatus eſt illum, & præbuit ei quæ neceſſaria erant. Inde dicit Apoſtolus, *ſæpe me refrigeraut* ſuo colloquio & conſolatione *& catenam meam non erubuit. Det illi deus* pater *inuenire miſericordiam in illa die à domino* ſubaudis filio, id eſt, in die aduentus filij dei ad iudicium, det illi deus pater miſericordiam inuenire. Tale eſt hoc, quale & illud quod legitur in Geneſi. Pluit dominus, filius, à domino patre *Quanta Epheſi miniſtrauit* idem Oneſiphorus non ſolùm mihi & tibi, verùm etiam aliis fidelibus, *tu melius noſti* ſubaudis, quàm alius.

CAPVT II.

TV verò fili mi confortare in gratia dei vel in ſapientia dei *quæ eſt in Chriſto Ieſu* & quæ audiſti à me per multos teſtes *ſiue quæ audiuiſti coram multis teſtibus* hæc commenda fidelibus hominibus, *qui idonei erunt & alios docere*, Illis debet committi prædicatio diuina, qui apti ſunt illi officio in omni conuerſatione ſua, videlicet vt quod prædicãt ore, confirment operibus. *Nemo militans deo, implicat ſe negotiis ſecularibus*, quia nemo poteſt duobus dominis ſeruire, Deo & ſeculo.

ſeculo. Secularia negotia ſunt, per vſuras & adulationes lucra temporalia acquirere, ſicut faciunt illi qui regibus & comitibus ideo ſeruiunt, vt ab eis temporalia accipiant beneficia. A talibus debent ſe cuſtodire epiſcopi, qui (vt Canones dicunt) prædicationi debent ſemper inſiſtere & orationibus. Et non ſolum Epiſcopi, ſed etiam omnis ordo eccleſiaſticus debet ſe (inquantum valet) ab his immunem reddere. Ideóque debet qui deo militat, ab his ſe remouere *vt ei placeat* Deo, cui ſe probauit, *id eſt, cui ſe deuouit tempore baptiſmatis. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus* ſui laboris *percipere*. Quantum ad literam pertinet, dignum eſt vt agricola & vinitor primùm fructus ſui laboris deguſtent. Altiori autem ſenſu, ager eſt hic mundus vel eccleſia, agricolæ & vinitores ſunt prædicatores, qui ligone verbi dei excolunt corda auditorum. Qui debent fructus ſui laboris, id eſt victum & calciamentum & veſtimẽtum accipere ab auditoribus ſuis, quia dignꝰ eſt operarius mercede ſua. Et primùm debent illi ſuam neceſſitatem implere ex his quæ accipiunt, & ſic poſtmodum aliis de his quæ ſuperſunt miniſtrare. Fortaſſe quærit aliquis, quare Apoſtolus qui labore manuum ſuarum viuebat, talia præceperit Timotheo, videlicet vt acciperet ab auditoribꝰ ſuis ea quæ neceſſaria ſibi erant? Cui reſpondendum eſt. Timotheum bonæ voluntatis atque intẽtionis fuiſſe: & quia ipſe ſciebat beatum Apoſtolum labore manuum ſuarum viuere, nihilque accipere à ſubiectis, volebat imitari magiſtrum: ſed non volebat operari, grauatus infirmitate ſtomachi. Quapropter ſcripſit ei Apoſtolus quatenus acciperet à ſubiectis ſubſidia, conſulens infirmitati illius. Vnde & ſubdit: *intellige quæ dico*, ſubaudis, quia ad te pertinent. *Dabit enim tibi dominus intellectum* non ſolum in his, ſed etiam *in omnibus. Memor eſto dominum Ieſum reſurrexiſſe à mortuis, ex ſemine Dauid*, id eſt de progenie Dauid. *ſecundum euangelium meum*, id eſt ſecundum prædicationem meã, Non oportet quando ad Timotheum ita ſcribebat Apoſtolus, vt ipſe ignoraret, ſed propter hæreticos quos præuidit futuros, qui dicturi erant Chriſtum non reſurrexiſſe à mortuis neque natum de virgine. Si enim de virgine natus non eſt, vtique nec de ſemine, id eſt de progenie Dauid deſcendit. Sed veritate roboratum eſt, illum de ſe-

mine mulieris esse natum sine semine viri, & tamen virgo permansit *in quo* Euangelio *laboro vsque ad vincula quasi male operans*, id est quasi latro, aut homicida. *sed verbum Dei non est alligatum.* id est, licet ego sim alligatus corpore, tamen verbum dei non est alligatum: quia semper prædico positus in vinculis. *Ideo* subaudis quia verbum Dei non est alligatum. *omnia* incommoda *sustineo propter electos*, id est propter illos qui electi & prædestinati sunt vt salutem consequantur. *Nam si commortui sumus, & conuiuemus*, id est, si morimur peccatis in baptismate, sicut Christus mortuus est carne sine peccato, viuemus vtique cum illo vita æterna, si in bonis operibus permanserimus, & superuiuemus in spe. *Si sustinemus*, subaudis, tribulationes & passiones pro Christo in hoc seculo, sicut ipse sustinuit pro nobis *& conregnabimus cum illo.* in æterna beatitudine. *Si negauerimus*, subaudis illum coram hominibus *& ille negabit nos* sicut ipse dixit: Qui negauerit me coram hominibus, negabo eum coram patre meo. *Si non credimus* illum subaudis filium dei esse, & verum Deum *ille fidelis manet*, id est, verus deus manet. Sicut deus omnipotens non eget nostra laude, sic etiam si adhæremus illi, non crescit: neque si recesserimus, decrescit, quia semper manet idem *negare seipsum non potest.* i negare seipsum nõ vult q̃ nõ sit deus, vt B Aug. dicit. Nec enim decet deũ vt semetipsum neget. *Hæc commone, testificans coram deo*, id est, testem deum inuocans. *Noli verbis contendere* subaudis, neque cum gentibus, neque cum Iudæis. *Ad nihil enim vtile est* contendere *nisi ad subuersionem* siue ad deceptionẽ *audientium* Sæpe dum contendunt homines de quæstionibus scripturarum, maxime illi qui sapientes videntur esse, decipiunt corda auditorum simplicium, quia plerũque talia proferunt quæ cõtra salutem sunt, & contra veritatem, non curantes nisi tantum modo vt vincant. Attamen si aliquid disputandum est de scripturis diuinis, inter sapientes potius collatio est habenda cum ratione, quàm contentio cum furore. *Solliciti*, id est, studiose *cura teipsum probabilem*, id est, probatum & laudabilem *exhibere deo, operarium inconfusibilem* siue irreprehensibilem *recte tractantem* & cum veritate exponentem *verbum veritatis, Profana autem*, id est, irreligiosa & veritati contraria *& vaniloquia* quæ nullam

nullam vtilitatem habent, *deuita*, & fuge. *Multum enim proficiunt ad impietatem*, id est multum prævalent ad irreligiositatem vaniloquia. *& sermo eorũ*, id est sermo hæreticorũ, *vt cancer serpit.* Sicut morbus qui appellatur cancer, quando nascitur in membro hominis, totum membrum occupat, & plerunque totum corpus mortificat, quia magis ac magis serpit, id est crescit, carnémq; comedit: ita sermo hæreticorum vitã animę comedit, i. fidẽ comedit, & mortificat ipsam animam suo errore. & sicut cancer serpit, id est, crescit de membro in membrum, ita error crescit de vno transeundo in plurimos. *Ex quibus* hæreticis vaniloquia siue inaniloquia habentibus *est Hymenæus & Philetus, qui à veritate* fidei *exciderunt* siue ceciderunt *dicentes resurrectionem iam factam*, Duæ resurrectiones à domino sunt prolatæ, & à nobis creditæ. Prima est quæ fit in anima & in fide, quando homo qui mortuus est i infidelitate, in inobediẽtia, in iniustitia, omnibúsq; peccatis, venit ad baptismum, & per fidem qua credit in deum omnipotentem, & per gratiam baptismatis resurgit ad fidem & obedientiam. De qua resurrectione dicit dominus: Venit hora & nunc est, quando mortui audiẽt vocem filij dei. & qui audierint, id est qui obedierint, viuẽt. Altera est generalis corporum, quæ erit in die iudicij, de qua etiam ait dominus: Venit hora quando omnes qui in monumentis sunt, audiẽt vocem filij dei, & procedent. De illa resurrectione quæ fit in anima & in fide, loquitur hic Apost. quam Hymenæus & Philetus dicebant iam esse, & nunquid verum non dicebant? verum vtique, neque propter hoc reprehenduntur ab Apostolo, sed propterea quia istam solummodo confitebantur, alteram quæ erit in corpore, denegantes. Omnes enim sectæ quæ suum errorem hominibus inserere præsumpserunt, non negauerunt istã mentium resurrectionẽ, vt B. Augustin. dicit, sed corporum, ne diceretur eis: Si non resurget anima, quare mihi talia loqueris? Quid in me facere vis? *Si non fuerit* ex deteriore meliorem, quare mihi loqueris? Multi tamen carnis resurrectionem negauerunt, sicut Hymenæus & Philetus, qui à fide & societate B. Pauli recedentes seminabant errorem huiusmodi: Quicunque baptizatus est, iam resurrexit in anima. Non est necesse vt timeat aliquis, quia non erit resurrectio corporum. *Sed firmum fundamentum dei stat,*

habens signaculum hoc. Quasi diceret aliquis: Et quis poterit resistere eis, Phileto scilicet & Hymenæo? Ideo subiecit statim: Firmũ autem fundamentum dei stat. Firmũ fundamentum dei appellat fidẽ firmam qua credimus deũ omnipotẽte, sicut credendũ est, & qua credimus resurrectionẽ animarum in præsenti, & corporũ in futuro. Istud fundamentum stat in cordibus fidelium, habens hoc signaculum subaudis quod sequitur. *Nouit dominus qui sunt eius* ista est impressio sigilli, quia nouit i. elegit dominus illos qui ad eius hæreditatem pertinent. Et hoc est signaculũ fidei, quia aliis recedentibus à fide, illi qui electi sunt, nullo modo possunt seduci. Nam dei cognoscere, eligere est. Et si ita est. i. si dominus elegit illos qui sunt eius *discedat ab iniquitate.* i. ab hominibus iniquis: & si non valet corpore, saltem mente. Vel etiam ab omni iniquitate & errore recedat *omnis* electus *qui nominat nomen domini* sicut nominandũ est, corde vi delicet, ore, & opere. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia.* Quantũ ad literã attinet, in magna domo regis, aut alicuius hominis magni sunt vasa aurea & argentea in honorẽ, in quibus ipse comedit, & potat, sunt lignea & fictilia in contumeliam, vbi coquuntur carnes, & defertur aliquid. Altiori autem sensu, ista magna domus, sancta ecclesia est, quæ tantæ magnitudinis est, vt ab oriente vsque ad occidentem, à meridie vsq; ad septentrionẽ protendatur. In qua sunt vasa aurea & argentea, electi: sunt lignea & fictilia, reprobi. Per aurũ intelliguntur illi qui spiritalẽ sensum habent, per argentũ minoris dignitatis, qui habẽt eloquiũ & sermonẽ. Isti sunt in honorem, quia ad honorẽ & gloriam patriæ cælestis subleuabuntur: lignea & fictilia sunt reprobi, qui demerguntur in supplicium damnationis. *Si quis ergo se emundauerit ab istis* subaudis hæreticis & erroribus *erit vas in honorem. Iuuenilia autem desideria*, id est, adulterium, immunditiam, luxuriam, furtum, rapinam, venationem, vagabunditatem, omnémque lasciuiam, deuita & fuge. *Sectare*, id est amplectare *iustitiam* vt rectè viuas: ac si diceret. In locum iuuenilium desideriorum insere istas virtutes. *Stultas autem quæstiones* Iudæorum, hæreticorum, atque gentilium *&* quæ sunt *sine disciplina*, id est, sine aliqua vtilitate *deuita, quia generant lites* lites verò generant odium. *Seruum autem domini*

ni oportet docibilem esse. Quantum ad proprietatem verborum pertinet, hoc distat inter docilem & docibilem, quia docilis est, qui alios potest docere: docibilis, qui facilè potest doceri, vnde dicitur: Erunt omnes docibiles deo, id est facile docebuntur à deo. Sed Apost. non curãs de proprietate verborum, videtur in hoc loco docibilem posuisse pro docili: quia episcopus docilis debet esse, id est, alios debet docere *cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati, ne forte det illis deus pœnitentiam* subaudis de pristinis erroribus & peccatis *ad cognoscendam veritatem.* Hic sermo quo dicit, ne forte: vel sicut quidam codices habent, nequando det illis deus pœnitentiam, pro si forte ponebatur antiquitus, sed modo inusitatus habetur. Corripientem, inquit, eos cum modestia, si forte det illis deus pœnitentiam. *& resipiscant à diaboli laqueis*, id est, vt recedant ab erroribus diaboli, quibus illaqueati tenentur, & incipiant iterum sapere veritatem. Nam resipiscere est quasi resapere *à quo* diabolo *capti tenentur ad ipsius* diaboli *volũtatem* peragendã.

CAPVT III.

IN nouissimis diebus, id est, in vltima ætate *erunt homines seipsos amantes* subaudis non deũ, Seipsum amat, qui sibimetipsi placet, qui desideria & volũtates proprias implet, non dei, nec potest dicere cũ Petro veraciter, Tu scis quia amo te. Nam ille deum amat, qui non quærit suam voluntatem, sed dei. Paulus Apostolus propheta erat, ideóque prophetauit quæ modo sunt in ecclesia, & quæ adhuc futura sunt. Qui enim hoc animo pascunt oues Christi, vt suas velint esse, non Christi, sed conuincuntur amare, non Christum. Et erunt *cupidi*, id est, amatores pecuniarum. *elati* volentes aliis dominari, superbi, gloriantes de honoribus quos à subiectis accipiunt *blasphemi* deum blasphemantes per hæreses *parentibus non obedientes* id est, patribus spiritalibus vel etiam patri & matri. *ingrati* beneficiis Dei, vel malum pro malo reddentes *scelesti* patrem & matrem nõ honorantes, modum peccati transcendentes, vel interficientes animas suas & alienas. *sine affectione*, id est, sine dilectione, non compatientes infirmis, criminatores id est,

detractores,famam sanctorum maculare conantes *incontinentes*, id est cupiditates pessimas non refrenantes *immites*, id est sæui,lites generantes *sine benignitate*, id est, sine beneuolentia,nescientes neque volentes subuenire aliis, *proditores*,id est facta bonorum hominum, quæ occultanda sunt,inimicis indicantes & manifestantes: quia non est homo qui faciat bonum & non peccet, *protervi*,id est, procaces, verecundiam humanam inuerecunda excogitatione perturbantes *voluptatum amatores magis quàm Dei* spiritalibus gaudiis lætitias temporales anteponentes, & desideria carnis perficientes. Hæc omnia vitia ex illa radice pullulant,quòd sunt homines seipsos amantes *habentes quidem speciem pietatis*, id est exemplum religionis *virtutem autem eius abnegantes.* Virtus religionis suæ pietatis est finis siue completio præcepti, id est, charitas de corde puro,& conscientia bona,& fide non ficta, id est, charitas cum fide & spe,& cum executione bonorum operum. *Ex his* enim subaudis hæreticis *sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis.* Præuidit spiritu sancto repletus Apostolus Manichæos hæreticos futuros & alios,& loquitur de futuro quasi de præsenti. Manichæi enim ingrediebantur in domo mulierum, & decipiebant eas,& hoc maximè apud Persidem.Inde dicit Apost. Erũt inquiens, quidam qui penetrabunt mulierum domos, & ducent mulierculas captiuas à sensu rectæ fidei ad prauum sensum *oneratas peccatis*,quæ ducuntur variis desideriis atque erroribus *semper discentes,& nunquam ad scientiam veritatis peruenientes* qui studium videntur habere, sed non perueniunt ad hoc vt discernant inter veritatem & mendacium,inter bonum & malum. *Quemadmodum autem Iãnes & Membres restituerunt Moysi, ita & hi qui resistunt veritati.* Animositas hæreticorum semper inquieta est. Quos magi Pharaonis haberent conatus, demonstrat Apostolus Iammes & Membres duo fratres fuerunt magi,quorum nomina Apost.nõ inuenit in diuinis libris,sed in apocryphis, id est in occultis, qui ab omnibus non sunt legendi, quia inter vera multa cõtinentur falsa.Isti ergo duo magi restiterunt Moysi,quãdo & virgas suas cõuerterũt in dracones, sicut Moyses suã,& aquam in sanguinẽ. Sed cũ peruentum esset ad tertiũ signũ.i.ad ciniphes, ibi defecerũt,dicentes: Digitus

Digitus dei hoc est.Sublato enim signo à terra, sublata est & eorum magica maleficẽtia. Et bene etiam à tertio signo superati sunt,quia virtute spirituſsancti, qui tertia persona est trinitatis,illorum maleficentia est victa, *homines* dico erunt *corruptimente,reprobi circa fidem*,id est,non probi *sed vltrà non poterunt* subaudis resistere,si adhibita fuerit veritas. Sic factum est:Statim vt hæretici in concilium verorum doctorum venerunt,& cum illis cœperũt habere narrationem,vltra non potuerunt superare suis erroribus alios, sicut Eluidius superatus à B. Hieronymo & alij hæretici ab aliis veris doctoribus. *Tunc autem assecutus es meam doctrinam & institutionem*,quod idipsum est. Instituo autem dicitur quasi intus statuo. Et assecutus est etiam propositũ meũ bene viuendi. *Omnes qui volunt pie*,id est, religiosè ac iuste *viuere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur* aut diabolo, aut à malis hominibus,vel etiam à suiipsorum membris. *Omnis scriptura diuinitus inspirata*, id est à deo data *vtilis est ad docendum* alios *ad redarguendum* negligentes *ad corripiendum* volentes in malitia permanere *ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo dei,ad omne opus bonum instructus.*

CAPVT IIII.



Estificor coram deo & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & mortuos: & per aduentum ipsius & regnum eius, prædica verbum euangelij *insta* in admonitione *opportunæ* volentibus, & in portu quietis consistentibus *importune* nolẽtibus,*argue* peccantes *obsecra* bene laborantes vt in melius proficiant *increpa* illos qui nolunt corrige se *in omni patientia & doctrina.* Quid est quod ad Titũ scribens præcepit illi inquiens,Increpa cũ omni imperio:& ad Timotheũ similiter epistolam dirigens dicit,Increpa cũ omni patiẽtia, nisi quia medicus erat amborũ?Nã Titus nimiæ erat patiẽtiæ, ideóq; præcepit ei & instigauit ad hoc vt increparet cũ omni imperio, ne forte propter suã mansuetudinẽ non corriperet delinquentes.Timotheus autẽ quia acrioris animi erat, necesse habebat admonere vt cũ omni patiẽtia increparet delinquentes,nẽ forte vltra modũ durè increpans, in desperationem aliquem pusillanimen poneret. *Ad sua desideria*

coacernabunt sibi magistros, id est veritatis magistros contemnentes, congregabunt sibi magistros qui illa loquẽtur quæ ipsi desiderant, & ad voluntatem ipsorum pertinent *prurientes auribus*. Prurire est scalpere. Illi pruriunt auribus, qui semper aures habent intentas ad hoc vt aliquid noui audiant, *Opus fac euangelistæ*. Opus euangelistæ est docere & operari, sicut legimus de Christo, Quia cœpit Iesus facere, & docere. Qui ergo bonum aliquod denuntiat, sed ipse idipsum opus non implet quod docet, euangelista quidem appellari potest, sed opus euangelistæ non facit. *Ministerium tuum imple*. Ministerium illius erat alios docere, vt eo recedente à corpore, remaneret aliquis qui in eius locum subrogari potuisset, & est sensus: Tempus meæ passionis iam imminet, in proximo est & tuus recessus. Sicut ergo te docui, vt remaneret post me qui ministerium meum impleret, sic & tu alios instrue, qui tibi succedant. & quasi ei diceret Timotheus, quare mihi præcipis vt ministerium meũ impleam? subiunxit, inquiens, *Ego enim iam delibor, & tẽpus meæ resolutionis instat* siue imminet. Libare dicimus effundere vel immolare. Inde componitur delibo delibas, & delibor delibaris. hic autem pro sacrificatione & immolatione ponitur, ac si diceret: Ego enim iam immolor. Sacerdos Petri & Pauli extitit Nero, sed ei' immolatio nõ est reputata ad gratiã, mors autẽ illorum gratissimum sacrificium fuit deo. *Bonum certamen certaui*, id est bene pugnaui *cursum consummaui*. Sicut ille qui in stadio currebat, perueniens ad locum destinatum, brauium sibi promissum accipiebat: sic beatus Apostolus inter metas fidei currens peruenit ad acoronm sui laboris. Vnde ipse dicit *Fidem seruaui, in reliquo* siue de reliquo vel de cætero *reposita est mihi* & reseruata apud deum *corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die*, id est, in die iudicij *iustus iudex*, Sic loquitur de die iudicij absolute, quasi de re omnibus nota. Re enim vera omnibus certa & nota debet esse illa dies, & ab omnibus expectanda. *Non solum autem mihi* subaudis, reddet coronam *sed & his qui diligunt aduentum eius*. Illi diligunt aduentũ eius, qui securi de præmio sperãt se remunerari ab illo. Sicut rex quilibet aut imperator alicui suorum principum coronam tribuebat antiquitus victoriã reportanti ab hostibus, ita dominus suis victoribus & militibus

tibus præmia æterna & brauia sine fine mansura donabit. *Demas me reliquit, diligens hoc seculum* magis quàm deum: *& abiit Thessalonicam* Iste adhæsit Beato Apostolo per multum tempus, sed cum tempus persecutionis aduenisset, recessit ab illo, factúsque est apostata. *Crescens in Galatiã*. Iste extitit fidelis, & causa prædicationis abiit ad alias nationes Apostolo volente, similiter & Titus. *Marcum assume, & adduc tecum. & enim mihi vtilis in ministerio prædicationis*. Iste est Marcus Euangelista, qui cum Petro & Paulo multo tempore mansit, aliquando merãs apud Petrum, aliquando apud Paulum. *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum: & libros*, quos ibi dimisi *maxime autem membranas* defer, vbi scribam meas epistolas. Penula vestis erat consularis, qua induebantur consules Romani quando ingrediebantur in curiam. Sed forte quæret aliquis, quomodo vel vnde acciderit hoc genus vestimenti Beato Apostolo? Cui respondendum est, Romanos ante aduentum domini hunc habuisse morem siue consuetudinem, quando monarchiam totius orbis sibi acquirebant, vt quæcunq; gens eis cum pace & coronis occurrisset, darent ei libertatẽ, in tantũ vt fratres eorũ dicerẽtur, ciuésq; Romani appellarẽtur: dabãtq; eis potestatẽ ædificandi curiam, & habere consules, sicut & illi habebant. Pater igitur Pauli de Giscali oppido terrę repromissionis fuit, vbi natus, trãslatus est in Tarsum Ciliciæ. Quodam tempore venientibus Romanis per Ciliciã occurrit eis ipse cum aliis Tarsensibus, vtpote qui nobilis inter illos habebatur, & excepit eos cum pace. Tunc Romani dederũt eis libertatẽ supra dictam, & potestatem ædificandi curiam, vestésq; induere consulares, vt penulati intrarent in curiam more Romanorum: ibique pater B. Pauli penulam accipere meruit causa dignitatis: post cuius mortem Apostolo, ob memoriam eius recordationis hanc vestem sibi retinuit *Alexander æratius multa mala mihi ostendit*. Iste est Alexander de quo iam supra diximus, qui reuersus est ad apostasiã. Et quia erat artifex, fabricabat ædes Dianę apud Athenas: vnde & ipse commouit omnem ciuitatem contra Apostolum, resistens fortiter prædicationi eius. *reddet ei dominus secundum opera eius*. Non ait, Reddat, optatiuo modo, sed reddet indicatiuo, quod verbũ prænuntiatis est,

non imprecantis. Sic dicit & de illa hypocrisi Iudæorum, cũ euersionem imminere cernebat: Percutiet te deus paries dealbate. Prophetæ nanque solent maximè figura imprecantis futura prædicere, sicut figura præteriti temporis ea quæ ventura erant, sæpe cecinerunt. *In prima mea defensione nemo mihi affuit.* Defensionem in hoc loco appellat persecutionem atque pressuram, quam sustinuit quando in primordio suæ fidei missus est cum Barnaba à spiritusancto ad prædicandum. Quam persecutionem bene vocat defensionem, quia tribulatio temporalis defendet electos in die iudicij à pœnis inferni. *Omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.* Non orat pro Alexandro qui infidentia fraternitatem oppugnando peccauerat, sed pro his orat qui non abruperant amorem, sed timore succubuerant, vt eis ignoscatur. Quapropter interest multum cum post agnitionem dei quispiam oppugnat fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam qua reconciliatus est deo, inuidentiæ facibus agitatur. *Dominus autem mihi astitit, vt audiant omnes gentes verbum prædicationis* de ore meo. *& liberatus sum de ore leonis*, id est de insidiis diaboli, de quo dicit Petrus, Aduersarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quæ deuoret. Vel etiam leonem appellat Neronem, de cuius manibus liberauit eum dominus quando venit Romam adductus ab his qui præerant Iudææ, ob hoc quia Cæsarem appellauit. Nam cum venisset Romam, duobus annis mansit in libera custodia, & in suo conductu, & postea transiuit ad alias nationes quæ erant in circuitu Romæ. Nam quando ista scribebat, in libera custodia erat: & quia non statim vt adductus est, interfectus est, ideo dicit se liberatum. *Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo sit*, Dominus Iesus Christus, deus & homo est, ideo orat Apostolus vt verbum dei patris, dominus videlicet Iesus, sit cum spiritu illius. Et si fuerit cum spiritu, erit & cum corpore. *Gratia vobiscum*, id est remissio peccatorum, & reconciliatio dei patris, omniaque bona quæ diuinitus gratis largiuntur, sint vobiscum. *Amen*, id est fiat, vel vera sint quæ hactenus scripsi, &c.

Gene.1.

IN

IN EPISTOLAM AD TITVM ARgumentum Haymonis.

T Ransiens Apostolus à Creta insula ad alias nationes & ciuitatum incolas, reliquit Titum discipulum suum Cretæ vice sua, vt haberet qui nupererant ad fidem cõuersi protectorem, ne forte Iudæorum garrulitate, aut hæreticorum latratu, à statu rectæ fidei subuerterentur. Sed vt illum solicitiorem redderet, præsertim cum castigatio seu hortatio magistrorũ studiosorum studiosiores efficiat discipulos, commonefacit eum & instruit ad plenum de constitutione presbyterii, & de spiritali conuersatione, & de hæreticis vitandis qui Iudaicis fabulis credunt, scribens ei à Nicopoli ciuitate.

IN EPISTOLAM P. AVli ad Titum exegesis.

CAPVT I.

Paulus seruus dei. Cum dominus ac redemptor noster Apostolis suis dixerit, Iam non dicã vos seruos, sed amicos meos: queri potest quare egregius prædicator & magister gentium seruum se postmodom vocauerit? Sed si bene perpenderimus, duo esse genera seruitutis, sicut & timoris, procul dubio luce clarius patebit, quia non extitit contrarius verbis dominicis. Siquidem seruitus timoris est qua timet seruus dominum suum, & ancilla dominam suam, timentes ab eis flagellaris: Seruitus autem amoris est qua timet bonus filius patrem suum, metuens animũ eius offendere in aliquo, atque hæreditate priuari? De seruitute ergo illa quæ pertinet ad timorem pœnalem, dicit Apostolis quia iam non dicam vos seruos timoris, sed amoris. De illa vero quę pertinet ad amorem filiorum, loquitur alibi, dicens: Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus. Et Psalmista: Timor (inquit) domini castus permanet in seculũ seculi. Hunc nanque timorem habent & sancti angeli, quem

profecto habuerunt Apostoli peraduentum spiritussancti. per quem diffusa est charitas in cordibus eorum, quem & nos summopere debemus habere. Quæri etiã potest, quid sit quod in epistola ad Romanos seruũse Iesu Christi vocat, hic autem seruum dei patris: nam cũ dicit Paulus, Seruus dei, nomine dei, persona patris accipitur. Ad quod dicendum, quia vt demonstraret in tribus personis vnam essentiam, vnãque deitatem, atque vnam potentiã esse, aperte ibi seruum se dixit Iesu Christi, & hic dei patris: quoniã sicut illæ tres personæ regnant & dominantur omni creaturæ, ita inseparabiliter omnem seruum sibi deuotum possident: ac per hoc quicunq; seruus est Christi, vtiq; seruus est patris ac spiritussancti. *Apostolus autem Iesu Christi* dixit, sicut seruitus Apostoli indifferenter ad totam trinitatem refertur, ita quoque Apostolatus eius in commune ad totam trinitatem est referendus. Tota enim trinitas elegit illum ad prædicationis gratiam, dicens ad Apostolos: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. At verò considerate discreuit seruitutem ab Apostolatu, quoniam non omnis qui seruus, statim & Apostolus: sed quicunque Apostolus, vtiq; & seruus. *Secundũ fidẽ electorum dei* Electos hic accipere debemus illos de quibus dominus dicit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & de quibus idẽ egregius prædicator, qui elegit nos in Christo ante mundi constitutionem eos videlicet, qui non tantum vocati, sed insuper electi sunt ad gloriam sempiternam, st cũdum quorum electorũ fidem Paulus Christi Iesu Apostolus est, quia ad rectitudinẽ fidei quam ipsi Apostoli tenuerunt, missus est ipse gentibus prædicare. *& agnitionẽ veritatis quæ secũdum pietatem est.* Ex superioribus pẽdet, hoc modo: Apostolus Iesu Christi, secundum fidem electorum dei, & secundum agnitionem veritatis, quæ veritas secũdũ pietatẽ est. Veritas est Christus, qui dixit, Ego sum via, veritas, & vita: secundũ cuius agnitionem, Paulus Apostolus officiũ impleuit, immo secundũ agnitionẽ totius trinitatis, quæ summa veritas est. In hoc enim secundum agnitionem veritatis Apostolus extitit, quia agnouit omnipotentẽ deũ trinitatẽ habere in personis, & vnitatẽ in substantia deitatis. Et hæc agnitio veritatis bene secundũ pietatẽ (hoc est religionẽ dei) dicitur constare: quoniam ea docet, & ea amando

amando amplectitur, quę ad religionẽ veri dei pertinent. est nanque veritas carens pietate, sicut in liberalibus artibus, Grãmatica enim atque dialectica, veritatem recte loquẽdi habent, & inter falsa & vera syllogismorũ argumẽtatione diiudicant: sed tamen agnitionem pietatis minime in se habẽt, dum de religione veri dei & salute animæ non disputant. Geometria quoq; & arithmetica simúlque & musica quæ numerorum subtilitate consistunt, agnitionem veritatis in se quidem habent, sed non est illa scientia pietatis agnitio. Vt ergo Apostolus ostenderet se agnitionem illius veritatis habere, quæ secundum pietatem est, idcirco prouide ista protulit. Sequitur, *in spem vitæ æternæ.* Fides electorum & agnitio veritatis, quæ secundum pietatem est, in spem vitæ æternæ remunerationis posita est: quia quicunque fidem rectam habet, atque agnitionem omnipotentis dei, quam pie & religiose viuendo exornat, vtique spem æternæ remunerationis possidet. Neq; enim aliquis valet habere fidem agnitionémque veritatis, si defuerit spes certa *quam promisit qui non mentitur deus, ante tempora secularia.* Certum omnibus fidelibus est, quia omnis homo mendax, solus autem deus verax, qui potest cuncta implere quæ promisit. Ipse ergo qui non mentitur, quia summa veritas est, ipse promisit fidelibus suis vitam æternam ante tempora secularia. Secularia dicuntur à sequendo, quòd in se reuoluantur, Varrone teste, Secula autem computantur ex eo quo materies informis per species discreta est, & ex quo deus dixit, Fiat lux, & facta est lux. Ex eo enim cœpit varietas temporis, & vicissitudo horarum paritérque dierum in semet reuoluitantea vero, vt doctores dicunt, non erat tempus, sed æuum, quod solummodo esse habebat. Nam inter tempus & æuum hoc distat, quia æuum stabile est, tempus vero mutabile. Sed si hominibus promisit vitam æternam, quod omnino non dubium est, quomodo promisit illis qui necdum erant creati, ante tẽpora secularia, nisi quia in eius æternitate in præsentia & prædestinatione iã fixũ erat quod congruo tẽpore futurũ erat. Quãuis igitur humana diuinis ex toto nõ sunt cõparãda, dicamus tamen aliquid sub exẽplo, vt lucidius cõprehendatur quod dicitur: Quilibet hominum cupidus filij multo antequã habeat illum, procurat domos, familiam

possessiones prædiorum, disponens in animo suo omnia illa dare filio, necdū adhuc nato. Ita & omnipotens deus in præscientia & prædestinatione sua promisit fidelibus atq; electis suis ante omnia tempora vitam æternā dandā. Sequitur *manifestauit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum saluatoris nostri dei.* Verbum dei patris, filius est, de quo Ioannes: In
Ioan.1. principio (inquiens) erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Istud verbum quod in natura deitatis inuisibile erat, manifestauit deus pater per humanam naturam, in qua homo factus, visibilis mundo apparuit temporibus suis, id est, congruis, & ab illo dispositis, de quibus idem Apostolus alias dicit: Postquam (inquiens) venit plenitudo temporis, misit deus filium suum &c Vita ergo æterna quam promisit deus pater electis ante omnia secula, verbum illius est, quod de seipso dixit, Ego sum via, ve-
Ioan.6. ritas, & vita. Et qui filium promeretur habere, qui est vita, habet vtique patrem cum spiritu sancto, quæ tota trinitas vna vita æterna est, sicut ipse dominus ait: Hæc est vita æ-
Iob.19. terna, vt cognoscāt te, & quem misisti Iesum Christum, cū spiritu sancto vnum & verum deum esse. Vitā igitur æternam, quam promisit ante omnia secula, id est verbum suū, manifestauit deus pater temporibus suis, eo modo quo dictum est. Manifestauit quoque nobis, quoniā vidimus illum præsentem in prædicatione siue per doctrinam Pauli apostoli, quæ credita & commendata est ei secūdum præceptū saluatoris nostri dei, qui dixit apostolis, Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Saluator autem deus nō alius intelligitur quam filius. Ipse enim cum patre & spiritu sancto vnus & verus saluator & deus est. *Tito dilecto filio* Filium suum cum vocat doctrina, exemplo, eruditione, atque disciplina, non tamen natura. Eodem modo Titus filius eius erat, quo & Corinthij, quibus ipse dicebat: Per euangelium ego vos genui. Nam ipse ad fidem Christi eum adduxerat *secundum communem fidē* Non secundum omnium credētium fidem Titus filius eius erat, quoniam nō omnium fides perfecta est, sed secundum cōmunem fidem dicit, hoc est, secundum suam & illius, quorū fides perfectissima erat. *Gratia & pax à deo patre nostro & Christo Iesu saluatore nostro, Amen.*

AD

AD LECTOREM.

Cursitatum est à compluribus candide lector sursum ac deorsum, nullam non eruentibus bibliothecam, quo presens Haymonis in Titum exegesis, quæ passim mutila circunfertur, ad integrum restitueretur: sed in quotquot incidimus exemplaria, antequam exordirentur fere succisa reperimus, non autoris vitio, sed bibliographorum nescio qua incuria, cum sint penes quos hoc opus integrum lateat, rerum tamen bonorum negligentiores, quàm vt ipsi edant, aut alijs edendum communicent. Quamobrem Christiane lector hoc qualicunque fragmento contentus viue, donec illi resipiscant, ac bonum commune diuulgent. Vale.

IN EPISTOLAM PAVLI AD Philemonem argumentum Haymonis.

B Eato Apost. prædicatione euangelica intonante in Asia, credidit inter cæteros quidam vir nobilis, nomine Philemon, diuina gratia illustratꝰ: & baptizatus est in sacro ac viuifico fonte. Apostolo autem digrediente ab illis partibus, non est persecutus eum Philemon, sed remansit in propria regione, ministrans de suis facultatibus fidelibus. Dives enim erat, abundans mul tis opibus Habebat tamen seruum nomine Onesimum, ad huc infidelem, qui eum fugiens, furatus est bona eius. Et quia dominus illius magnæ potestatis erat atq; nobilitatis, timens comprehendi ab illo, multisque tormentis affici, vtpote cui non paruum dispendium intulerat, transiit mare, & à Græcia venit Romam, ibique repericns Apostolum retrusum in carcerem pro fide Christi, accessit ad eum, quoniam agnoscebatur ab illo, sicque ab Apostolo instructus credidit, & baptizatus ministrabat ei. Et quia apostolus prædicabat seruos debere esse subditos dominis suis, duxit indignum, seruum alterius sine voluntate domini sui secum retinere. Quapropter remisit illum ad dominum suum, scribens ei familiares literas de carcere per eundem seruum, quatenus susciperet illum cum affectu dilectionis, non inferens pœnas pro bonis ab illo sublatis: Cuius epistolæ principium istud est.

IN EPISTOLAM PAVLI ad Philemonem, exegesis.

PAulus vinctus Iesu Christi De nomine Apostoli sæpius in aliis epistolis disputatum est. Nunc videamus quare in exordio huius epistolæ, vinctum Iesu Christi se dicat, & nomen apostolatus reticeat; quod in aliis solicitè ponere consueuit. Plus ergo videtur dicere vocãs se vinctum Christi Iesu quàm Apostolum: quoniã multi fuerũt qui dixerunt se esse Apostolos Christi dũ prædicarẽt, qui noluerunt esse vincti Iesu Christi, refugiẽtes tormentũ passionis. Nõ tamen omnis vinct⁹ Christi Iesu vinctus dici potest: quoniã multi sunt qui latrocinio, aut sacrilegio, aut aliqua culpa promerentur mitti in carcerẽ, vinculisque astringi: qui verò pro veritate fidei vinculantur, dubiũ non est quin vincti Christi Iesu existãt, sicut Paulus, aliíque Apostoli, qui gloriabantur vincti Christi Iesu appellari. Digni enim habiti erant pro nomine Iesu contumelias pati. Dicit ergo se vinctum Iesu Christi, vt nullo modo auderet inexpletum dimittere neque denegare quod miles tanti regis rogabat, *& Timotheus frater.* Timotheus coepiscepus eius erat ab illo ordinatus, ideóque frater in fide. Ponit autem cũ nomine suo nomen coepiscopi sui, vt maioris autoritatis esset eius epistola. Potest & aliter intelligi: Quandocunque Apostolus epistolas suas dictabat, erant in circuitu eius discipuli consedentes: & si alicui aliquid relatum esset, ita ponebat in corpore epistolæ, vtpote sua verba, recogitãs quia sæpe dominus iuniori reuelat quod melius est. Quapropter quia particeps erat illi⁹ epistolæ, Ponebat nomen illius vt suum. *Philemoni dilecto & adiutori nostro, & Appiæ sorori charissimæ.* in Græco non habetur dilectus, sed diligibilis. Non enim dilectus potest dici qui diligitur, & non diligit, neque est dignus dilectione. Diligibilis autẽ qui & diligitur & diligit, dignúsq; est dilectione: quod isti Philemoni satis cõgruit. Ipse enim dignus erat dilectione, ideóque diligebatur ab Apostolo, diligẽs & ipse Apostolũ. Adiutorem eũ vocat, quia in opere prædicationis

prædicationis collaborabat illis, & administratione facultatum suarum subueniebat fidelibus. Appia quam vocat sororem charissimam, religiosa fœmina creditur fuisse: quam causa dignitatis sorore appellat in fide, non quod reuera soror eius extiterit in carne. Fuit autem aut reuera coniunx Philemonis, aut etiam soror natura. Inseritur nomen illius in medium inter duos viros apostolicos, inter cooperatorem videlicet Pauli Philemonem, & commilitonem eius Archippum, vt tali ex vtroque latere fulta comitatu, non videatur ordinem sexus habere, sed meriti. Hic autem Archippus arbitrandus est cum Paulo & Timotheo contra aduersarios pro Christi nomine aliquando dimicasse, & victor extitisse: quapropter nunc commilito illorum nuncupatur, siue quòd in eodem certamine bellóque victor extiterit, siue quòd adhuc commilitaret illis in prædicatione assidua *& ecclesiæ quæ est in domo tua* Philemone ad fidem veniente, credidit vxor illius, & liberi, & maxima pars seruorũ illius: quibus omnibus Apostolus verba salutatoria dirigit, & quia plures erant, ecclesiæ nomine designauit illos. Ecclesia siquidem latino vocabulo dicitur cõuocatio fidelium. Vt ergo putaretur certius nõ ad Archippi, sed ad Philemonis referẽdum esse personam, aperte patefecit dicens, Quæ in domo tua est ò Philemon *Gratia vobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo* subaudis sit, In omnibus epistolis æquale principium ponit, gratiam eis & pacem optans, quibus scribit. Gratia autem est fides & remissio peccatorum, quam gratis consequimur in baptismo. Pax vero, qua reconciliamur deo patri & angelis. Potes quidẽ & ita intelligi, vt ad Deũ patrẽ referatur quod dicit, gratia vobis à deo patre nostro: & pax ad dominũ Iesum Christũ, qui per sanguinem passionis suæ factus est nobis pax & recõciliatio. Sed quia vna est patris filíq; natura, melius est vt simul ad vtrunq; referamus & gratiã & pacẽ, sicut aliis epistolis meminimus plenius exposuisse. Persona vero spiritussancti in donis suis intelligitur: vel vbi vna persona trinitatis auditur, ibi tota trinitas intelligitur. *Gratias ago deo meo semper memoriã tui faciẽs in orationib⁹ meis* Hactẽ⁹ Paulus & Timotheus Philemoni, Appiæ & Archippo pariter scripserũt, tamẽ in sequẽtibus approbatur Apostolus tantũmodo ad Philemonẽ scribere, & vnũ

eum vno sermocinari. Hunc etiam morem in aliis epistolis eius inuenire possumus, vt cũ plures in præfatione ponuntur, postea per totũ corpus epistolæ vnus disputans inducatur. Quod autẽ ait Gratias ago deo meo semper memoriã tui faciens in orationibus meis: ita accipiendũ est, vt semper gratias ageret deo ꝓ illorũ salute quos domino acquisierat, semperq; illorũ memoriã ageret in orationibꝰ, quatenus in fide recta bonisq; operibus perseueraret. Nec mirũ si ille quia alios hortatur, dicens, In omnibus gratias agite, & sine intermissione orate: ipse etiã hoc opere primũ impleuerit. Et notãdum quia cũ dixisset, Gratias ago deo, statim subintulit, meo: quoniã cũ omnipotẽs deus omnium cõmuniter deus sit, tamẽ specialiter eorũ dicitur deus esse, qui per fidẽ & vitæ meritũ eũ venerãtur & colunt, vt Abrahã, Isaac, & Iacob, de quibus ipse dicebat Moysi, Ego sum deus Abrahã, deus Isaac, & deus Iacob: per fidem videlicet rectam, vitæque meritũ. & quia beatus Apostolus fidẽ cõstantissimã habebat, per quã sciebat deum sibi placabilem fore: vitæque meritũ, quo non ignorabat illũ delectari: eũ fiducia dixit. Gratias ago deo meo. i. laudes referũ illi cum gratiarũ actione pro salute tua *audiens charitatem tuã & fidẽ quam habes in domino Iesu, & in omnes sanctos.* Philemon qui tãta laude dignus erat apud Apostolum, haud dubium quin charitatẽ haberet erga deũ & proximũ, fidem quoque habebat in domino Iesu, credendo in eũ & in omnes sanctos, imitator fidei illorum existendo. Ille enim fidẽ & charitatẽ habet in deũ & in omnes sanctos, quipsam charitatẽ & fidẽ in operatione vertit. Sequitur, *vt cõmunicatio fidei tuæ* subaudis qua cõmunicas & participas fidei apostolicæ *euidens fiat in agnitione omnis boni in Christo Iesu.* Potest ergo ex superioribus ita coniungi: Gratias ago deo meo audiens charitatem tuam & fidem quam habes in domino Iesu, & in omnes sanctos, semperque memoriam tui facio in orationibus meis, vt participatio fidei apostolicæ euidens seu manifesta fiat omne bonum in se habere. Communicatio siquidem hic pro participatione fidei apostolicæ accipitur, cui ille participabat, quanquam & ad communionem possit referri, qua participabat fidelibꝰ de facultatibꝰ suis. *Gaudium enim magnum habui & consolationem in charitate tua, quia viscera sanctorũ requieuerunt per te frater,* In carcere erat B. Apostolus,

B. Apostolus, ibiq; famam Philemonis audiebat, quia maximum refrigerium præstabat sanctis in tribulatione positis. Vnde & plenius inculcat quare dixerit, gratias ago deo meo memoriam tui faciens in orationibus meis. Dignum siquidem erat gratias agere deo meo pro charitate illius, qui interno cordis affectu & profundo animo sanctorum preces suscipiendo refrigerauerat. Viscera siquidem aliquando ponuntur pro filiis: aliquando pro interno & immenso dilectionis affectu, hic autem pro vtroq; accipi possunt. Viscera, inquit, sanctorum requieuerunt per te frater, id est filij sanctorum in tribulatione & egestate positi, refrigerium acceperunt in consolatione tua, & in subministratione qua eis ministrasti, siue interni sensus & magni affectus sanctorũ requieuerunt per te. Magnũ etenim refrigerium habent in tribulatione & egestate positi, dum aliquem repererint consolantem: quod apertè inuenitur impleſſe iste Philemon, *Propter quod* subaudis quia interni affectus requieuerunt per te *multam fiduciã habens in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet.* hoc est, ad vtilitatem tuam *Propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, vt Paulus senex, nũc autẽ vinctus Iesu Christi:* idcirco toties se repetit vinctum Christi Iesu esse, vt illũ in fide perfectissimũ redderet, nec desperaret si in eũ aliqua cõtrarietas prorũperet, siue etiã quia illi aliter subuenire nõ poterat positus in tribulatione, saltẽ quòd obsecrabat pro seruo, facilius impetraret. Poterat autẽ illi imperare, sicut ipse manifestat, vtpote Apostolus subiecto, præsertim cuius studio ad fidẽ venerat: sed quia maximã charitatẽ habebat erga omnes sanctos, maluit obsecrare quàm imperare. Nec enim erat necesse vt ex autoritate apostolica ei imperaret. In hoc autẽ quod dicit, cũ sis talis, vt Paulus senex: ostendit illũ coæuũ sibi, ac per hoc quasi honorabilius alloquitur illũ, quàm si esset iunior ætate. *Obsecro te pro meo filio quẽ genui in vinculis Onesimo.* Volens impetrare quod postulabat, iam non pro seruo Philemonis, sed pro suo filio præcatur, vt dum audit illũ ab Apostolo filium vocari, magis diligat illum vt fratrem, quàm tormẽtis afficiat pro fuga, & furto vt seruum. Genuerat autẽ illũ in vinculis positus, non carne, sed prædicatione, sicut & Corinthios, quibus dicebat: Per Euãgelium ego vos genui. In vinculis enim tenebatur, quãdo ad

illum venit Onesimus *qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autē & mihi & tibi vtilis* inutilis autem extitit Onesimus domino suo Philemoni, quando non solum de seruitio illius fugam se subtraxit, sed insuper illius bona furatus est. Tibi, inquit, soli inutilis, nō cæteris, nunc econtrario vtilitatis cōpensatione qua & ipsi domino & Paulo vtilis est cęteríſq;, per Paulū plus charitatis meretur quàm odij ante meruerat. Domino suo in hoc iā erat vtilis, quia seruiebat Apost. pro domino suo quod vtiq; dominus eius debuerat agere, si præsens esset. Apostolo in hoc erat vtilis, quia illo in carcere posito, vinculísq; detento, ministrat ei prout in tēporalibus, & insuper in spiritalibus, deferens literas Apostoli huc illúcq; *Tu autem illū vt viscera mea suscipe.* Viscera (sicut iam diximus) significant internum cordis affectum, & plenam ex animo voluntatē, cum totum quicquid in nobis est, suscipitur à rogante: aliquando tamen intelliguntur & filij: Suscipe, inquit, illū vt mea viscera, hoc est vt filiū meū charissimū: vel in illo suscipe internum affectū dilectionis meæ. *Quem ego voluerā mecum retinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis euāgelij.* Idcirco filiū suum, & filium vinculorū, & ministrum euangelij in vinculis constituti toties replicat, vt Philemon prudens dispensator tantū in præfatione laudatus nō auderet negare, ne suis laudibus videretur indignus: Vt pro te, inquit, mihi ministraret: quia si fieri posset, tu debueras mihi in vinculis posito ministrare. *Sine cōsilio autem tuo nihil volui facere* hoc est, nolui eū sine tuo cō sensu retinere, vti ne velut ex necessitate bonū tuū esset, sed voluntariū. Poterat quidē Apostolus sine volūtate Philemonis Onesimū sibi in ministerium retinere, sed si hoc sine voluntate eius fecisset, bonū quidem erat eius, sed non voluntariū: quod autem non esset voluntarium, ostenderetur non esse ex toto bonum. Nihil quippe perfectum bonū est nisi quod vltroneum est. Ex quo Apostoli considerandā est prudentia, qui idcirco fugitiuū seruum remittit ad dominū, vt posset domino suo prodesse, dum ab eo fuerit remissus: qui prodesse nō poterat si teneretur domino ignorante neq; volente. Quo loco quærūt nōnulli, quare omnipotens deus non creauerit Adam ita vt nō posset peccare. Quibus respondendū est: quia si talem fecisset eum vt non posset peccare, bonum illius non esset perfectū, quod præmiū

mium mereretur, sed necessarium: neq; etiā liberum arbitrium haberet. Creauit enim hominem ad imaginē & similitudinē suam, vt sicut ipse voluntate est bonus, non necessitate: ita & homo voluntate debet esse bonus, non necessitate. *Forsitam ideo discesſit ad horam à te, vt æternum illum reciperes, iam non sicut seruum, sed pro seruo charissimū fratrem,* Pulchrè aduerbium dubitatiuum addens, forsitam, sententiā temperauit, Occulta quippe dei iudicia sunt, & temerariū est quasi de certo pronūciare, quod dubiū est. Cautè ergo & timide, & nō fixo gradu loquutus est, ne videretur omnibus seruis occasionē fugiēdi dare, vt prędicatorū discipuli fierent. Quod autē dixit, ad horā, pro tempore posuit. Omne enim tēpus præsentis vitæ ad cōparationē æternitatis, aut nihil est, aut breuissima hora. Vt æternum, inquit, illum reciperes. Nullus dominus æternū seruū potest habere, quoniā vterque illorū & conditio vtriusq; morte finitur. Onesimus verò qui per fidē Christi factus est æternus æterno Philemoni, quia & ipse in Christū crediderat, spiritu libertatis accepto, iam nō seruus, sed frater in fide cœpit esse, de seruo frater charissimus, & frater æternus, vnde & Apost. dicit, vt æternū illum reciperes, hoc est, æternaliter cū Christo regnaturū, & nō sicut seruū, sed plus seruo, id est magis quàm seruū, charissimū. s. fratrē. Plus enim ad nos pertinet frater in affectu charitatis quàm seruus. Habent & quidā codices vt pro seruo charissimum fratrē reciperes. Quod vtrūq; accipi potest, quoniam quādo fugit, seru⁹ erat adhuc infidelis existēs: quādo vero reuersus est, iā frater erat in fide fidelis effectus. Et vt Philemō nō dedignaretur illū vice fratris tenere, addidit *& maxime mihi* subaudis charissim⁹ frater est *quāto magis tibi & in carne & in spiritus* & est sensus: Si mihi charissimus est, quāto magis tibi & in carne & in spiritu debet esse charus? Mihi quidē spiritu est cōiunctus propter vnitatem fidei, tibi autē & in fide & in spū & in carne debet esse charus, quia ad te pertinet. Fide enim est frater tuus, carne autē & cōditiōe seruus tuus: quapropter magis à te diligi debet. Siquidē quādo erat ei subiectus in carne, non erat ei iunctus in domino: nūc autem & in carne & in domino. Ex quo colligitur seruum qui crediderit in Christū, duplici lege domino suo cōstringi, vt ei & in carnis necessitate iūgatur ad tempus, &

in æternum spiritu copuletur. *Si ergo habes me socium* in fide, *suscipe illum sicut me*, quasi diceret. Si me vis habere socium habeto & Onesimum, quem ego & consortem & socium, habeo. Quem si nolueris habere vt fratrem & socium, attende quia & me habere non poteris. *Si autem aliquid nocuit aut debet tibi hoc mihi imputa. Ego autem paulus scripsi mea manu, ego reddam* Ego (inquam) qui alias epistolas meas non scribo, sed dicto, causa amoris tui vt obtinere possim quod postulo, scripsi istam tibi: ego reddam quod Onesimus furto rapuit. Huius responsionis epistola ista testis est, quam non solito more dictã, sed manu mea scripsi. Vnde poterat ei reddere quod Onesimus abstulerat? Siquidem in carcere tenebatur. Qui ergo diuitiis temporalibus pro Christi amore carebat: securus erat posse ei recompensare ex dono diuitiarum cælestium. Ego (inquit) reddam tibi obtẽtu mearum precum thesauros indeficiẽtes. Noli morulas facere in indulgendo Onesimo: securus esto de præmio. *Vt non dicam tibi, quòd & teipsum mihi debes.* Si hoc (inquit) feceris quod peto, tunc non dicam tibi quòd & tu omnia tua mihi debes, & in potestate mea debes consistere. Propter sermonem enim Christi quem tibi euangelizaui, & quòd Christianum filiumque dei te effeci, teipsum mihi debes. Et si tu meus es: non solum Onesimus, sed etiam omnia tua mea sunt, & ad me pertinẽt. Poteram (inquit) eo vti vt meo, sed voluntati tuæ relinquo, vt mercedem habeas ignoscendo. *Ita frater* subauditur fac vt postulo: *ego te fruar in domino.* Frui est cum delectatione vti & possidere, vnde dicitur in lege: Si no feceris quæ tibi præcepta sunt, generabis filios, & non frueris illis, hoc est, cum delectatione non videbis illos, quoniã captiui ducentur corã te. Ego (inquit) fruar te in domino, hoc est: delectabor in dilectione tua *refice viscera mea in domino*, id est filiũ meum Onesimũ vel internum amorem & affectum dilectionis meæ. *Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam & super id quod dico facies.* Qui præsumit de illo quem rogaturus est: ipsa quodãmodo præsumptione præiudicat, ne ei negare liceat quod rogatur. *Simul autem & para mihi hospitium. Spero enim per orationes vestras donari me vobis* ideirco præcipit sibi hospitium parari, vt audiens eum ad se venturum Philemon indulgeat, & dum eum expectat,

ctat, facilius faciat quod rogatus est. Et quia vbicunque Apostolus erat, multitudo ad eum confluebat, necesse erat vt magnam domum haberet, & quæ remota esset à circo, à theatro, & à spectaculo, vbi lasciui discurrẽtes turpia quæque sectabantur *Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu.* Iste Epaphras prædicator euangelij existens, adhærebat beato Apostolo, & fortalsis cũ illo fuerat captiuus ductus de Hierosolymis Romam, vel certe tunc cum illo tenebatur in carcere. Marcus ipse est qui euãgeliũ scripsit. Demas ipse est de quo alibi dicit, Demas me dereliquit. Lucas ipse est scriptor euãgelij. Actuumque Apostolorum, de quo & in alio loco dicit: Misimus cum illo fratrẽ, cuius laus est in euangelio. Et sicut Apostoli de piscatoribus piscium, facti sunt piscatores hominum, ita hic de medico corporũ in medicum conuersus est animarũ. Quotienscunq; enim dicta illius leguntur, medicinam præstant intelligentibus. *Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro Amẽ.* Gratia hic accipitur fides, remissio peccatorum, & donum spiritussancti, quæ orat Apostolus esse cum spiritu illorum, quibus ista scribebat. Per spiritum autem, siue animam siue etiam rationabilitatẽ possumus intelligere. Cum enim in anima siue rationabilitate gratia diuina fuerit, totum hominem replet, faciens eum spiritalem, vt adhæreat domino mente & corpore, & impleatur illud quod scriptum est: Qui adhæret domino, vnus spiritus est. 1. Cor. 7.

In epistolam ad Hebræos, præfatio.

IN primordiis huius epistolæ dicẽdũ est quę causa extiterit cur Apostolus Paulus morem suũ in hac epistola nõ seruauerit, videlicet vt vel vocabulũ nominis sui, vel ordinis describeret dignitatem. Hæc igitur causa extitit quòd nomine suo nõ titulauit eã, quia Iudæis scribebat suis fratribus, quib⁹ odiosus erat eò quòd circũcisionẽ & sabbatũ & sacrificia, cæteraq; quæ lex præcipit obseruãda, ipse doceret nõ debere carnaliter obseruari post domini passionẽ. Nam illi qui crediderãt Iudæi, cõtendebãt vtrunq; teneri, baptizari scilicet secundũ gratiã euangelij, & circuncidi, sabbatum quoq; obseruare secundũ legis præceptũ. Quapropter si posuisset nomen suũ Apostolus in exordio huius epistolæ, poterat euenire vt eius æmuli nomẽ illius in prima fronte legentes, dedigna-

rētur eā recipere, sicq; vtilitas lectionis differretur. Nomē autē apostolatus idcirco nō posuit, quoniam ipse apostolus gentium cōstitutus, si nomine apostolatus sui prætitularet epistolā ad eos directam, vocans se Apostolum, videretur illis fortasse qp se vellet apostolo præferre Petro, qui princeps illorum erat à domino ordinatus, sicut idē egregius prædicator alio in loco dicit: Qui operatus est Petro (inquiēs) in apostolatū circūcisionis, operatus est & mihi inter gētes. Fortassis etiā dicerēt, Quid est quòd Paulus doctor gentium præfert se apostolis nostris Petro & Iacobo? Scribat suis gētibus, nō indigemus vt scribat nobis. Habemus enim apostolos nobis à domino constitutos, qui nos abunde possunt docere. Quo facto ostēdit se nō ignorare illorū superbiā, paritérq; suam exhibuit humilitatē. Simili modo etiā & apostolus Ioānes causa eiusdē rationis & humilitatis, nomen suum in epistola sua prætermisit. Vel certe, vt dicunt quidā, propterea quia Christū in hac erat epistola nominaturus apostolum, dicens: Habemus pontificē & apostolum confessionis nostræ Iesum iustum: noluit nomen apostolatus sui in primordio huius epistolæ nominare. Nō enim cōgruum duxit, vt vbi Christum dicturus erat apostolum, inibi etiā se apostolum nominaret, maximéque in titulo, ne cuilibet videretur se præferre Christo, sed maluit tacito nomine de figuris legis eos instruere, & ad veritatem quæ Christus est, perducere. Hanc autē epistolam quidam dicunt esse Barnabæ apostoli, quidam Lucæ, quidam Clementis, dicentes quoniā si Pauli esset, ipse vtique more solito sicut in aliis, ita etiam nomen suum in ista præponeret. Sed si Pauli non erit, quia eius nomine non est titulata, ergo nec Barnabæ, nec Lucæ, neq; Clementis, aut alicuius erit, eò quòd nullius nomine titulatur. Cui ergo illorum ascribenda est? Vtique egregio prædicatori: quippe quæ ex lucido sensu & genere locutionis comprobatur illius esse, quanquam subtiliori atque apertiori stylo comprehensa sit omnibus eius epistolis. Nam fertur Apostolus hanc Hebræis missam, Hebræo sermone conscripsisse, in quo ipse peritissimus extitit, cum reliquas Græco sermone scripserit. Post discessum verò Apostoli, Lucas euangelista Græco sermone eam comprehendit, ex quo postmodum translata est in Latinam linguam, sicut & reliquæ.

IN

IN EPISTOLAM PAVLI ad Hebræos exegesis.

CAPVT I.

MVltiphariam multisque modis olim deus loquens patribus in prophetis, nouissimis diebus istis locutus est nobis in filio. Omnis intentio beati Apostoli in hac epistola est, vt Iudæos cognatos suos, qui & Hebræi ab Heber appellantur, in quo assumpti sunt, à lege Moysi transire faciat ad gratiā euāgelij, ab obseruatiōe carnali ad spiritalem: simúlque eminentem gratiā quæ per filium data est fidelibus, discernat à legalibus vmbris, quæ angelicis ministrationibus exhibitæ fuerūt. Vnde & primū ponit prophetas diuersis modis variisque locutionibus patribus fuisse locutos, dicens, Multifariam. i. multis locutionibus: multisq; modis, hoc est, multis qualitatibus, olim id est, in præterito videlicet tempore loquens deus pater per prophetas patribus nostris. Deinde vt ostenderet quanta differentia esset gratiæ inter illos & patres illorū, subiunxit. Nouissimis diebus istis vltimæ ætatis, locutus est nobis per filium. Dicendo autem, Locutus est in prophetis & in filio, tantundem valet quasi diceret, Per prophetas & per filium: quia in præpositio pro alia præpositione. Per accipitur: sicut multis in locis epistolæ eius inuenitur his præpositionibus indifferenter vti. Consideremus ergo quomodo multis locutionibus, multisq; qualitatibus locutus sit deus pater patribus veteris testamenti. multis verò locutionibus, multisque qualitatibus locutus est eis, quia non semper vniformiter secreta sua eis reuelauit. Aliquādo enim aperte & per angelū locutus est eis, vt Abrahæ, cui dixit: Secūdum hoc tempus veniam, eritque Sarę filius. Moysi quoque præcepta legalia dando, Nō occides: Nō adulterabis, cęteráq; huiusmodi: Loth quoq; de Sodomis eū educēdo, aliisq; quāpluribus. Aliquando verò obscure, & per ænigmata, & per ignem, vt Moysi, cui dixit, Ego sum qui sum, Hæc dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos: Aliquando in habitu militis: vt Iosue. Aliquando in corde: vt Dauid: qui dice- *Gene.17. Deut.5. Gene.12. Exod.1.*

Psal.84. bat: Audiã quid loquatur in me dominus deus: cæteríſque prophetis, Aliquãdo per ſomniũ, ſicut Daniel, quod genus prophetiæ eſt. Nouiſsime autẽ. i. in fine tẽporũ locutus eſt nobis Apoſtolis ſuis, cæteríſque credentibus per filiũ ſuũ. & eſt ſenſus: Patribus noſtris, vtpote ſeruis, locutus eſt olim p ſeruos ſuos angelos, & per conſeruos illorũ prophetas, nouiſsime autẽ dieb⁹ iſtis vltimæ ætatis locutus eſt nobis Apoſtolis, omnibúſq; aliis fidelib⁹ per filiũ, vtpote filiis. Nã quanta diſtãtia eſt inter gratiã euangelij, quæ per filiũ data eſt, & legẽ quæ per ſeruũ adminiſtrata eſt, tãta differentia eſt inter miniſtros & auditores legis, quoniã ſerui ad ſeruos miſsi ſunt, & inter promiſsionem & gratiã, quæ per filium data eſt filiis, ac poſtmodũ per filios filiis adminiſtrata. Sequitur *quẽ conſtituit hæredem vniuerſorũ.* Hæres dicitur ab hero, id eſt, domino, eo q̃ libera poteſtate in hæreditate paterna dominetur. Conſtituit ergo deus pater filium ſuum hæredem vniuerſorum, hoc eſt totius mundi, ſeu omnium creaturarũ, non tantũ ſecundum diuinitatem qua cœternus eſt patri, & coæqualis eſt illi in omnipotentia deitatis, & in quo æternaliter ipſe poſsidet omnia cum patre, ſed potius ſecundum humanitatẽ aſſumptam à verbo, conſtitutus eſt ille dominus & hæres ſuper omnem creaturam, ſicut illi deus pater promiſit, dicens: Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Et ipſe filius reſurgens à mortuis, ſic loquitur ex perſona humanitatis: Data eſt mihi (inquiẽs) omnis poteſtas in cælo & in terra. Non ergo diuidimus perſonas ſed diſtinguimus naturas. Vnde animaduertendum eſt ſolerti indagine, Apoſtolum in hac epiſtola, nunc de ſubſtantia humanitatis loqui, nunc verò de ſubſtantia deitatis. Nã quod dixit illum conſtitutum eſſe à deo patre hæredem omnium creaturarum, ad humanitatem illius retulit: Volens autem diſcretionem facere inter diuinitatis naturam & humanitatis eius, & oſtendere quid propriè pertineret ad vnamquanque naturam, ſubintulit, dicens: *per quem fecit & ſecula.* Secula dicuntur à ſequendo, eo q̃ ſequantur, in ſemetipſa reuertendo ac redeundo. Hic autem per ſecula debemus intelligere omnia quæ facta ſunt in tempore.

Vt ergo oſtenderet Apoſtolus eundem nouiſsimis diebus veniſſe in mundum, ac temporaliter hæreditatem percepiſſe,

piſſe, qui ante omnia ſecula erat cũ patre, dixit: Per quem fecit deus pater omnia quæ in tẽpore facta ſunt. Nã quod euangeliſta Ioãnes dicit: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factũ eſt nihil, hoc Apoſtolus ſignificauit dicendo, Per quẽ fecit & ſecula, referẽs hoc ad diuinitatẽ eius. Deinde verò quibuſdã gradibus aſcenſionũ eleganter vtens peruenit ad id quod omnibus his maius eſt, & inſonuit dicens: *Qui cũ ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*: Deus pater lux eſt, ſicut idẽ Apoſtolus ait, loquens de filio: Qui habet, inquit, lucẽ inacceſsibilem, & filius lux eſt, & ſpiritus ſanctus lux, ita & pater ſplendor, & filius ſplẽdor, & ſpiritus ſanctus ſplendor. Sed quomodo lux naſcitur ex luce, & ſplendor procedat de ſplẽdore, nõ creſcente numero, impoſsibile eſt diffinire. Ideirco autẽ appellatur filius ſplẽdor patris, quia ſicut in igne tria ſunt inſeparabilia, ignis videlicet, calor, & ſplendor, & tamen ſplendore oſtenditur nobis ignis & calor, licet humana non ſint comparanda diuinis, ita natura patris & filij & ſpiritus ſancti inſeparabiliter cõiuncta & vnita eſt, & per verbũ ſuum quaſi per ſplendorem dignatus eſt ſemetipſum oſtendere, & inſuper myſterium totius trinitatis, dicente ipſo filio: Ego & pater vnũ ſumus. Et iterum, Baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Mirabili igitur modo Apoſt. vnã ſubſtantiã deitatis patris & filij oſtendit, vt duas perſonas aperiret in gloria & ſplẽdore. Per ſplẽdorẽ quippe vnitatem declarauit eſſentiæ cũ deo patre: in nomine autẽ gloriæ perſonã dei patris expreſsit, in ſplendore autẽ perſonã filij. Et ſic eſt filius ſplendor de ſplendore, ſicut lux de luce, deus de deo, lumen de lumine, principiũ de principio. Sequitur: *& figura ſubſtantiæ eius*, Quantũ ad homines pertinet, aliud eſt figura, aliud eſt ſubſtantia, quia dum pingitur imago & figura alicuius hominis in pariete, nõ eſt illud figura, q uodeſt ſubſtantia. Apoſtolus autẽ figurã in hoc loco pro ipſa ſubſtãtia & pro æqualitate eſſentię poſuit: & quod hic dixit figuram, alias dixit formam, inquiens: qui cum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualẽ deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. Forma enim illic, & figura hic, vnam declarant æqualitatem eſſentiæ. Chriſtus ergo ſplendor patris eſt, & figura ſubſtãtię eius, quia per illũ pater eſt manifeſtatus, ſicut ipſe

Ioan. 1.

1. Thim. 5.

Ioan. 10.

Matth. 28.

Philip. 2.

dicit. Pater, manifestaui nomen tuũ hominibus, & æqualis est illi in substantia deitatis, Sequitur *portánsque omnia verbo virtutis suæ.* Dicendo portans, facilitatẽ continendi voluit exprimere: posuitque portans pro eo quod est gubernans & regẽs, Verbũ igitur dei patris omnia quæ fecit, verbo virtutis suæ portat, hoc est, potentia virtutis suæ & verbo iussionis suæ omnia gubernat & regit. Nõ enim minus est gubernare mundũ, quàm creasse. Nam in creando ex nihilo substantiæ rerũ productæ sunt, in gubernando verò ea quæ facta sunt, ne ad nihilũ redeant, continentur. Ergo dum hæc omnia reguntur, & ad inuicem sibi repugnantia coaptantur, magnum & admirabile virtutis dei iudicium declaratur. Post tantã diuinę maiestatis in filio claritatem, ad humilia incarnationis eius descendit, paritérq; discernit naturã diuinitatis atq; humanitatis, dicens: *purgationẽ peccatorum faciens.* Nam quod dixit, portãs omnia gubernatione sua, & regimine virtutis suæ, ad diuinitatem retulit: quod verò subdidit, purgationẽ peccatorũ faciens, ad humanitatem eius propriè pertinet. Quomodo fecit purgationem peccatorũ? Per redemptionẽ vtique passionis suæ, & per aquam baptismatis, iuxta quod Ioannes in Apocalypsi sua dicit: Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo *sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* Considerandus est ordo verborum. Primum siquidem perhibuit purgationem peccatorum dominum sua passione nobis procurasse, ac deinde dixit illum sedere ad dexteram maiestatis in excelsis. Nam Christus primùm nos redemit sanguine passionis suæ, & sic postmodum altitudinem cælorum penetrauit, vbi nunc ad dexteram patris sedet. Sedere autem illius pro habitare & esse ponitur isto in loco, sicut & dextera pro honore & dignitate summa, Nam non est putandum quòd omnipotens pater, qui spiritus est incircunscriptus, omnia replens, dexteram aut sinistram habeat, sicut nos habemus: aut quòd ita sedeat in dextera illius filius eius, sicut solent filij regum sedere iuxta patrem, appositò sibi solio: sed sicut diximus, dextera pro gloria & dignitatis honore accipitur: Siquidem & pater à dextris esse scribitur Christi, vt in Psalmo habetur: Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ reges. Ambo ergo à dextris sunt, quia nihil est in diuinitate sinistrum: quia vnum est cum Deo iam in gloria

ria homo assumptus à verbo, & quadragesimo die exaltatus ad cælestia. Quid est ergo, sedet ad dexteram maiestatis? nisi vt dicatur, habitat in plenitudine paternæ maiestatis. Et cum dicit, in excelsis, ostendit illum hominem super omnem creaturam angelicam & humanam exaltatũ esse. Vnde & sequitur: *tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* Factum autem vel affectũ pro susceptum debemus hic accipere, tanquam diceret: Tanto melius atque honorabilius præ angelis à deo patre susceptus est in gloria maiestatis, quanto præ illo differentius atque excellentius nomen filiationis hæreditauit. Nam quanta distantia est inter nomen filij & serui, tanto ille maioris dignitatis est præ angelis, quoniam ille creator, secũdum diuinitatẽ dico, illi creaturæ. Ipse quoq; homo in hoc est maior omnibus angelis omniq; creatura, quia potestas quæ erat in verbo ante omnia secula, requieuit in illo homine assumpto à verbo ex rempore cõceptionis. Quapropter illi sunt ministri & famuli, sicut in eius tentatione & passione, in resurrectione quoque & ascẽsione declaratum est. Ille autẽ filius proprius & hæres extitit, quod nobis & Apost. innuit, dum subiungit: *Cui enim dixit vnquam angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te?* subaudis, nulli angelorum hoc dictum est. Hoc de verbo dei intelligendum est, quod coæternum & consubstantiale est deo patri. non de qualibet creatura, licet legamus in libro Iob angelos appellatos esse filios dei: in Genesi quoque filios Seth: quod vtique quando fit, abusiue fit. Quando ergo dixit ei, filius meus tu? Tempore baptismatis, & in mõte quãdo intonuit vox paterna cælitus dicens: Hic est filius meus dilectus. Et in hoc quod dicit, filius meus es tu, manifestat ex ipsa sua essentia illũ esse genitum. Notandúmque quia non dixit, *Ioan. 1.* ante omnia secula genui te, vel in præterito tempore, sed hodie, inquit, genui te, quod est aduerbiũ præsentis temporis. In deo enim nec præterita transeunt, nec futura succedunt, sed omnia tempora simul ei iuncta sunt, quia omnia præsentia habet: & est sensus, Sicut ego semper æternus sum, neq; initiũ neque finẽ habens, ita te semper filiũ coæternum mihi habeo, Tale est & istud quod alibi dicit: Ante luciferũ genui te, id est, ante angelicam creaturam, & ante omnia secula, *Et rursum, Ego illi ero in patrem, & ipse erit mi-*

bi in filiũ Vides ne quomodo discernit geminã naturam in christo? Nã quod dixit paulo superi⁹, hodie genui te, ad diuinitatis retulit naturã: at vero quod subintulit, ego ero illi in patrẽ, ad humanitatis essentiã refert sine aliqua dubitatione. Vnde & congruè verbo futuri tẽporis vsus est, dicẽs, ero: quoniã deus pater quãdo dixit ad Dauid, Cũ dormieris cũ patribus tuis, suscitabo semen tuũ, quod egredietur de lumbis tuis, & firmabo thronũ eius super thronũ tuũ, ipseq; erit mihi filius, & ego ero illi in patrẽ: futurum erat adhuc vt verbũ dei patris assumeret hominẽ ex vtero virginali in vnitate personæ suæ, qui filius dei in veritate esset, nõ adoptiuus, sed proprius. Hæc autẽ sententia & ad superiora potest respicere, vt ita legatur sub interrogatione rursũ, cui angelorũ dixit, Ego ero illi in patrẽ? & subauditur nulli: vel certe absolute & affirmatiue hoc modo rursum de illo dicit deus pater. Ego ero illi in patrem. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes angeli dei* Omnis vnigenitus potest dici primogenitus, eò quòd primus aperiat vuluã matris: nõ tamẽ omnis primogenitus vnigenitus, quia habet alios fratres sequentes se. Dominus autẽ Iesus tã secundũ diuinitatẽ quãm secundũ humanitatẽ, & vnigenitus & primogenitus dici potest. Vnigenitus est secundũ diuinitatem, quia in natura diuinitatis nõ habet fratres subsequentes se. Secundũ humanitatem quoque vnigenitus est beatæ Mariæ, quia post illũ alios non genuit, sicut calumniatur Heluidius dente viperino. Primogenitus est secundũ diuinitatis essentiam, sicut per Salomonẽ testatur, dicens. Ego sapientia ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam. Secundũ humanitatẽ quoq; primogenitus est in multis fratrib⁹ adoptiuis, de quibus ipse dicit Mariæ: Vade ad fratres meos, & dic eis. Quod autem dicit Apostolus, cum iterum introducit deus primogenitum filium suum in mundum, sic videntur hæc verba sonare, quasi iam altera vice introduct⁹ esset. Sed quomodo hoc sit intelligendum euangelista Ioannes ex parte manifestat, dicens: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Verbũ ergo dei patris per quod omnia facta sunt, vnius essentiæ existens cũ deo patre & spiritusancto, vbique est, & omnia implet, quia cingendo implet omnia, implendo cingit, gubernando

bernãdo præsidet, præsidendo gubernat. Et quia in mundo erat, vbi carnem assumpsit, & tamen inaccessibile erat nostris aspectibus, quia nõ videbatur, ipsam assumptionẽ carnis appellat alterũ introitum. Dũ enim qui inuisibilis erat humanis aspectib⁹, assumpta carne visibilẽ se præbuit, quasi iterũ introductus est. Notãdumque quia quod Apostolus introitũ nominat, hoc in euangelio ipsa veritas exitum vocat, dicens: Exiui à patre, & veni in mundum. Merito ergo exitũ vocat incarnationis suæ assumptionẽ, manifestationẽmque: quia nos foris eramus à deo expulsi extra aulam paradisi, & palatiũ regis æterni, positi in carcere huius mũdi, & in exilio relegati. Verbi gratia, sicut excluduntur ab aula regia, regis offensam incurrẽtes, & destinantur in exiliũ, atque in carcere includuntur. sed sicut bonus mediator volens eis ventã impetrare, non eos primùm introducit in aulam regis, sed ipse foras egreditur, ibíq; cum eis miscet sermocinãdi negociũ: sicq; correctos & castigatos introducit eos in conspectũ regis. eo modo dominus Iesus exiuit ad nos. Nã egressus est ad nos à cõspectu paternæ maiestatis carnem assumendo, visibilemq; se præbẽdo, & colloc⁹ est nobiscũ præcepta regis æterni, sicq; nos suis prædicationib⁹ & miraculis correctos & castigatos, atq; sua fide confirmatos, suaq; passione à peccatis emendatos, introduxit in aulam, & in cõspectũ paternæ maiestatis, quando ascendendo ad cælos patefecit nobis aditũ regni cælestis. Dicendo autẽ introducit eũ in orbẽ terræ: hoc significat, cũ ei cõmittit orbem terræ, & eũ manifestat illum dominũ esse totius mundi. Tunc enim possedit orbẽ, cũ ab vniuersis est agnitus domin⁹ totius orbis. Hoc autẽ non de substãtia verbi, sed de essentia hominis accipe dictũ. Quodq; sequitur, & adorẽt eũ omnes angeli dei, tale est ac si diceret, omnes angeli mei & ipsius, quia per eũ sunt facti. Tunc ergo adorauerũt eũ, quãdo natiuitatẽ illius annuntiauerunt, & quando illo esuriẽte accesserũt & ministrauerunt ei, siue quãdo sepulchrũ ei⁹ custodierunt. quotidie quoq; adorant eũ, quia iussioni illius obtẽperãt. Sed nunquid solis angelis præcepit deus pater illum adorare? Nõ, quin potius omni creaturæ. *Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis* Quod dicit, & ad angelos quidẽ dicit, (sub aut deus pater, vel scriptura diuina)

tale est ac si diceret, de angelis, ad ponens pro de. Nō enim seruat Apost. ordinem siue sensum præpositionum. & est sensus: Ipse quem præcipiūtur angeli adorare, de ipsis suis spiritibus quotiēscunque vult facit angelos. Ministros etiā suos facit flammam ignis: quia qui in conspectu illius assistunt, in amore suo incedentes & inflammantes reddit, iuxta quod alibi dicitur, in quem desiderāt angeli prospicere. Nā quod dixit, qui facit angelos suos spiritus, præpostero ordine protulit. Debuerat enim dicere, qui facit spiritus suos angelos. Sciendum est autē quòd angelus nomē est officij, non naturæ, qui semper quidem sunt spiritus, sed nequaq̄ iure semper vocātur angeli, nisi quādo mittuntur. Angelus etenim græco vocabulo, latino dicitur nūtius. Si quæris nomen naturæ, spiritus est: si officij, angelus est. Ex eo quòd subsistit, spiritus est: & ex eo quòd mittitur, angelus. Verbi gratia, sicut homo nomen est naturæ, miles autem nomen est officij. Dicatur & alio modo: Angeli & ministri dei omnipotētis sunt sacerdotes & prælati ecclesiæ, iuxta quod Malachias dicit: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirūt ex ore eius, quia angelus domini exercituū est. Sacerdotes ergo ecclesiæ spiritus sunt, quando gaudia patriæ cælestis suis auditoribus annuntiāt, dicētes, Pœnitentiā agite, appropinquabit enim regnū cælorū. & fulgebūt iusti sicut sol, & erunt sicut angeli dei in cælo. Flamma vero ignis sunt, quādo terrorē ignis gehēnę suis auditoribus minātur, dicētes: Omnis arbor nō faciēs fructū bonū, excidetur, & in ignē mittetur. *Ad filium autē* subaudis dicit Psalmista: *Thronus tuus deus in seculum seculi, virga æquitatis virga regni tui* Intuere quō & cū quāta claritate discernat angelicā creaturam á filio qui cuncta creauit. Thronus græce, latine dicitur sedes regia, sicut & soliū. Per thronū autē vno modo possumus intelligere regnum, per sceptrum autem quod est virga aurea, potestas intelligitur regni. Dicit ergo Psalm. loquens ad filium dei: O deus, regnum tuum & potestas imperij tui in seculū seculi manebit, Tale quid
Luc. 2. & Gabriel dicit ad Mariam, Ipse regnabit in domo Iacob in æternū, & regni eius non erit finis. Istud est regnum, de quo turbæ clamabāt, Benedictum quod venit regnū patris nostri Dauid. & de quo ipse dominus Pilato, Regnū meū nō est de hoc mundo. Aliter, Thronus siue sedes iudicantium solet

solet esse. Vnde & in lege humana præcipitur, vt nō detur iudiciū nisi sedendo. Quapropter non incongrue per sedē possumus intelligere iudicium quod procedit à sede. Istud est iudiciū de quo ipse filius dicit: Pater non iudicat quenquā, sed omne iudiciū dedit filio & de quo Psal. ad deū patrem: Deus iudicium tuum regi da. i. Christo. Thronus ergo dei in seculū seculi manebit, quia iudiciū nouissimum q̄ dabit electis, dicens eis, Venite benedicti percipite regnū vobis paratum, & reprobis dicet: Ite in ignē æternū, æterna discretione stabit inter vtrósque, eo testante in euangelio ac dicēte: Tunc ibunt hi in supplicium æternū, iusti autē in vitā æternam. Quod verò sequitur, Virga æquitatis virga regni tui: per virgā æquitatis intelligitur rectitudo sentētiæ & iudicij illius, siue potestas regni iusta, quæ virga regit iustos in iustitia, & percutit impios iustè & rectè, sine aliqua personarū acceptione cūctos gubernans & iudicās. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatē* Ista est virga recta, vt diligatur iustitia, & odio habeatur iniquitas. Nemo enim perfectè potest dilegere iustitiā, nisi odio habuerit iniquitatē. Iniquitas autem, quæ & à nomine nominatur, intelligitur quicquid cōtra legē diuinā fit. Veritatis etenim amor, odiū est falsitatis. Et quia dominus dilexit iustitiā, quia nō peccauit, & odio habuit iniquitatē, qui præmij meruerit precipere, exponit dicēs *propterea vnxit te deus deus tuus oleo exultationis præ pertici pibus tuis* Psal. alloquitur filiū dei, & dicit: O deus vnxit te deus pater oleo exultationis, propterea qa odio habuisti iniquitatē, & dilexisti iustitiam. Nō ergo est intelligēdū q̄ filius dei secundū naturā diuinitatis, in qua æqualis est patri, possit deum habere, quia ipse cū patre & spūsancto verus est deus. Secundū autē quod homo est, deū patrē habet deū, quia ab illo est factus, ideóq; dicit Psalmista. vnxit te deus deus tuus oleo. Vnctus est Christus nō oleo visibili, sed plenitudine spiritussancti, q die baptismi in specie colūbæ super eū requieuit, nec ex tēpore baptismatis solūmodo plenitudo spiritussācti in eo māsit, sed potius ex temporeconceptionis, iuxta qđ Isaias loquitur dicēs. Requiesceret super eū spiritus domini, spiritus sapiētię & intellectus, spūs cōsilij & fortitudinis, spiritus scētiæ & pietatis: replebitq; eū spūs timoris domini. Oleo autē exultationis seu lętitiæ dicit illū vnctū, quia Christus q nūquā peccauit

nunquã tristitia habuit ex recordatione peccati. Quid est enim oleo lætitiæ vngi, nisi peccati maculam non habere. Sanctorum etenim conscientia tunc magis ac magis hilarescit, atque in lætitiam magis prorumpit, quando nulla peccati grauioris recordatione mordetur. Spiritus quidem sanctus qui requieuit in Christo, custodiuit illũ vt sine peccato conciperetur, sine peccato nasceretur, & sine peccati macula ab hoc mundo transiret, iuxta quod de illo scriptũ est. Peccatũ nõ fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sed quid est quod de illo dicit Psal. Vnxit te deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis? Qui sunt ergo eius participes? In veteri quidem testaméto fuerũt patriarchæ participes Christi in hac vnctione, quia cum nõ essent oleo visibili vncti, sed dono spiritussancti repleti, appellabantur Christi. i. vncti, iuxta quod in Psal. scriptũ est, dicẽte domino de Abrahã Isaac & Iacob ad Abimelech, & ad cæteros reges Palestinorũ: Nolite tangere christos meos. Fuerunt quoque reges, sacerdotes & propheræ participes illius, quia ad illos specialiter vnctio pertinebat, per quã donum spiritussancti merebantur accipere. Nam legimus Saulũ vnctũ à Samuele, & Dauid. Salomon quoque vnctus est in Gyon. Sacerdotes etiã vngebãtur, sicut vnctus est Aaron à Moyse, dicente sibi domino: Vnges Aarõ & filios eius mihi in sacerdotes iure perpetuo. Prophetæ nihilominus vngebantur, sicut vnctus est Eliseus ab Elia, cui dixit dominus: Vnge Eliseum prophetam pro te. Isti tres ordines dominũ præsignabant, qui est verus rex, sacerdos atq; propheta. In nouo autem testamento participes sunt illius Apostoli, martyres, confessores, atque omnes qui per gratiam baptismatis abluuntur, & spiritussancti donũ consequuntur, & à Christo Christiani dicuntur. Christus ergo præ omnibus participibus suis vnctus est oleo lætitiæ, quia omnes ad mensuram accipiunt spiritumsanctum, ipse autem non ad mensurã accepit, sed ad plenitudinẽ, secundum illud: Non enim ad mensuram dat Deus pater spiritum filio suo, sed in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. *& tu in principio domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Post humanitatis filij dei excellentiam, conuertit se iterum ad æternitatem eius diuinitatis, dicens: Tu (inquit) domine in principio

creaturarum

creaturarũ terram fundasti. Vbi ergo fundauit terrã? Si recte perpendimus, videbimus quia nutu & dispositione diuina subsistit fundata super nihil nisi in semetipsa. Et quod dicit, Opera manuũ tuarũ sunt cæli, non est putandũ quòd verbũ dei patris, quod incorporeũ est, manibus operetur, quia nõ habet lineamẽta corporis in natura diuinitatis, sicut nos habemus. Opera ergo manuũ eius, virtutẽ iussionis eius debemus accipere, quoniam verbo & potẽtia virtutis eius suæque iussionis quæcũque vult operatur, iuxta quod Psalmista dicit: Ipse dixit, & facta sunt, ipse mãdauit, & creata sunt. Virtute igitur verbi dei cælum & terra subsistunt, quia virtute iussionis eius omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sed cum Moyses in principio Geneseos, cælum dicat primum factum, ac deinde terram, sic dicens: In principio fecit deus cælum & terrã: quæstio oritur, quare Psalmista primum ponit terrã, ac deinde cælum, quasi terra antè fuerit facta quàm cælum? quæsta soluitur, quòd ille præposuit cælũ terræ, iste supposuit, idcirco factũ est, vt ostenderetur simul illa duo esse facta: sed quod diuina potestas simul fecit, humana vox simul nequiuit proferre, quapropter necesse erat vnũ ante alterum dicere. *Ipsi peribunt, tu autẽ permanebis.* positus est hic pluralis numerus pro singulari, sicut multis aliis in locis diuinæ scripturæ. Nõ enim de firmamento hoc intelligendum est, vbi sidera cõtinentur, neque de cælo æthereo, per quod cursus septem planetarum aguntur: sed de isto cælo æreo, à quo & aues cæli dicuntur, potius accipiendum est. In die ergo Iudicij peribit istud cælũ aereum, vnde anhelitum attrahimus & remittimus, nõ vt penitus desinat esse à sua natura, sed mutabitur ab hac specie in meliorem: & ab hac dẽsitate in subtilitatem & claritatem ætheris. Vnde & Apost. in alio loco dicit: Præterit figura huius mundi. Si figura præterit: substantia remanebit. Nam quantum spatium occupauit aqua tempore diluuij, ita vt altior esset quindecim cubitis super omnes montes sub omni cælo: & (vt quidam dicunt) pertingens vsque ad circulum lunę: tantũ spaciũ tenebit ignis in die iudicij, comitans domini aduentũ, iuxta quod Psal. dicit: Ignis ante ipsum præcedet, qui consumet omnia nubila, omnẽque densitatẽ istius aeris, eritq; cælum nouũ & terra noua. De hac immutatione & dominus in euangelio

loquitur dicens: Cælũ & terra transibunt. Transibunt quidem ab hac figura & specie in melius per innouationẽ, & permanebunt in substantia propria *& omnes vt vestimentum veterascent.* Vestimentum hic debemus corpus accipere humanũ, quod consumitur longæuitate temporis, & dolore infirmitatis, ac redigitur in puluerẽ. Sicut ergo corpus humanum veterascit quidẽ, & in puluerẽ redigitur, sed in die iudicij per resurrectionem innouatur, ita istud cælũ aereum præ nimia longæuitate quodammodo iam veterascit: sed in die iudicij per inflammationẽ ignis innouabitur *& velut amictum mutabis eos, & mutabuntur.* Amictus dicitur ab amiciendo i. à circundando. Bene ergo cælũ amictui comparatur quo circundamur, quoniã sicut amictus humanum corpus hinc inde cingit, ita cælũ ex omni parte cingit terrã, æqua lance libratum. Vnde & peli animantis alio in loco cõparatur, dicente Psal. Extendens cælum sicut pellẽ. Mutabis (inquit) cælũ sicut amictum: ac si diceret: Sicut amictus facile plicatur si fuerit extensus, rursũsq; plicatus leuiter extenditur, & si fuerit sordibus coinquinatus, facilẽ potest mundari: ita cælũ à te facile est extensum, atq; cõpositum, sicque facilitate incomprehensibili in die iudicij mutabis ab hac figura & specie in melioré. & vt ostenderet iam deinde facta domini sub æternitate mansura, addidit: Et mutabũtur, quasi diceret. Postquã mutata fuerint, in ea nouitate permanebũt, nunq̃ ad hoc corruptibile redituri. *Tu autẽ idem ipse es, & anni tui non deficient.* Ecce differentia inter creaturã temporalẽ factam & creatorẽ in sua æternitate æqualiter manentẽ. In omnipotentem etenim deũ non cadit præteritũ vel futurũ, neque aliqua mutabilitas, sed omnia sunt ei præsentia, sempérq; est immutabilis: vnde Psal. æternitatẽ & immutabilitatem verbi dei subtili consideratione perpendens substantiuo verbo præsentis temporis vsus est, loquens de illo. Cælũ, inquit & terra mutabũtur, tu autẽ idem ipse es modo, qui eras ante omnia secula: & anni tui. i. æternitas tua nõ deficiet. ipse ergo qui semp habet esse, dicit de semetipso ad Moysen: Ego sum qui sum. Hęc dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos: Quapropter oĩs creatura rationabilis, quę per se mutabilis est ac tẽporalis, summopere laborate debet, quatenꝰ ei possit cõiungi & adhærere, qui semper idẽ manet. *Ad quẽ autẽ angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis: quoadusque ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorũ.* Postquã autem maiestatẽ diuinæ æternitatis ostendit in filio esse, iterũ conuertit B. Apostolus sermonẽ ad glorificationẽ eius humilitatis, dicens: Ad quã angelorũ dixit aliquãdo, sede à dextris meis? subaudis nullũ. Nulli enim archangelorũ, nulli dominantium aut virtutũ siue principatuum hanc gloriã concessit deus pater, vt ei diceret. Sede à dextris meis, hoc est, habita, & quiesce mecũ in plenitudine meæ maiestatis. Victori autem filio & totius mũdi per incarnationis suæ dispensationem triũphatori, post resurrectionis gloriã quadragesimo die dicit ei. Laborasti in passione, laborasti in redẽptione generis humani: quiesce mecũ in gloria, quoadusq; ponam inimicos tuos, vt sint scabellũ pedum tuorũ. Quoadusque vel donec, non significat finem alicuius tẽporis isto in loco, sed pro infinito & sempiterno posítum est, quasi diceret aliis verbis, Tu semper habita in plenitudine maiestatis meæ, quia ego subiiciam æternitati tuæ inimicos tuos Iudæos, aliósque incredulos. Pedes etenim domini, stabilitatẽ æternitatis eius designant, vbi ille tanquam in vestigiis firmis virtute omnipotentiæ suæ cõsistit. Possumus & per pedes non incongruè mysteriũ incarnationis eius accipere. His autem pedibus, æternitatis videlicet illius seu fidei, ac potentiæ incarnationis eius, duobus modis quotidie subiiciuntur inimici illius, dum videlicet vitiorum atque infidelitatis contrarietate derelicta, sponte se subiiciunt illi ad salutem, vt sub illo tueantur: vel certè dum nolentes in eum credere, coacti subiiciuntur illi, & calcantur dominio potestatis eius. Sequitur, *Nónne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* Si omnes spiritus cælestium virtutum mittũtur ad salutem credentiũ, quid est quod Daniel dicit, Milia militum ministrabant ei, & decies milies centena milia assistebãt ei? Quomodo enim omnes mittũtur, si decies centena milia ei assistũt? Intelligendũ est ergo quod omnipotens deus qui spiritus est incircunscriptus, oĩa implet, & vbiq; totus est. Quapropter angelicus spiritus, qui incircũscriptus est, quocũq; mittatur, intra deũ currit, deũque semper præsentem habet: ideóque ipsi qui mittuntur, ipsi etiã & assistunt ei. Vel certe ideo omnes mitti dicuntur, quia

sicut Didymus Græcus in lib. de spiritu sancto ait, Ex omnibus ordinibus cælestiũ dignitatũ mittũtur, sicut Gabrielem, Michaelem archangelos legimus missos in volumine Danielis, Raphaelé quoque ad Thobiam, Vnus etiam legitur de Seraphim missus ad Isaiã, quando calculo tetigit os & labia eius: & sicut frequenter angeli leguntur ad sanctos missi. Generaliter autẽ (sicut doctores dicũt) vnicuique fideliũ ab ortu natiuitatis, vel à tempore baptismatis datur à deo angelus ad sui custodiã, & qui ei suadeat bona agere. Vnde Apostolus hic dicit: Missi sunt (inquiens) in ministerium salutis propter eos qui hæreditatem patriæ cælestis sunt percepturi. In hoc ergo loco, sicuti diximus, omnes mittuntur: eiusdémque dignitatis sunt qui mittuntur, cuius & qui assistunt: Vel certe quia omnes eiusdé voluntatis sunt, & dũ illi qui semper assistunt, consentiunt cũ eis qui mittuntur, quodammodo in illis omnes assistunt, omnésque mittuntur: & est sensus: Quid mirum si vnico filio dei ministerium suum exhibent angeli, cum etiam nostræ salutis ministros eos constet esse effectos? Quapropter nemini illorum dixit, Sede à dextris meis.

CAPVT II.

P *Ropterea abundantius oportet obseruare nos ea quæ audiuimus, ne forte superefluamus.* Propterea, inqt, quia filius dei excellentior est omnibus angelis, qui nobis euangeliũ suum dedit, vel certe quia angelos nobis ministrat, qui deo semper renuntiant opera nostra, licet ipse vbique sit, abundantius atque plenius oportet nos obseruare ea quæ audiuimus à Christo in euangelio, & ab Apostolis eius, q̃ in lege solebamus, quæ per seruũ data est. Et quare abundantius? ne forte superefluamus. i. ne forte pereamus, & à salute excidamus, vel ne forte euanescamus transeuntes in perditionẽ, more fluminis decurretis in mare, dũ sensus nostri per inania quæque discurrũt. Iungit autem personam suã illis more suo agens. Et quare abundãtius? Reddit causam, dũ in sequẽtib⁹ verbis explicat dicẽs.

Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionẽ: quomodo nos effugiemus si tantã neglexerimus salutẽ? Sermo legis prophetarum per angelos dictus est ad patres nostros: quia per subiectã creaturã locutus est Moysi & prophetis

phetis: iuxta quod B. Stephanus in contentione sua manifestat dicens de Moyse: Hic est Moyses qui fuit cũ angelo, qui loquebatur ei in mõte Sina. Factúsq; est firmus. i. verus idẽ sermo per angelũ dictus: quoniã sicut ibi prædictũ est, ita omnia euenerũt, siue bona siue mala: omnisq; præuaricatio siue transgressio legis, atq; inobedientia cõtra illum sermonẽ patrata, accepit iustam retributionis mercedẽ, iudiciũ scilicet æternæ dãnationis, sicut illis cõtigit qui murmurando inobediẽtes extiterunt. Notandũ autẽ, quia cum merces in bonã partẽ maximè accipiatur, hic pro malo posuit Apost. more solito, non curans de proprietatibus verborũ, sed indifferenter vnum pro altero ponens, sicut hic mercedẽ in malo, & alibi captiuitatẽ in bono, vbi dicit: In captiuitatẽ redigite omnẽ sensũ ad obediendũ Christo. Facit ergo Apost. cõparationẽ á sermone legis qui per angelum dictus, ad gratiã euãgelij per filiũ datã: & dicit: Si enim sermo legis per angelos dictus, verus est in omnibus quæ premisit bonis, vel quæ minatus est malis: quanto magis erit firmus sermo euangelij datus per filiũ. Et si illi qui inobedientes extiterunt legi, damnationẽ æterni iudicij non potuerunt euadere, quomodo nos effugiemus vindictã dei, si tantã neglexerimus salutẽ, fidẽ scilicet euangelij, vitãque æternã tã magnã vtpote per filiũ nobis annunciatã atque promissam? subaudis, nullo modo. His verbis manifestat Apost. non fuisse tantã salutem in lege, quãta inest euang. Lex enim promittebat terrã, dicẽs: Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: euãgeliũ aũt promittit cælũ, dicens: Pœnitentiã agite, appropinquabit enim regnum cælorũ. Illa præstabat vindictam de terrenis hostibus, istud præstat de spiritalibus. Illa promittebat vitam longæuam temporalẽ, euangelium concedit vitam sine fine mansurã. *Quæ* subaudis salus, *cum accepisset initium enarrari per dominũ, ab eis qui audierunt, in nobis confirmata est.* Salus ergo quæ in euangelio continetur, à domino accepit initiũ enarrandi, quia ipse primùm annuntiauit eã per seipsum, dicens. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnũ cælorum: &, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Deinde verõ confirmata est, hoc est credita est ab eis qui audierũt eã, ab Apostolis videlicet qui cum domino fuerunt, & successoribus eorum: vel certe confirmata, id est, consolidata est

& perfecta in nobis ab eis, qui ab ipso domino perceperũt eam, quia salus quæ per spiritum sanctũ nobis data est, permanet in æternũ. Causa humilitatis suã iungit personam cũ eis, dicens: In nobis cõfirmata est ab eis qui audierunt. Ad hæc poterat aliquis dicere: Quomodo confirma est ab eis? Cui ille: *contestante deo signis & portentis & variis virtutibus, & spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatẽ.* Cõfirmata est, inquit, in nobis eadẽ salus ab eis qui audierunt, contestante deo .i. simul testimoniũ perhibente eorũ doctrinæ ac prædicationi, non voce, sed virtute, sed exhibitione miraculorũ, & varietate linguarũ: quia si dicebat aliquis apostolorũ mortuo aut infirmo, surge, esto viuus aut sanus, statim surgebat incolumis. Signa autẽ & prodigia & virtutes pro vno hic accipiuntur. Quod verò subiungit, spiritus sancti distributionibus, affluentiã significat gratiarũ, quã non habuerunt patres veteris testamenti: quæ fuit data postquã glorificatus est dominus Iesus, teste euangelista, qui dicit: Nondũ erat spiritus datus, quia nondũ fuerat Iesus glorificatus. Iste sunt distributiones seu diuisiones quas apostolus alio in loco commemorat, dicens: Alij datur per spiritum sermo sapiẽtiæ, alij sermo scientiæ &c. quæ in sequentibus enumerat, vsque dũ subiungit: hæc omnia operatur vnus atque idẽ spiritus, diuidens singulis prout vult, vnde & hic dicit, secundũ suam volũtatẽ. Diuinæ enim voluntati atq; consilio cuncta tribuit, ne quis in suis meritis confideret. Ipse enim spiritus sanctus nouit quid cuiq; prosit, vel quid cuique sit commodum. *Non enim angelis subiecit deus orbem terræ futurum de quo loquimur.* Ad ea quæ superius dixit deũ patrem dixisse filio: Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorũ: pertinet hoc quod modo dicit. Orbem autem futurum appellat homines habitantes in orbe: de quibus tunc temporis futurum erat vt in Christum crederent, vel de quorum salute prædictum est à prophetis quòd futura esset. Non, inquit, angelis subiecit deus pater orbem crediturum de quo loquimur, dicendo ex persona dei patris ad filium. Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, sed filio suo tradidit illum, cui ipse dicit in psalmo: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Vnde & ipse filius congratulans sibi traditum orbem crediturum, dicit: Ego autem consti-

constitutus sum rex ab eo, id est à deo patre. *Testatus est autem in quodam loco quis dicens.* Quod nomina prophetarum reticet in hac epistola, quorum testimonia ponit, non causa inuidiæ, aut absondentis affectu hoc agit, sed narrantis voto, & ostendentis intuitu Hebræos multam habere scientiam diuinarum scripturarum, quibus ista scribebat, in tantum vt nec opus haberet nomen ponere dicentis. Hoc ergo testimonium ex psalterio Dauidico sumptum est, qualiter loquitur ad deum patrem: Quid est homo? Suppresse & cum despectu pronuntiandum est istud, quid est homo? subaudis, fragilis, mortalis, caducus & sequax Adæ, qui in veteri peccato originali pronitate est deiectus, *quod memor es eius?* subaudis vt misericordiæ tuæ dona largiaris, tua est gratia, non illius meritum. Hominis memor est dominus, quãdo ei peccata dimittit gratuita misericordia, & misericordiæ suæ dona largitur. Sequitur *Aut filius hominis* subaudis quid est? Hoc quidem doctores referunt ad Christũ, qui in euangelio sæpissime filium hominis .i. filiũ Mariæ se vocat, ac propterea sub interrogatione sursum erigenda est vos, & est sensus. Quid promeruit ille homo assumptus à verbo, vt filius dei fieret? Quodque sequitur, *quoniam visitas eum* ad genus humanum refertur, de quo paulo superius sub nomine hominis dictum est, Quid est homo: & est sensus, Quoniam visitas genus humanum per filium tuum, & perpetua largitis beneficia, non est meritum illius, sed tua gratia, idéoque subsistit: quia à te visitatur. Visitatio ad medicum & ægrotum pertinet. Nam visitationis officium dicitur medicus implere, quãdo ad infirmum quempiam ingreditur. Et genus humanum quod infirmum & languidũ erat: deus pater tunc visitauit, quando misit filium suum, qui verbum caro factum est, & habitauit in nobis, de qua visitatione dicit etiam Zacharias pater Beati Ioannis baptistæ: Visitauit nos oriẽs ex alto, quidam doctores hoc quod dicit, Quid est homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? totum referunt ad genus humanũ, hoc verò quod sequitur, referunt concorditer ad Christum *Minuisti eum paulominus ab angelis* Per mortem corporis & opprobria passionis, minorem facit deus pater filium suum angelis, qui secundum diuinitatem æqualis ei erat in omnipotentia deitatis, quia angeli immortales &

impassibiles existunt, Minoratus est autē non necessitate, sed spontanea volūtate, sicut idem Apostolus aliàs ait: Qui cum in forma dei esset, non rapinā arbitratus se est esse se æqualē deo, sed semetipsum exinaniuit, formā serui accipiens, factúsq; est obediens patri vsq; ad mortem, mortem autē crucis. Ex ea enim parte qua mori potuit creator angelorū, minor factus est angelis. Bene autem dixit paulominus: & si mortale corpus assumpsit, peccati tamen maculam non habuit *gloria & honore coronasti eum* Psalmista loquitur ad deum patrem de humilitate & exaltatione filij dei, dicens: Minuisti, inquit, filium tuū paulominus ab angelis, dum eum mortalē creasti: sed quia ille obediens tibi extitit vsq; ad mortē, gloria & honore coronasti eum. Tale est illud quod Apostolus dicit alio loco. Propter quod & deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Gloria ergo coronauit illū deus pater in resurrectione: honore autem in ascēsione: quando quadragesimo die resurrectionis suæ exaltauit illū super omnē creaturam. Aliter: Gloria coronatus est in multitudine credentiū, videlicet cum post resurrectionis triūphū, credulitatē totius mūdi in hoc quod homo est accepit: honore autē in cōfessione paternæ maiestatis: hoc est, in eo q̄ in plenitudine paternæ gloriæ habitat *& cōstituisti eum super opera manuum tuarum* Per hoc quod homo factus est, constitutus est à deo patre super opera iussionis eius, supra cælestia videlicet, terrestria, & inferna: qui secū dum diuinitatis potentiā sicut cum deo patre omnia creauerat, ita cum illo omnia possidebat. Dicēdo enim, cōstituisti eum super opera manuū tuarū, omnis creatura mōstratur subiecta esse illi, quia sicut potestate verbi omnia creata sunt, ita ille homo assumptus est à verbo cum verbo possidet cuncta *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* i. æternitati illius & potestati, vt omnis creatura illū adoret, & hoc est quod ipse post resurrectionis gloriam apparens discipulis
Matth. 21. suis dixit eis: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. *In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectū ei.* In eo. i. in hoc dono vel facto, q̄ ei omnia subiecit, nec cælestia videtur excepisse, nec terrestria, vt diceret præter angelicā creaturā, sed ita conclusit, dicens, Omnia subiecit ei.

ei. *Nūc autē necdū videmus omnia subiecta ei*, Quid est quod B. Apo. loquitur. Nā cum dixisset, omnia subiecta esse Christo, statim subintulit, dicens: Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei: Si omnia sunt ei subiecta, quomodo non sunt subiecta? Intelligendum est ergo hoc modo vt superius: vbi dixit: nihil dimisit non subiectum ei: vt intelligamus vniuersalē subiectionē, & voluntariam, scilicet per fidē: & necessariā, qua cogitur omnis creatura subiecta esse suo creatori. Hic vero vbi dicitur, necdum videmus omnia subiecta ei, tātummodo de voluntaria subiectione accipere debemus, quę per fidē cōstat, qua in eum credere nolūt. Quia enim tunc tēporis quādo Apostolus ista loquebatur, euāgelij necdū prædicatio per totū mundū diuulgata erat, necdūq; omnes prędestinati ad vitā credebant, rectè dixit: necdū sunt ei omnia subiecta. & nō solum tunc, sed etiam adhuc omnes prædestinati nō credunt. *Eum autē qui modicum quàm angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatū.* Hic apertè manifestat: quia gloria & honor Christi crux eius fuit, pro qua modicū minoratus est ab angelis, moriēdo pro nostra salute. Vnde & Apo. alibi cū dixisset, factus obediēs est patri vsq; ad mortē, mortē autē crucis, statim subsecutus est dicēs, Propter quod & deus exaltauit illū, & dedit illi nomē quod est super omne nomē, &c. Sic etiā ipse dns̄ ꝓuocabat Apostolos dicēs: vt glorificetur filius hominis. Sed si ille qui dns̄ est, ea quæ pro seruis passus est, gloriā vocat: multo magis tu homo quę pro domino pateris, tibi ad gloriā sempiternā pertinere nō dubitare debes. Eū, inquit, Iesum videmus coronatū, nō oculis corporis: sed oculis mētis: dum sedet in plenitudine paternæ maiestatis *vt gratia dei pro omnibus gustaret mortem.* Gratia dei patris appellatur filius, eò q̄ nobis à deo patre gratis sit datus. & q̄ gratis pro nobis mortē sustinuit. Nō em̄ debebatur pro nobis nostro merito, vt filius dei pro nobis gustaret mortē: sed ineffabilis gratia hoc fecit. Quod autem dicit pro omnibus illum gustasse mortem, quidam doctores ita absolute intelligunt, vt dicatur pro omnibus pro quibus gustauit, id est pro electis ad vitā æternam prædestinatis. At vero quidam ita generaliter accipiunt, vt dicatur pro omnibus fidelibus atque infidelibus mortem gustasse: dicentes: Ipse quidem pro omnibus mor-

tnus est,licet omnes nõ saluẽtur. Et si omnes nõ credunt, ille tamẽ quod suum erat fecit. Vnde B. Prosper hanc ponit similitudinẽ,Et quilibet medicorũ peritissimus qui veniẽs in ciuitatẽ populosam,vbi multi infirmi habẽtur,temperat potionẽ cõtra omnia genera infirmitatũ,& cõuocat omnes,dicẽs: Venite omnes populi qui variis infirmitatibus laboratis,& bibite ex hac potione, quam causa salutis vestræ præparauit,spõdeo vobis cum obtestatione,quód si quis biberit ex ea,medelã statim cõsequetur. Qui credunt verbis illius,accedunt,bibunt,& sanãtur:qui verò renuunt bibere,nõ sanãtur,sed in sua infirmitate cõtabescũt.Quãtũ ergo ad medici deuotionẽ pertinet, pro omnium illorũ salute potionẽ temperauit,licet aliis nõ prosit, nisi his qui ex ea biberũt.ita & Christus,quãtum in se fuit,pro omnibus mortuus est,quanquã nõ prosit eius passio nisi solummodo his qui in eum credere voluerunt.Simúlq; notãdum quia non dixit Apostolus,subiacuit morti,sed proprie gustauit mortẽ,per quod velocitatẽ resurrectionis voluit ostẽdere.Breui etenim tempore à morte potuit retineri: vt ea deuicta,cõfestim victor resurgeret. *Decebat enim eũ propter quem omnia,& per quem omnia,qui multos filios in gloriam adduxerat,autorem salutis eorum consummari per passionem* Decebat,inquit,eum,autorem scilicet salutis eorum per passionem consummari, id est perficere omnium salutem per passionem Christi, qui est autor salutis omnium credentium, & qui ante passionem suam multos filios adoptiuos adduxerat in gloriam fidei,spei, & charitatis: qui certam spem habebãt gaudiã patriæ cælestis & æterni regni hæreditatem se posse percipere: Vel certè per passionem decebat eum perficere omnia quæ de illo prædicta erãt. Vnde ipse dixit pendens in cruce,consummatum est, Propter quem omnia,id est,per mortem eius restaurata sunt omnia cælestia & terrestria:homo scilicet redemptus,& numerus angelorum redingratus. Per quem omnia,subaudis, facta sunt,iuxta quod Ioãnes dicit,Omnia per ipsum facta sunt. Vidésne quantum est in medio nostri, nobísque coniunctus est? Ipse filius,& nos filij:ille proprius, & nos adoptiui:sed ille saluat,& nos saluamur. Vides quomodo nos cõiungit & discernit? Nam cum dicit, multos filios adduxit in gloriam, hic coniunxit:cum vero addit, autorem salutis

tis eorum,hic discernit. *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur,ex vno omnes.* Quis est qui sanctificat? Christus per fidem passionis suæ, & per donum baptismatis. Qui sunt qui sanctificantur? Omnes credentes,qui sanctificantur fide passionis Christi,& gratia baptismi. Sed qui sanctificat Christus,& nos qui sanctificamur,ex vno deo patre omnes sumus, quia ab illo omnia originem acceperunt. Vnus est enim deus,per quem & in quo omnia. Sed aliter ille,aliter nos. Ille quasi proprius filius potest sanctificare, nos vero quasi adoptiuit ab illo sanctificamur. Attamen vnum habemus patrem in cælis,ille proprium,nos adoptiuum *Propter quam causam* subaudis, quia & ipse & nos ex vno deo patre sumus, licet discrete *non confunditur fratres vocare eos* qui sunt filij adoptiui *dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis* Cum dicit,non erubescit fratres eos vocare,ostendit non esse eandem fraternitatem nostræ humanitatis,sed in misericordia eius multa,& humilitate maxima,qui nos fratres elegit sibi: hoc quoque prophetico affirmat testimonio,ne quasi nouum putaretur, & non multo ante prædictum. Ait enim, Nuntiabo nomen tuum fratribus meis. Post sacram passionem & venerandam resurrectionem promittit se gloriam diuinitatis paternæ, & nomen eius quo pater dicebatur, toto orbe diuulgaturum. Nuntiabo dicit,id est narrari faciam à prædicatoribus meis mihi à te datis. Nam resurgens à mortuis dicit mulieribus: Ite,nuntiate fratribus meis. & ad Mariam: Vade ad fratres meos, & dic eis. Fratres autem dicuntur & qui diligunt, & qui diliguntur, addit vero *In medio ecclesiæ laudabo te.* In medio ecclesiæ, hoc est, in cœtu fidelium laudauit deum patrem filius, quãdo Apostolis reuersis à prædicatione dixit: Confiteor tibi pater domine cæli & terræ.i.laudo & glorifico te, quia abscondisti hæc à sapiẽtibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ipse quoq; quotidie in medio ecclesiæ laudat deum patrem,dum fideles quiq; eius passione & resurrectione redempti,eiúsq; baptismate abluti, indefessas laudes deo patri referunt corde ore,& opere. His enim tribus modis laudandus est deus, *Et iterum, Ego ero fidens in eum* hoc est,in deum patrem. Vox est filij dei de deo patre ex parte humanitatis loquentis. Nam homo susceptus à verbo, totam confidentiam suam in deum patrem po-

ſtam habebat, vnde dicebat: Pater clarifica filium tuũ. Et pro fidelibus ſuis ſupplicans aiebat: Pater, volovt vbi ego ſum, & iſti ſint mecum. Quos etiã exhortans vt confidentiã haberent, dixit, Confidite, ego vici mundum. *Et iterum, Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi deus* Hæc duo teſtimonia aſſumpta ſunt ex oraculo Iſaiæ prophetæ loquẽtis in perſona filij dei. Iſti autem ſunt pueri, ſancti videlicet apoſtoli, quibus dominꝰ ait. Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Qui bene pueri vocãtur propter innocentiã & humilitatẽ, de quibus ipſa veritas dicit: Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum. *Quia ergo pueri communicauerũt carni & ſanguini: & ipſe ſimiliter participauit eiſdem.* Hoc de apoſtolis, omnibuſque fidelibꝰ dictum eſt, quia per hoc fratres fuerunt domini, quia verũ corpꝰ & ſanguinem habuit, ſicut & illi habuerunt. Quo loco confunditur Manichæus cũ ſuis, qui auſus eſt dicere deũ verũ corpus nõ habuiſſe, eũ Apoſtolus dicat, quia aſſumendo carnẽ particeps extitit illorũ. Sicut enim illi pueri & nos carne & ſanguine cõſtamus, ſic & chriſtus ꝓticipauit carni & ſanguini, homo factus: & ſicut Chriſtus communicauit noſtrę ſubſtãtiæ per aſſumptionẽ hominis, ſic & nos perticipes eius ſumus per aſſumptionẽ corporis & ſanguinis eius. Quare aũt cõmuni cauerit Chriſtus carni & ſanguini, in ſequẽtibus manifeſtat, dicens *Vt per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperiũ, id eſt, diabolũ, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam erãt obnoxij ſeruituti* Admirabile quiddã hic, demonſtra apoſtolus, oſtendens diabolũ per hoc deuictũ à Chriſto, per quod poteſtatẽ tenebat in mundo. Arma quæ fuerũt illi quõdam fortia aduerſum mundũ, hoc eſt mors, per ea illũ Chriſtus percuſſit, ſicut Dauid abſtracto Goliæ gladio, ex eo caput illius amputauit, in quo quõdam victor ille ſolebat fieri. Quia ergo diabolus per mortẽ hominis in mundo principatum præſumpſerat, per mortẽ Chriſti tẽporalẽ vinci debebat. Quapropter participauit Chriſtus carni & ſanguini, vt mori potuiſſet ad tẽpus, ſicque dũ mortuus eſt, qui peccatũ nõ fecerat, deſtruxit diabolũ qui peccatum attulerat, per quod mors in orbẽ venerat. Siue etiam in hoc deſtruxit diabolum & mortẽ, quia ſemper mortuus eſt peccato, dũ non peccauit. Deſtructo autẽ imperio diaboli liberauit electos ſuos, qui timore mortis per totã vitã ſuam

ſuam quandiu viuebant in hoc ſeculo, obnoxii. i. debiti & aſtricti erãt ſeruituti mortis & diaboli. In hoc enim timebant mortẽ, quia ſerui erant mortis, dũ omnes morti ſubiacebãt. *Nuſquã enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehẽdit.* Quòd ſuperius dixerat, pueros communicaſſe carni & ſanguini, & quia Chriſtus participauerit eis, exequitur amplius hunc ſenſum, volens oſtẽdere vnde participaret eis, & dicit: Nuſquam. i. in nullo loco, neque in cælo, neq; in terra angelicã creaturã aſſumpſit, ſed corpꝰ humanũ de ſemine Abrahæ aſſumpſit. Quibus verbis fauet illis blandiendo, quòd ſemen illorum aſſumpſerit. Quia ergo homo redimẽdus erat morte filij dei, non angelus: idcirco non angelicam naturam aſſumpſit, quæ mortem nõ poteſt pati: ſed humanã in qua mori potuiſſet. Nec angelis tanta eſt dignitas collata, vt in vna perſona eorum naturæ filius dei cõiungeretur: quam dignitatẽ ſiue honorẽ humanæ naturæ diuina gratia cõtribuit, vt deꝰ & homo vna eſſet perſona. Et quare dixit, apprehẽdit, quod pertinet ad fugientẽ? quia nos quaſi recedẽtes à ſe, & lõge fugiẽtes inſecutus apprehendit *Vnde debuit per omnia fratribus aſſimilari* Pro hac, inquit, ratione quia nõ aſſumpſit angelicã naturã, ſed humanã de ſemine Abrahæ, debuit ꝓ omnia aſſimilari fratribus. Quid eſt per omnia? i. natus eſt: educatꝰ, creuit, eſuriit, paſſus eſt ac mortuus, vt per omnia iſta ſimilis eſſet fratribus, qui huiuſmodi cõditioni ſubiecti ſunt & conneri. Sed fortaſſe quærit aliquis, quare homo ſit reparatus potius quã angelus lapſus? Cui reſpõdendũ eſt, hominem nõ tantũ deliquiſſe, quantũ diabolum. Ille enim diabolo ſuadente peccauit, diabolus vero nullo ſuadente, ſed ſuperbiẽdo corruit. Homo quoque quia corpus habebat, manducare indigebat: diabolus autem quia ſpiritus eſt: totus inexcuſabilis eſt. Fuit & tertia cauſa, videlicet quia homo nec dum peruenerat ad locũ vbi æternaliter cum deo regnaturus erat: ſed in paradiſo terreno morabatur, de quo tranſferendus erat in cælum completo numero electorum: diabolus autem in cælo iam erat collocatus, *vt miſericors fieret & fidelis pontifex ad eum, vt repropitiaret delicta populi* Miſericors dicitur à miſero corde, videlicet quia miſeriam ſuſi̇met, & cognoſcit per experimentum miſereri. Itaq; non fuit alia cauſa illum per omnia fratribus aſſimilari, niſi vt miſeri-

cordiam nobis præstaret nos redimendo, & fidelis fieret verúsque & potens pontifex ad deum patrem interpellãdo pro nobis, nostríque propitiaret peccatis. Hæc enim huius miserãdæ dispensationis causa fuit. Vidit quippe humanum genus humo intantum, peccatorum vinculis ligatũ, & misertus est eius sicut fidelis pontifex reconciliãs nos deo patri, & recõciliando purgans. Ministeriũ etenim sacerdotis atque pontificis est fidelẽ esse, vt possit eos quorũ sacerdos est, liberare à peccatis. Pontifex quoq; dicitur cò quòd pontem. i. viam præbeat suis sequacibus suo bono exemplo, ita & dominus pontem fecit nobis. i. bonam viam ostendit, cũ diceret: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Pontem etiam nobis fecit quando aperuit nobis ianuã regni cælestis, vbi modò consistit, deum patrẽ interpellans pro nobis *In eo in quo passus est ipse & tentatus, potens est eis qui tentantur, auxiliari.* In eo, inquit. i. in homine in quo tentatus est ipse à diabolo, sed nõ superatus, & passus à ministris illius, potens est vinctos liberare, tentatósque adiuuare ne vincantur: quia tentationes nostras & passiones non solum sicut deus cognoscit, sed etiã sicut homo experimento probauit, ac propterea nõ solum per hoc quòd deus est, potest nobis auxiliari, sed insuper per hoc quòd homo est, quoniam eiusdem potestatis est homo assumptus à verbo, cuius erat & idem verbum.

CAPVT III.

VNde fratres sancti vocationis cælestis participes, considerate Apostolum & pontificem confessionis nostræ, qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo illius. Fratres eos vocat tam carne quam spiritu, qui ex eodem genere erant, eandémque fidem habebant. Sanctos, quia sanctificati fuerant fide passionis Christi, & aqua baptismatis: qui participes erant cælestis vocationis, hoc est, patriæ cælestis, ad quam dominus omnes vocat, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Considerate Apostolum & pontificem fidei nostræ Iesum. Apostolus græce, latinæ dicitur missus. Et dominus Iesus Apostolus noster est, quia gratis à deo patre nobis missus est, sicut ipse testatur dicens? Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israel: & sicut misit me pater, & ego mitto vos. Vnde & idem egregius prædicator alio

alio in loco dicit: Misit deus filiũ suum factum ex muliere. Pontifex autẽ cõfessionis nostræ est, quia cõfessionẽ fidei nostræ prætendit ante deũ patrẽ: qui fidelis est ei. i. deo patri qui fecit illũ, iuxta quod alibi dicitur, Quia factus est ei ex semine Dauid secundũ carnẽ. Notãdum autẽ de humanitatis essentia hoc esse dictũ, in qua ipse fidelis fuit deo patri, obediens ei vsque ad mortẽ. Nõne fidelis erat deo patri, quando omnia quæ agebat, non suæ gloriæ reputabat, sed patri, dicens: Pater in me manẽs, ipse facit opera? Sicut & Moyses, inquit, fidelis erat in omni domo eius. Domũ dei hic populum debemus intelligere, plebẽ. s. Israeliticam, cui Moyses præpositus erat à deo, de qua domo dicit Isaias: Vinea domini sabaoth domus Israel est. & iterũ exhortando, Domus Iacob venite & ambulemus in lumine dei. In qua domo Moyses fidelis fuit. i. deuotus, & bonæ volũtatis, defendẽs ea quæ dei erant, sibique nõ vsurpans gloriam dei *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam.* Hoc in loco aut erit hypallage in sensu, aut satis necessaria subauditio supponetur, hoc modo. Tanto maioris gloriæ Christus prę Moyse dignus inuẽtus est, quanto maiorem honorẽ habet, subaudis dominus domus qui fabricauit eandem domum, siue tãto maiori gloria Christus præ Moyse dign' inuentus est, quanto maiorem honorem habet fabricator à domo quam ipse fabricauit. Redditq; causam quare maioris gloriæ sit fabricator domus, quàm domus ab eo fabricata. *Omnis nanque domus fabricatur ab aliquo. Qui autẽ omnia creauit, deus* subaudis est. Hic factorẽ à factura discernit, vtriusque domus autorẽ deum esse intelligi volens, & populi. s. Israelitici, & gẽtilis *Et Moyses quidẽ fidelis erat* hoc est, deuotus & bonæ volũtatis *in tota domo eius, tanquam famulus in testimonium eorũ* subaudis verborũ *quæ dicenda erant. Christus autem tanquam filius in domo sua* habitat, ordinans & disponẽs illã. Quãta differentia est inter famulum quẽ paterfamiliãs præponit domui suæ, & filium quẽ derelinquit hæredẽ, tanta distãtia est inter Moysen & Christũ. Moyses enim fidelis & deuotus famulus fuit in domo dei omnipotẽtis: hoc est, in plebe Israelitica i testimoniũ eorũ verborũ quæ per illũ dicẽda erãt ad populũ, quoniã testis erat verborũ domini ad populũ, iterúmque populi ad deũ. Christus

vero liberè ordinat domum suam: hoc est, ecclesiam suam, tanquã filius hæreditatè paternam. De qua domo subiungit Apostolus dicens. *Quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus* Hortatur iterum Apost. Hebræos fortiter stare in fide, & perseuerare in bono opere, iungens se more solito illis. Domus, inquit, dei sumus, si fiduciam. i. fidé rectã, & gloriã spei nostræ firmam retinuerimus vsque ad finem mortis nostræ, vel vsque ad diem iudicij. Gloria spei nostræ est, qua gloriamur nos in spe iam esse filios dei, & quod modo tenemus in spe, credimus nos possessuros in re. Bona enim quæ nobis promissa sunt, in hac pœnali vita habere nequaquã possumus. quamobrem habentes fidem rectam, spem certam, expectemus patienter præmia nobis à domino promissa. Sequitur: *Quapropter dicit spiritus, hodie si vocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda vestra &c. vsque, si intrabunt in requiem meam* De spe paulò superius locutus fuerat B. Apostolus quod oporteat sperare ea quæ futura sunt, & dat inde testimonium propheticum sub comparatione quemadmodum illi perierunt, qui desperauerũt de potentia dei, & quid promeruerũt pauci qui sub spe certa promissis dei crediderũt. Quia ergo obscure B. Apostolus locutus est, necesse est hic replicare historiam veteris testamenti, vt manifestior fiat oratio. Eductus populus Israeliticus de Aegyptiaca seruitute in signis & mirabilibus domini, cũ multam viã deserti perambulassent, pasti à domino manna, aqua de petra potati, eiusque protectione tutati, consilium inierunt omnes mittere de singulis tribubus principes speculatores, qui deberent speculari atque considerare terrã à domino sibi promissam. Qui pergentes lustrauerunt terram: reuersíque sunt post spatium quadraginta dierum ad multitudinem, nuntiantes terram fertilissimam, magnorúmque fructuum procreatricem, sed habere vrbes munitas, virósque inexpugnabiles esse in ea, vtpote de stirpe Enachim, hoc est gigantum. Israelitæ verò ingrati & insensati, quos oportebat recordari tantorũ Dei beneficiorum: quomodo eos clausos in medio tanti exercitus Aegyptiorũ, eripuerit de periculis, fluuiorúmque fontes de petra sine defectu donauerit, manna tribuerit, aliáque innumerabilia beneficia eis contulerit, nec deo crediderunt, desperantes de eius potentia.

potẽtia, nec horũ aliquid rememorati sunt, sed timore desperabili perterriti, murmurãdo dixerunt: vtinã non introducat nos dominus in terrã illam. reuertamur in Aegyptũ. Deus igitur iratus ꝙ sic citò obliti fuissent beneficiorum ac mirabilium eius, iurauit ꝙ nõ esset intratura generatio illa in requiem & patriam olim patribus promissam: sicq; illa sexcenta milia quæ egressa sunt de Aegypto, perierũt, præter duos tantummodo, Caleph videlicet filium Iephonæ, & Iosue filium Num, qui seditionem populi compescere nisi sunt, creduli promissionibus domini. Notandũ autem tres requies ab Apostolo in hac epistola cõmemorari. Vnam sabbati, qua requieuit deus ab operibus suis. Secundam in Palæstina, in quã ingressi Israelitæ requieturi erãt à miseria & laboribus multis. Tertiam quoq; quæ vera est requies, regnum videlicet cælorum, ad quam quos peruenire contigerit, plenissimè requiescent à laboribus ærumnisque huius seculi, de qua hic Apostolus prophetãdo spiritaliter loquitur, dicens: *Quapropter* subaudis, quia domus dei sumus, si fidem rectam & gloriam spei firmam retinuerimus *nolite obdurare corda vestra*, ne similia patiamini, qualia progenitores vestri passi sunt priuati requie promissa. Hortabatur his verbis Apostolus Hebræos, vt non essent infideles & increduli, ne perderent requiem æternam sibi à domino promissam, sicut perdiderunt patres eorum requiem temporalem. Nolite, inquit, hodie obdurare corda vestra, sicut, subaudis, obdurauerunt patres vestri in exacerbatione, in amaricatione, quando me ad amaritudinem prouocauerunt secundum diem tentationis eorum in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri multis modis, dicẽtes. Nunquid poterit deus parare mensam in deserto? Et nunquid poterit nos introducere in terram patribus promissam? Quod autem dicit hodie, nõ loquitur iam Psalmista ad illos qui mortui sunt in deserto murmurando cõtra dominũ & increduli existendo, sed potius ad illos qui dominicæ prædicationis tempore fuerũt, Apostolorũque, & vsq; ad finẽ seculi futuri sunt. Hodie, inquit. i. in die noui testamenti vel omni tempore quãdiu dicitur hodie, nolite obdurare corda vestra. Hodie nanq; pro sempiterno ponitur, id est donec mundus & vita præsens manet. Sequitur *probauerunt & viderunt opera mea quadraginta annis.* Quod

dicit probauerunt opera & mirabilia ea, non est ita intelligendũ, vt dicatur probauerũt, id est elegerunt causa gratiarũ actionum, sed potius probatio hæc ad curiositatẽ est referenda & tentationũ. Probauerunt (inquit) opera mea, hoc est, curiositatis causa exquisierũt, tentãtes vtrũ omnipotens essem. Sed quid factum est? viderũt illa per quadraginta annos, & permãserũt ingrati. Potest quod dicit quadraginta annis, & ad sequentia iungi. Quadragenarius aut numerus mysticus in diuina scriptura habetur: Quadraginta diebus dominus in deserto ieiunauit, vt triumpharet de illo per quem illi quadraginta annis murmurauerũt in eremo contra dominũ, consummatáq; tota gloria victoriæ in passione & resurrectione, quadraginta diebus fuit cũ discipulis, antequã cælorũ altitudinẽ penetraret. Primis vero diebus quadraginta tentationẽ huius seculi ostendit, posterioribus quadraginta diebus consolationẽ, qua consolandi sunt in patria. Corpus enim eius, id est ecclesia necesse est vt tentationes patiatur in præsenti seculo, vt postmodũ peruenire possit ad gaudia patriæ cælestis. Tamen & in præsenti nõ deest ille consolator, qui dixit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad cõsummationem seculi. Sequitur *Propter quod* subaudis quia tentauerunt me causa curiositatis, & opera mea quadraginta annis probauerunt *offensus fui generationi huic.* Plus est dicere offensum fuę infensum quàm dicere iratum, quoniam qui irascitur, facilè potest ab ira remoueri qui verò infensus siue offensus fuerit, aut vix aut nullo modo potest placari, ita omnipotẽs deus offensus. i. valde & implacabiliter iratus fuit illis sexcẽtis milibus qui perierũt in deserto. *Et dixi* ad Moysen & Aaron, vel etiã ad Iosue. *Semper hi errãt corde.* Multis modis castigauit eos dominus dẽs omnipotẽs: sed illi semper corde errauerũt, à via veritatis & rectitudinis deuiãtes. Quicunq; enim voluntati dei nõ obsequundat, errat à rectitudine iustitiæ. *Ipsi vero non cognouerunt vias meas* Non cognouerunt dicit, hoc est non approbauerunt, nec elegerũt actiones meas & præcepta mea: vel non cognouerunt, quia noluerunt ad hoc cognoscere vt tenerent & obseruarent illa *quibus iurauí in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Si, aliquando ponitur pro affirmatione, aliquando pro dubitatione, aliquando pro negatione, vt in præsenti

oco

loco pro non, & in Psalmo dicẽte propheta: Si reddidi retribuentibus mihi mala, id est non reddidi. Ordo verborum est. Non introibunt in requiem meam, sicut iurauí in ira mea, hoc est, in vindicta mea. Ira enim dei, vindicta est illius. Loqui deum, magnum est: iurare vero minus metuẽdum. Cum enim omnis sermo illius pro iuramento accipi debeat, quoniam semper verus est, dicitur aliquando iurare ad exaggerãdam vim rei, & vt terrorem incutiat auditoribus. Sic dicitur & irasci more humano, cũ semper ipse idem maneat: quatenus dum audiuimus illum iratum metuamus peccare. Quod autem dicit, Nó introibunt in requié mea, hic (sicut suprà dictum est) geminam requiẽ debemus intelligere vnam. Terrã repromissam Abrahæ, quã illi perdiderũt propter infidelitatem suã: alteram verò vitam æternã de qua Apost. spiritualiter loquitur dicens: In quã non introibunt Iudæi in infidelitate manentes. *Videte fratres ne forte sit in aliquo vestrum cor malũ incredulitatis discedendi à deo viuo.* Hortatur iterum Apostolos blandiendo, vocans eos fratres, & dans consilium quomodo intrare possint in requiem veram, Fratres mei carne, fratres etiam fide: videte, id est cauete, summáq; diligentia attendite, ne forte sit in aliquo vestrum voluntas non bona, & cor malũ increduliratis discedendi à Deo viuo, sicut fuit in illis qui errauerunt in deserto adorando idola: & pereatis, sicut illi perierunt. *Sed exhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Quia illis Iudæis scribebat, qui iam crediderant, & inter quos tales erãt qui alios in fide, spe, bonisque operibus exhortari poterant, ideo taliter loquitur: Exhortamini, inquiens, vos inuicem, & corrigite vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, id est omni tempore præsentis vitæ, in quo est spatium pœnitendi. Si quisquam peccauerit, non desperet de venia quãdiu viuit, nec obduretur aliquis vestrũ fallacia peccati. i. desperatione, decipiente peccato infidelitatis, quasi per pœnitentiã nõ possit promereri indulgẽtiam, Ille enim qui satis perfectè nõ credit, solet plerũq; in desperationẽ ruere, reddítq; causam quare nemo debet desperare de venia, dicẽs. *Participes enim Christi effecti sumus* Christo partipamur & coniungimur, vtpote vnũ cũ illo existentes. Siquidẽ in hoc partici-

pamur illi, quia ipse caput nostrum, & nos membra illius, cohæredes & concorporales illi secundum spiritalem hominem qui creatus est in ipso. In eo etiã participamur illi, quia corpus & sanguinem eius sumimus ad redemptionẽ nostri: quapropter non est desperandum, *si tamen initiũ substantiæ vsque ad finem firmum retineamus, dũ dicitur. Hodie si vocẽ eius audieritis: nolite obdurare corda vestra* cõtra deum in infidelitate *quemadmodũ in illa exacerbatione* subaudis, obdurauerunt patres vestri corda sua. Initium substantiæ Christi dicit fidẽ Christi, per quã subsistimus, & renati sumus, quia ipse est fundamentum, omnium virtutum. Et bene substãtiam eam vocat: quia sicut corpus anima subsistit & viuificatur, ita anima fide subsistit in domino & viuificatur, ac sine fide quasi nihil est. Vnde dicit per prophetam: Iustus autem meus ex fide viuit. Et idem egregius prædicator, Sine fide (inquit) impossibile est placere deo. Substantia autem Christi appellatur fides, vel quia ab illo datur, vel certe quia ipse per eam habitat in cordibus fidelium, iuxta quod idem Apostolus aliàs dicit, optando in interiore homine habitare Christũ per fidem in cordibus vestris. Tunc ergo veraciter Christi participes sumus, si fidem eius vsque ad finem mortis nostræ, vel vsque ad diem iudicij firmam retinuerimus, omni videlicet tempore, quãdiu dicitur nobis per prophetam. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, *Quidam enim audientes exacerbauerunt, sed non omnes qui profecti sunt ab Aegypto per Moysen,* Illius historiæ tacitè mentionem facit, quando reuersis exploratoribus, dixerunt murmurando: Vtinam non introducat nos dominus in terram illam, Iosue autem & Caleph glorificauerunt Deum, dicentes ad omnem multitudinem: Potens est dominus introducere nos ad terram illam. Quidam ergo audientes verbum Dei de promissione & sermone exploratorum, ad amaritudinem prouocauerunt eum ob incredulitatis & desperationis malum, sexcenta videlicet milia, quorum corpora prostrata sunt in deserto, sed tamen exacerbauerũt eum omnes qui profecti sunt ex Aegypto, quoniam Iosue & Caleph ex tanta multitudine glorificauerunt illum, vnde & meruerunt terram repromissionis non solum possidere, sed etiam aliis per sortem diuidere. Quare autem Apostolus hoc prosequatur,

Aba. 2.

Heb. 11.

tur, sensus est. Audierunt alij omnes verbum dei de promissione terræ repromissionis, sicut & nos audiuimus de patria cœlesti: sed quid profuit illis sermo auditus? Nolite ergo putare quòd ex auditu tantum prædicationis introitus sit in requiem dei, nisi adhibita fuerit fides de corde puro. *Quibus autem infensus est quadraginta annis? nónne illis qui peccauerunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto? Quibus autem iurauit non introire in requiem suam nisi illis qui increduli fuerunt?* id est illis qui dubitauerunt quòd potuisset eos dominus inducere in terram repromissionis, *Et videmus*, id est intelligimus *quoniam non potuerunt intrare in requiem ipsius* illa sexcenta milia propter incredulitatem.

CAPVT IIII.

Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiẽ ipsius, existimetur aliquis ex nobis deesse Timeamus, inquit, perditionem illorum, iustumque iudicium dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua, ne forte relicta & neglecta pollicitatione fidei quam deo dedimus in baptismate introeundi in requiem patriæ cælestis, reuertamur iterum ad opera infidelitatis, quæ abdicauimus coram multis testibus. Potest & de illa pollicitatione intelligi, quam dominus promisit nobis dicens: Discite à me, quia mitis & humilis sum corde: & inuenietis requiem in animabus vestris. Et ipse ergo nobis illam requiem promisit, & nos spopondimus nos intraturos in eã tempore baptismatis. Quamobrem laborate, ne existimetur aliquis ex vobis deesse ab illo regno, hoc est, ne aliquis vestrũ minus dignus inueniatur introeũdi in requiem dei. Loquitur Apo. more viatorum proficiscentium de vna regione in aliã, quibus solet dicere is qui omnibus dicit, Videte ne quis vestrum in itinere remaneat: vt simul omnes peruenire possimus quò tẽdimus. Sed & si cuius iumẽtum prælassitudine defecerit, subleuate inuicẽ eius sarcinas, ne forte ob hoc in via remaneat. Electi enim in præsenti seculo quasi in via sunt tendente ad patriam. Sed ne aliquis remaneat qui non possit peruenire ad patriã cælestẽ, simplices quiq; & infirmi subleuãdi sunt ope & auxilio fortium, iuxta illud: Alter alterius onera portate. *Etenim nobis nuntiatũ est quemadmodum & illis.* More solito iungit se Iudæis, qui tunc temporis erant, & dicit: Etenim omnibus nobis

Gala. 6.

Iudæis nuntiatum est vt intremus in requié patriæ cælestis, quemadmodũ & illis qui egressi sunt ex Aegypto, nũtiatum est vt intrarent in requié terræ repromissionis: nobis tamen per filium, illis autem per famulum. *Sed non profuit sermo auditus non admixtus fidei ex his quæ audierunt.* Sermo quem audierunt illa sexcenta milia per Moysen de requie terræ Palestinæ, nõ profuit illis, quia non fuit admixtus & coniunctus fidei, & contemperatus fide ex his promissionibus quas audierũt. Tunc enim prodesset sermo auditus, si credidissent, quoniã tunc esset cõtemperatus fide. Quoniam vero nõ crediderunt, nõ fuit coniunctus fidei, ideóq; nihil eis profuit quod audierũt, quoniã in eam intrare nõ meruerunt. Post hæc verba exhortationis, subiunxit Apostolus, dicens: *Ingrediemur enim in requiem eius, qui credidimus, quemadmodum dixit, sicut iurauit in ira mea, si introibunt in requié meam.* Isto in loco ad completionem sensus necesse est aliquid adiicere. Ingrediemur (inquit) in requiem patriæ cælestis, à deo nobis promissam subaudis, ne forte dicatur nobis si increduli fuerimus, quemadmodũ dixit illis qui nõ introierunt, si introibunt, id est non introibunt in requié meam. Quibus verbis hortatur omnes intrare in requiem domini, ne forte nobis dicatur ob infidelitatem quod illis dictum est. Nam sicut certum est quòd increduli non introibũt, sic certum fixumq; habetur quòd credoli introibunt. *Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis*, id est ornatu mundi perfecto, dixit quodam loco de die septima sic. *Et requieuit deus die septima ab omnibus operibus suis*, In Genesi dixit deus per Moysen istud. His verbis vult Apostolus ostendere aliam esse requiem meliorem ad quam vocati sumus, quàm fuerat illa in Palæstina, ad quam Iudæi vocati sunt, nec dicit nos intraturos in illam quæ fuit in Palæstina, sed ostendit illos non intrasse propter duritiam cordis sui, nec in Palæstinam, nec in requiem cælestem. Dicit ergo de prima requie sic: Requieuit deus die septima ab omnibus operibus suis. Requieuit quidem à conditione nouarum creaturarum, sed non requieuit à gubernatione eorum quæ fecerat, & vt quotidie ex ipsis etiam noua producat, vnde veritas in euãgelio Iudæis dicit, Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Non enim plus est deo mundum ex nihilo creare, quàm factum gubernare. Præmissa ergo prima requie septimi diei in qua requieuit deus, subiunxit secundam, quæ promissa est populo dei, dicens: De illa quidem quodam loco ita dixit deus per Moysen, *& in isto loco rursum* dicit, *si introibunt in requem meam.* Si verò coniunctio, sicut iam supra dictum est, pro affirmatione, pro dubitatione, & pro negatione accipi potest. Superius nanq; pro negatione duobus in locis posita est, vbi ait iurasse deum propter incredulitatem illorum, si introibunt in requiem meam, id est, non introibunt: hic verò pro affirmatione potest accipi, sub alio sensu, sicut Ioannes Chrysostomus aliique doctores exponũt, quasi diceret: Si introibunt in requiem meam, subaudis, bene habebunt. & hoc de requie quæ fuit in Palæstina, accipe. Vnde protinus additur: *Quoniam ergo superest quosdã introire in eam, & hi quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem* ideo dicit, Quoniam superest vel restat quosdam intrasse in requiem terræ repromissionis: & quia pauci intrauerunt in eam requiem quæ fuit in Palæstina, id est, duo tantum Caleph & Iosue, ex omnibus illis qui de Aegypto exierunt, hi, id est, sexaginta milia quibus prioribus annuntiatum est, non intrauerunt in eam, sed cadauera eorum prostrata sunt in deserto, *iterum terminat diem quendam hodie in Dauid dicendo* post tantum temporis, sicut supra dictum est: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Ordo verborum est: Post tantum temporis quo illi murmurauerunt & mortui sunt in deserto, terminauit, hoc est, statuit & definiuit spiritus sanctus iterum quendam diem: tempus videlicet noui testamenti: dicendo per Dauid Hodie: sicut supra dictum est: vbi Apostolus ex persona prophetæ locutus est. Hodie si vocé eius audieritis, &c. quasi diceret aliis verbis: O Iudæi conciues mei, nolite putare quòd istud q̃ Dauid dixit: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra: ad illud tempus pertineat, quo illi murmurauerunt in deserto: vel quòd causa salutis illorum dixerit, qui iam mortui erant: quoniam ad aliud tempus pertinet, ad tempus videlicet noui testamenti. A die enim murmurationis eorum in deserto, multũ tempus est vsque ad Dauid, & vsq; ad nos, quibus Dauid ista præloquebatur. Considerandúmque simul, diem pro tempore dominici aduentus

Gene. 2.

nouiq; testamenti accipiendū: & quod dicit in Dauid, tale est quasi per Dauid. Mutauit enim præpositionē more solito. Potest & ita intelligi quod dicit, Terminat diem quenterito tempori, quod fuit à die murmurationis illorum, & dat initium alteri tempori, dicendo per Dauid Hodie &c. Sequitur: *Nam si eis Iesus* filius Naue ductor populi Israelitici, *præstitisset requiem*, subaudis veram *nunquam de alia requie loqueretur* Dauid. *posthac, die.* i. deinceps, postquā illam adepti essent. Hic ostendit tertiam quandam requiem de qua Dauid dixit, Hodie &c. non illam significans, ad quam Iesus filius Naue populum introduxit, sed aliam quandā multo excellentiorem, ad quam nō typicus Iesus, sed verus introducit quotidie eos qui sunt eius. Si enim Iesus filius Nauæ veram præstitisset requiem populo, cuius ductor extitit, nequaquam de alia requie loqueretur Dauid postea. Certum est enim quia futurum est quosdam accipere quæ per illam significata est quæ fuit in Palestina, *Itaque* subaudis quia Iesus filius Naue non præstitit veram requiem populo cui præerat, *relinquitur.* i. reseruatur in futurum *sabbatismus populo dei*. Veram requiem patriæ cælestis, sabbatismū vocat, alludens ad nomen, quoniam Iudæi requiem sabbatismum dicebant. Requies ergo cælestis sabbati, populo dei credenti veraciter reseruatur in futurum, vita scilicet æterna, quæ præcellit sabbatū legis: quoniā in illo requiescebant tantùm corpora, in ista autem animæ populi dei. Vnde sequitur, *Qui enim ingressus est in requiem ipsius*, hoc est, dei omnipotentis, quæ est vita æterna *etiam ipse requieuit ab operibus suis.* terrenis, omnibúsque laboribus *sicut à suis deus* requieuit die septima. Requies dei, perfectio operum illius intelligenda est, videlicet dum sexto die finita primordiali rerum creatione, in septimo cessauit à creatione nouarum rerum. Per illam verò requiem Dei, quę nó est æterna, studiosè prouocat nos vt ad requiē æternæ beatitudinis illā, quā sabbatismū appellat, totis nisibus anhelemus. Quisquis ergo istud dei sabbatum intrauerit, requiescet perpetuo ab omni labore & opere, sicut deus requieuit à creatione nouarum rerum. *Festinemus ergo ingredi in illam requiem, vt ne idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.* Magna quidem res & salutaris est fides, quoniam sine hac non

non est saluari possibile alicui, sicut scriptum est, Sine fide impossibile est placere deo. Quisquis deo non credit, non saluatur, sed ad salutem non sufficit sola fides, necessarium est etenim cooperari per dilectionem fidei, & conuersari dignè deo, quia fides sine operibus mortua est. Proinde Apostolus considerans fœlicitatem perpetuæ vitæ, hortatur dicens, Festinemus fide recta, operatione sancta introire in illam requiem patriæ cælestis nobis promissam, ne aliquis nostrum incidat in idipsum incredulitatis exemplum & desperationis, in quod illi ceciderūt. Festinemus, inquit, quoniam non sufficit sola fides, sed debet addi & vita fidei condigna. Sufficienter enim exemplo parentum nostrorū docemur, ne in idipsum infidelitatis exemplum incidētes, in quod illi ceciderunt, talia patiamur, qualia illi passi sunt.

Viuus enim est sermo dei, & efficax & penetrabilior omni gladio anapiti. Apostolo dicente & hortante, festinemus ingredi in requiem patriæ cælestis, fide & operatione, ne aliquis nostrum incidat in idipsum infidelitatis exemplum, in quod illi ceciderunt, & eueniant nobis talia qualia illis euenerunt, qui prostrati sunt in deserto. Poterant illi Iudei respondere: Nequaquam nobis talia euenient, quia nō habemus prophetas & iudices, per quorum ora nobis loquatur dominus, sicut illi habuerunt: ideo quicquid egerimus, excusabiles erimus. Ad hæc Apostolus volens ostendere eundem habere nos iudicem, quem illi habuerunt, qui illos propter incredulitatem damnauit, dixit: Non est ita. Viuus est enim sermo dei & efficax. Sermo dei patris & verbum filius est, qui potentialiter interfecit illa sexcenta milia in deserto ob infidelitatem, quia ei noluerunt credere. Hic est sermo qui nunquam moritur, sed semper idē manet, iuxta quod Psal. dicit: Tu autē idem ipse es, & anni tui, id est, anni æternitatis tuæ non deficient. Hic est sermo qui de seipso dicit: Si quis sermonem meum seruauerit, mortē non videbit in æternum. Si enim illi istum sermonem dei seruassent rectè credendo, & bene viuendo, viuerent vtiq; temporali & æterna vita. terrámque repromissionis intrarent. Similiter & nos si seruauerimus sermonē eius, viuemus, requiēq; cælestē intrabimus. Iste sermo dei patris, qui semper viuit eū deo patre, & per quē pater omnia iudicat, efficax est, hoc est, ad operādū facilis, quia sine labore ope-

ratur. Ipse enim dixit, & facta sunt: & omnia quæ ipse voluit, fecit. Penetrabilior quoque est omni gladio ancipiti, hoc est, ex vtraq; parte acuto: quia gladius materialis vtraque parte acutus, mébra quidé diuidere potest à corpore, & penetrare secreta carnis, adeo vt animá à corpore faciat exire, ipsumque corpus in morté redigat, sed tamen ipsam nõ potest diuidere minuatim, neq; secreta eius penetrare. Vnde dominꝰ dicit: Nolite timere eos qui occidũt corpus, quia animam non possunt occidere. Sequitur *pertingens idé sermo dei vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.* Anima viuimus, spiritu, id est rationabilitate intelligimus. Vita nobis carnalis cum bestiis cõmunis, ratio spiritalis cũ angelis. Et sunt quædã peccata quæ pertinent specialius ad corpꝰ quã ad spiritũ, vt est homicidiũ, fornicatio, adulteriũ, furtũ, sacrilegiũ, & cætera talia, quæ actu corporis perpetrãtur. Iterũ sunt alia quæ pertinent specialius ad spiritũ quã ad corpus, vt est odiũ, ira, dolositas, inuidia, cæteráque huiusmodi quæ sine actu corporis cõstant. Et quia corpus anima viuificatur, nõ incongruè per animá possumus intelligere peccata corporalia: per spiritũ verò peccata spiritalia, quæ in secreto métis versantur. Iterũ per cõpages debemus intelligere cogitationes quæ sibi inuicem cõpaginantur & coniunguntur, dũ vna alterã subsequitur: per medullas verò subtiles intétiones: & hoc est quod subiungit, discretor cogitationum & intentionũ cordis, cogitationes referens ad compages, intentiones ad medullas. ita autem iungendus est iste versiculus: viuus sermo dei est efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingés vsque ad diuisionem animæ & diuisionẽ spiritus, & pertingens vsque ad diuisionem cõpagũ & diuisionẽ medullarũ, & discretor est cogitationum & intentionum cordis. Sermo ergo dei patris intantum est efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, vt discernat inter opera carnis & opera spiritus, inter carnalia peccata & spiritalia, inter cogitationes bonas & malas, siue intentiones bonas vel malas. Potest etenim cogitatio vtcunque bona esse, & intentio mala: verbi gratia, vt sub comparatione loquamur. Est quædam vidua, cuius possessio hæreditaria à fortiore inuaditur, accedens autem ad iudicem legisque doctorem, deprecã-

precatur quatenus suscipiat eius causam, sitq; ei in auxiliũ, quatenus obtinere hæreditaté sibi abstractã possit promittens ei aut centũ solidos, aut etiã non modicá partẽ hæreditatis eiusdé. Qui iudex ingrediés ecclesiã dei, prosternit se in facié, orans & dicens: Deus æternæ, qui omnia iuste iudicas, & qui dixisti, iudicate pupillo, defendite viduã prębe mihi hodie auxiliũ, quatenus causam huius viduæ obtinere possim. Hæc dicens, cogitatio quidem & verba bona sunt, sed intétio nequam: quoniã nisi vidua aliquid promisisset quod ille speraret se accepturũ, nequaquã causam illius suscepisset. Hanc subtilitaté cogitationum & intentionum cordis discernit & diiudicat sermo dei, cõsiderans quo animo vel quo desiderio quisque seruiat in corde: tanquam penetrabilis est sermo dei, & eius intuitus, vt omnia nostra quæ agimus vel cogitamus, certius ab illo quã à nobisipsis cognoscãtur. Illũ ergo habeamus semper in testimoniũ actuum nostrorũ, cogitationũq; vel intétionũ nostrarũ, quẽ iudicẽ habituri sumus. Timeamus eius præsentiã, cuius sciẽtiam nullatenus effugere valemus. Vnde sequitur: *Non est vlla creatura inuisibilis in cõspectu eius* neq; angelica creatura, neq; humana inuisibilis est in cõspectu eius. *Omnia autẽ nuda*, id est, manifesta *& aperta sunt oculis eius*, hoc est, præsentiæ illius. Quomodo ergo potest illi aliqua res incognita esse, à quo omnia facta sunt? Nec mirum si totus vbique tota suam cognoscat creaturam. Hic maximè terruit Apostolus Iudæos, dicés. Omnia nuda & aperta esse oculis eius *ad quem nobu sermo*, Quis est ad quẽ nobis sermo? ad quem, nisi filiũ cui ipsi reddituri sumus rationem actuum nostrorum simúlque cogitationũ & intentionum. *habentes ergo pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum filium dei teneamus spei nostræ confessionem*, id est, fidem nominis eius. Paulùm in superioribus de diuinitate filij dei disserens dixit, omnia nuda esse & aperta oculis eius: nunc autem quia de carne loquitur, & de pontificatu illius disputat, qui semetipsum obtulit in ara crucis causa nostræ salutis. Ipse enim pontifex siue sacerdos, ipse & sacrificium. Pontifex namque dicitur eo quòd pontem & viam præbeat populo. Et ipse dominus viam rectitudinis nobis exhibuit, per quã ambulare debemus, dicens nobis. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Et pontẽ ad patriam cælestem peruenien- *Matth. 11.*

di præstitit sanguine passionis suæ,& per vndam baptismatis: vel quia ipse primus cælos penetrauit. Ergo Moyses dux populi,cui promissa est requies trãsitoria, nõ intrauit in requiẽ,quã sæpius populo promisit. Iste verò noster sacerdos melioris promissionis sponsor,faciés viã credẽtibus in se, primus intrauit in requiem,populo sibi credito promissam,vnde & magnũ pontificem eũ appellat, qui habet sempiternum sacerdotium,semper viuens ad interpellandũ pro nobis. Sic enim dixit de illo angelus ad Mariã: Hic erit magnus,& filius altissimi vocabitur,Ostẽdens etiã illum esse filiũ dei,dixit Iesum filium dei,quod nusquam de Moyse dicere voluit: sed potius eũ famulũ eius dixit. Sequitur: *Non enim habemus pontificem qui non possit compati* siue condolere *infirmitatibus nostris* Hoc est dicere: Non ignorat quæ nostra sunt: venit enim per viã humanæ conditionis per omnia sinẽ peccato. Quapropter nõ solũ per hoc quòd deus est,& omnia nouit,cognoscit infirmitatẽ fragilitatis nostræ,& potest misereri,verumetiam per hoc quòd homo est nostri particeps factꝰ in fragilitate carnis absq; peccato,& cognoscit & indulgere valet. Multi pontifices ignorant eos qui in tribulatione sunt constituti, neq; quæ sit tribulatio in quolibet. Impossibile est quippe afflictiones afflictorum scire,qui experimento afflictiones non habuit,& sensibiliter omnia nõ sustinuit. Põtifex autẽ noster competenter omnia sustinuit quæ fuerunt illata humanæ miseriæ post peccatum primi hominis,& tunc in interiora velamina ad thronũ paternæ maiestatis ascendit. Vnde & sequitur *Tentatũ autem* habemus pontificem *per omnia* tentaméta *pro similitudine* subaudis carnis peccati *absque peccato*: tentatus quidem est Christus multis modis per omnia tentamenta, sed non est superatus in tentationibus,quin potius probatus victor gloriosus extitit. Tentamenta autem quibus tentatur, sunt hæc,Esuries, sitis,tentatio diaboli,persecutio,plurimorũ sputa,accusationes,calumniæ,repulsio à propria gente,ad vltimum crucifixio. Tentatus est siquidẽ his modis pro similitudine carnis absque peccato. Sed cũ in veritate Christus verã carnẽ habuisset,quare dicit pro similitudine carnis absq; peccato illũ esse tentatũ? In hoc enim quia homo factus est,verã carnem habuit: in hoc verò quia peccati carnem non habuit,absque peccato similitudinem

similitudine carnis nostræ habuit,quæ est caro peccati. Nã peccatũ nõ fecit,nec inuẽtus est dolus in ore ipsius. Quòd si peccatũ habere potuisset, haberet vtique iã nõ similitudinẽ carnis peccati,sed proprietatem carnis peccati. Caro enim nostra,caro peccati est,quia cũ peccato cõcipimur,cũ peccato nascimur: illiꝰ autẽ caro non fuit caro peccati,sed munditiæ & castitatis atque innocentiæ,quia sine peccato natus est,cõceptũsque,& sine peccato ab hoc mũdo trãsiit, Quapropter nõ est tentatus in carne peccati,vt peccatum faceret,sed in similitudine carnis peccati,vt absq; peccato maneret. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur,& gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Quia pontificem habemus qui scit compati infirmitatibꝰ nostris,per hoc quod similia sustinuit,& potest adiuuare per hoc quòd deus est,quia iã penetrauit propria virtute altitudinẽ cælorũ,hortatur Apostolꝰ accedere nos ad thronũ eius cũ fiducia,& dicit: Adeamus mente & cõtẽplatione,per fidẽ quoq, bonis operibꝰ exornatã ad thronũ gratiæ,hoc est,ad sedẽ filij dei,qui nobis gratis datꝰ est à deo patre: & qui sedens in plenitudine paternæ maiestatis,gratis potest dimittere nobis peccata nostra. Gratia nãque dei filiꝰ illius appellatur,nobis gratis datꝰ,iuxta quod idẽ Aposto. in hac eadem epistola manifestat dicẽs: Gratia dei pro omnibus gustauit mortẽ. Et quare debeamus accedere ad thronũ eius fide & deuotione,subsequitur,inquiẽs: Vt misericordiã cõsequamur. i. remissionẽ peccatorum,& gratiã donorũ spũssancti,siue indulgentiã inueniamus in auxilio opportuno i. in præsenti seculo. Nũc enim opportunũ tẽpus est auxilij & misericordiæ ipsius,de quo idem Apost. alias dicit: Ecce nunc tempus acceptabile,ecce nũc dies salutis,& de quo propheta. Tẽpore,inquit,accepto exaudiui te. Cui enim in præsenti seculo misericordiam præstat,dimittẽdo ei peccata,& gratia donorũ spiritualiũ replet,illũ vtiq; in futuro regno secũ regnare promittit. Et quia põtifex noster est sedẽs in throno glotiæ paternæ,omnia tribuit quæ nobis ad salutẽ prouenire certissimũ est.

CAPVT V.

OMnis nanque pontifex ex hominibus assumptus,pro hominibus constituitur in his quæ pertinent ad deũ,vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui possit cõdolere his

qui ignorant & errat, quoniam & ipse circundatus est infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. In his verbis quæda ponit Apo. communia Christo & sacerdotibus legis, quædam vero altiora pertinentia proprie ad Christum, & iterum quædam humiliora pertinetia solũmodo ad sacerdotes veteris legis. Nã quod ait, omnis pontifex ex hominibus assumptus, sicut Aaron & Christus, pro hominibus constituitur in his quæ ad deũ pertinent, orando pro illorum salute: hoc commune est Christo & illis sacerdotibus. Pontificis enim officium est, inter deum stare & populum, & deum deprecari pro populi delictis. Hoc & Christus per hoc q & homo & deus est, fecit, seipsum offerens pro peccatis nostris, semper viuens ad interpelladũ deum patrem pro nobis. Semel quidẽ ex hominibus assumptus, semper pro hominibus interpellat. Iterũ quod dicit, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, ex parte commune est, & ex parte minime atque dissimile. Nã in hoc quòd Christus sacrificium obtulit pro populi delictis, quod & illi agebãt, quædam cõmunio est. sed in hoc quòd ille pro se non obtulit, sicut illi pro suis delictis hostias offerebant, iam non est cõmunio. In hoc quoq; dissimilitudo existit, quia illi irrationabilia offerebant sacrificia, boues, arietes, hircos, & cætera alia: Christus verò rationabile animal pro totius mundi salute obtulit, hoc est, seipsum, q est agn⁹ immaculat⁹, iuxta quod Ioan. dicit: Ecce agn⁹ dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Reliqua quę iã sequũtur, nõ sunt cõmunia. Et enim quod dicit: Qui possit condolere his qui ignorant & erant, hoc est, qui ignoranter peccãt & errant: quoniã & ipse circũdatus est infirmitate carnis, in qua tentari potuit per omnia pro similitudine carnis peccati absque peccato. Hic iã excellẽtia est pertinens ad Christum, de qua paulo superius plenius disseruimus. Per hoc enim quod similia passus est, potẽs est compati, & per hoc quòd deus est, in vtraq; substãtia potẽs est misereri. Quod verò adiunxit, & propterea debet quẽadmodũ pro populo, ita etiã pro semetipso offerre pro peccatis, hoc ad sacerdotes legales, siue nostri temporis magis pertinet quã ad Christũ, qui peccatũ nõ fecit. Põt & illud quod dixit, quoniã & ipse circũdat⁹ est infirmitate, referri ad sacerdotes legis, siue ad nostros, ita vt infirmitas accipiatur pro peccato, & quia ipsi circũdati sunt infirmitate carnis, hoc est peccato, indigẽt vt pro populo, ita & pro se offerre. His verbis ostẽdere voluit Ap. qd sit põtifex, & demõstrare quæ pertineãt ad põtificẽ, & quod sit ei⁹ ministeriũ, & quæ sint signa pontificat⁹, videlicet vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, sciens cõdolere his qui ignorãt & errãt. Ac deinde disputare aggressus est, quomodo quis ad sacerdotiũ accedere debeat: dicens *nec quisquam sumet sibi honorẽ sacerdotũ, sed qui vocatur à deo, tanquã Aarõ* subaudis vocatus est signo florentis virgæ, siue signo incẽdij illorũ qui eius põtificatui inuidẽtes, dignitatem sacerdotij affectando inuadere moliebãtur. His enim duobus signis ostẽsus, demõstratus est sacerdos à deo electus. Confundit autẽ ac percutit beatus Apostolus sacerdotes cupidos honoris, & sacerdotij aũidos, qui sponte immittunt se & ingerunt ad ministerium sacerdotale, non vocatione dei vel voluntate, sed potius interuentu munerum, quia non pro salute populi, sed pro ambitione seculi hoc agunt. *sic & Christus non semetipsum clarificauit vt pontifex fieret, sed ille qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Glorifico, honorifico, clarifico, tria quidem sunt verba, sed vnum sensum habentia, quod vno verbo græcè concluditur, dicendo, edoxase: vnde pro interpretum varietate aliter atque aliter in latino positum habetur, nam quod in euangelio euangelista dicit dominũ dixisse, Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est, hic Apost. clarificationẽ nomina uit. Christus ergo semetipsum non clarificauit i. nõ glorificauit, vt à semetipso pontifex fieret, pontificatúsq; honorẽ haberet, quia non erat à meipso. Et hoc est quod ipse in euãgelio dicit: Non veni à meipso, sed ille me misit & iterum. Ego gloriam meã nõ quæro, est qui glorificat me pater meus. Sicut ergo à seipso non venit, quia à seipso non erat, suãmque gloriã non quærebat, ita semetipsum nõ clarificauit, vt põtificatus honorẽ à seipso haberet, sed à patre clarificatus est, qui locut⁹ est ad eũ die baptismatis, dicens: Hic est fili⁹ meus dilectus, in quo mihi cõplacui. Quæ clarificatio siue glorificatio multò antè per prophetam spiritu sancto inspirate prædicta est, loquentẽ in persona filij dei, & dicẽte: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Et quia omnipotẽti Deo omnia futura, quasi iam

præterita autẽ præsentia sunt,quod ei post baptismũ dictu rus,erat quasi iã dictũ habebat.Quaproter merito præte rito tẽpore vsus est,inquiens:Dominus dixit ad me.No mine autẽ domini deũ patrẽ intelligere debemus.Et vt in Christo vnã personã esse credamus,adiecit:Ego hodie ge nui te:hoc est dicere,Ego semper & æternaliter manens semper te habeo filium coæternum mihi.Hodie nanq; ad uerbium est præsentis temporis,quod propriè deo compe tit.Sequitur. *Quemadmodũ & in alio loco dicit.Tu es sacerdos in æternumsecundum ordinem Melchisedech* Ex superiori ver siculo ista pendent,vbi dicit Apostolus,quia Christus non semetipsum clarificauit vt pontifex fieret, sed deus pater qui locutus est ei,Filius meus es tu,ipse clarificauit eũ,quẽ madmodum & in alio loco dicit ipse ad filiũ:Tu es sacer dos in æternum &c.Considerandũ autem Christum non esse sacerdotem secundum id quod genitus est à deo patre ante omnia secula,coæternus gignenti & consubstantia lis,verus deus manens apud patrem,sed secundũ hoc quòd natus est ex vtero virginali,in fine temporũ homo factus, necnon propter victimam quam pro nobis obtulit à nobis acceptam,carnem videlicet ac sanguinem suum.Sed quare secundum ordinẽ Melchisedech,& non secundũ ordinem Aaron dicatur existere sacerdos, diuersæ causæ existunt. Et prima quidem est,quia Melchisedech secundum legalia mandata non fuit sacerdos,sed secundum cuiusdam singu laris sacerdotij dignitatem,panem offerens deo & vinum, & non brutorum animalium sanguinem.In cuius ordine sacerdotij Christus factus est sacerdos,non temporalis,sed æternus:nec offerens victimas legales,sed instar illius,pa nem & vinum,carnem videlicet ac sanguinem suũ,de qui bus ipse dixit,Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.Ista quoque duo munera, panẽ videlicet & vinũ,cõmisit ecclesiæ suæ in memoriã sui offerenda.vnde patet sacrificium pecudũ periisse, quod fuit ordinis Aaron: & illud manere potius,quod fuit ordinis Melchiselech:qa & Christus illud corroborauit,& ecclesiæ suæ tenendum reliquit.Secunda autem causa est, quia Melchisedech rex & sacerdos fuit,vnctúsque fuit, non oleo visibili sicut sa cerdotes legis,sed oleo spirituſsancti.Et christus gemina dignitate insignitus manet.Nam quòd regiam dignitatẽ, possideat

possideat,ipse manifestat dum dicit, Ego autẽ constitutus sum rex ab eo.i.à deo patre. Et post resurrectionem suam quãdo dixit: Data est mihi omnis potestas in cælo & in ter ra,Psal.quoque dicit ad deũ patrẽ. Deus iudiciũ tuum regi da.Quòd verò sacerdos existat,satis patet,quontã seipsum obtulit in ara crucis pro nobis, & nunc interpellat deum patrem pro nostra salute.Quòd etiam vnctus sit,non oleo visibili,sed plenitudine spiritusſancti,Psalmista nobis in nuit,dicens ad ipsum:O deus, vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ præcõsortibus tuis,hoc est plenitudine spiritusſan cti.Tertia quoque causa est quare secundũ ordinẽ Melchi sedech, & non secundũ ordinẽ Aaron Christus dicatur sa cerdos, videlicet quia sicut de Melchisedech semel legitur in diuina scriptura, & de eius sacerdotio, ita Christus se mel semetipsum obtulit immolandũ pro nobis.Sequitur.

Qui in diebus carnis suæ,preces supplicationésque ad eum qui poſ ſet illum saluum facere à morte,cum clamore valido & lachrymis offerens,exauditus est pro sua reuerentia. Hoc nõ de Melchi sedech dicit Apostolus, sed de Christo, volens certius ex primere quid pontifex noster egisset in suo vero sacerdo tio. Quid est:In diebus carnis suæ:Hoc est, quandiu habi tauit in corpore mortali,preces supplicationésque cũ cla more valido & lachrymis offerens ad eum, hoc est ad deũ patrem.Dies carnis domini nostri,dies sunt in quibus car nem assumpsit,in quibus tentatus est & passus,& in quibus mortale corpus inhabitauit. Omnia autem quæ ipse egit in carne,preces supplicationésque fuerũt pro peccatis hu mani generis.Sacra verò sanguinis eius effusio,clamor fuit validus,in quo exauditus est à deo patre pro sua reuerẽtia, hoc est voluntaria obedientia, & perfectissima charitate. Nónne cũ lachrymis preces fundebat,dices. Tristis est a nima mea vsque ad mortẽ.&,Pater,si fieri potest, transfer calicẽ istum à me.Et quia voluntarie obediens fuit deo pa tri vsque ad mortẽ,exaudiuit illum deus pater,die tertia eũ suscitando:iuxta quod Psal.dicit:Nõ dabis sanctũ tuum vi dere corruptionẽ. Dicitur autẽ fudisse preces supplicatio nésque non timore mortis,quã sponte suscipiebat,sed po tius causa nostræ salutis, voluntatẽ paternæ dispensationis præposuit voluntati carnis suæ,vtverã ostenderet in seipso naturã humanitatis nostræ.Notandũ autẽ,quia reuerentia

secundum Casiodorum duplici modo accipitur. Aliquãdo pro amore, aliquãdo pro timore hicverò pro summa ponitur charitate, qua filius dei nos dilexit, & pro summa obedientia qua fuit obediens patri vsq; ad mortẽ. *Et quidẽ cum esset filius dei, didicit ex his quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech.* Cum esset, inquit, filius dei in veritate, didicit obedientiam ex his opprobriis & tormentis quæ passus est. hanc voluntariam iam exhibuit patri obedientiam, expertus illam ex parte humanitatis. Hanc obedientiam quam hic didicisse dicit Apostolus filium dei, hoc est voluntarie susceptisse, alio loco ostendit, vbi dicit: Cum in forma dei esset, semetipsum exinaniuit, formã serui accipiens, factúsque obediens patri vsq; ad mortẽ. In eo verò quod ait, Et cõsummatus. i. perfectus in sacerdotio omniq; obediẽtiã factus est omnibus obtẽperantibus sibi causa salutis æternæ, ostẽdit quãtum lucrũ sit eius passio, eius obediẽtia, quæ omnibus credentibus sufficit ad saluté æternam. Sequitur. *De quo*, id est non de Melchisedech, sed de Christo *grãdis nobis sermo & interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Illa difficultas interpretandi sermonem quem de filio incarnato instituit, non fuit in eius ignorantia cui reuelata sunt mysteria à seculis abscondita, sed potius in illorum tarditate, qui imbecilles, i. infirmi in fide & fragiles sensu ad intelligendum profunda mysteria fuerũt, qui etiã pro tẽpore magistri debuerãt esse, vnde & ipse reddit causam dicens, Quoniam imbecilles facti estis ad audiendum ac deinde subiungit: *Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus* subaudis quo penè ab initio legem habuistis & prophetas: *rursum indigetis vt doceamini* à me aliisque Apostolis *quæ sint elementa exordij sermonum dei, & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Ad eos loquitur qui diu morantes in lege, exercitatũ sensum debuerãt habere de adiutẽtu Christi perdicta legis & prophetarũ: per gratiã quoque quæ per eũ credentibus allata est. Qui certe eũ debuissent magistri esse gentiliũ propter tẽpus præteritũ, in quo omnia superius memorata habuerũt, rursum indigebãt vt docerẽtur ab illo cæterisq; Apostolis quę sint elementa sermonũ dei. Elementa dicuntur quasi eleméta, eo quòd ex ipsis

ipsis cætera originem sumant, initia videlicet & fundamẽta creaturarum. A quibusdam etiam dicuntur eliméta per, id est quasi, fabricaméta, ab eo quod est elimo elimas, quasi ex eis fabricata sunt omnia. Hic autẽ elimenta siue eleméta duobus modis possumus intelligere. i. vt ipsos characteres & pronũtiationes literarũ, à quibus exordiũ sumunt sermones: vel certe ipsa initia & fundamenta fidei. Quasi diceret. Hoc indigetis vt doceamini, quæ sint elementa literarum, vel initia fidei, cum deberetis profunditatem mysteriorum intelligendo scrutari, & perfecti esse in fide. Facti estis, inquit, quasi infantes, quibus lacte opus sit. i. simplici & rudi doctrina, nõ solido cibo. i. perfecta doctrina, profundisque sermonibus vel mysteriis. B. Apo. hãc habet consuetudinẽ, vt simplicé doctrinã lactis nomine designet, perfectam autẽ solidum cibum appellet. vnde dicit Corinthiis adhuc minus perfectis: Lac vobis potum dedi, non escam, quia necdum potestis capere. Lac ergo simplicis doctrinę est incarnatio filij dei, passio, mors, resurrectio illius, ascensio in cælos. Solidus verò cibus perfecti sermonis, est mysterium trinitatis, quomodo filius coæternus sit patri, quomodo spiritussanctus procedat ab vtroq;, & quomodo tres sint in personis, & vnus in substãtia deitatis. Sed qui nõ potest intelligere quod Euãgelista ait, Verbũ caro factũ est: quomodo poterit ad altitudinẽ sermonis eius peruenire, vbi ait. In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum? Sequitur. *Omnis enim qui lactis est particeps*, id est simplicis tantum doctrinæ *expers est sermonis iustitiæ* hoc est, alienus est à discretione perfectæ iustitiæ, quia nõdum potest penetrare arcana mysteriorũ, nec scit ita vt expedit, discretionem facere inter bonum & malum: redditque causam quare. *Paruulus est enim*, subaudis sensu & intellectu. *Perfectorum autem* hominum *est solidus cibus*, id est, qui perfectos habent sensus, illorũ est alta & obscura sentire mysteria de diuinitate omnipotentis dei. vnde & sequitur *Eorum* dico esse solidum cibum *qui pro consuetudine* lectionis *exercitatos habẽt sensus* hoc est studiis literarum extensos, *ad discretionem boni ac mali*, nec nõ ad discretionem veritatis ac hæreticæ prauitatis. Sicut enim paruulus inter cibum & cibum discernere nescit, & sæpe in noxiis sumendis cibis periclitatur si non prohi-

beatur à seniore:ita indoctus quisq; qui discretionē doctrinarum nescit,facilè decipitur, atque in via erroris periclitatur. Quapropter dicit,quia omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ. quod enim in lacte & solido cibo,hoc in indocto & sapiente differt. Sicut lac paruulis cōgruit, & solidus cibus ętate perfectis,ita indoctis humilis sermo,& sapientibus arcanum mysterium nosse conuenit, qui exercitatos habent sensus studio lectionis. Ex usu quidem lectionis & frequēti meditatione diuinarum scripturarum,efficiuntur sensus nostri exercitati & extensi ad maiora intelligenda,vnde Psalmista beatum esse virum dicit, qui in lege domini meditatur die ac nocte.

CAPVT VI.

Vapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem,ad perfectiora feramur quapropter,quia exercitatos sensus decet nos habere in lege domini, intermittētes sermonē inchoationis Christi,ad profunda & alta mysteria deitatis eius ducamur. Sermonē inchoationis Christi vocat initium fidei,institutionem videlicet de natiuitate Christi humana, de passione, de resurrectione atque ascensione eius,& gratia baptismatis. Sicut enim eū qui literis est imbuendus,elementa literarū oportet primum audire:sic & Christianus debet his instrui primo omnium, & post modum ad mysteria diuinitatis venire *non rursum iacentes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei* fundamentum subaudis non rursum iaciētes *ad deum*. Fundamentum pœnitentiæ vocat vnde primum instrui debet qui baptizandus est, si tamen ad ætatē intelligibilem peruenit,hoc est, vt credat dominum Iesum Christū genitum ex deo patre ante omnia secula,natum de maria virgine in fine temporū pro salute generis humani sine semine viri, passum,mortuum,resurrexisse tertia die,ascēdisse ad cælos, venturum ad iudiciū vt reddat vnicuiq; secundū opera sua, resurrectionē corporum, & immutabilitatem animarum, bonos in gloria,malos in pœnis manere,omnipotentē deū trinitatem habere in personis,vnitatē in substantia. Postq̄ ista omnia confessus fuerit se credere, debet cōfiteri peccata sua,sicq; iniungenda est ei pœnitentia aut 40.aut 20 aut 7.dierum,sicut in passionibus sanctorū legimus,ac deinde debet baptizari, abrenuntians diabolo & omnibus pōpis eius,

eius,omnibúsque operibus eius. Baptizatus verò debet plenius instrui de diuinitate, vt credat patrem ingenitum, filiúmque genitum, spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum, sed ab vtroque procedentem: de regula quoque viuendi secundū doctrinam euangelicā atque apostolicā, qua debeat agere bona, & vitare mala. Quia ergo Iudæi quibus Apost.ita scribebat iā baptizati erāt, iamq; fundamentū superius descriptū perceperāt, hortatur illos ad ista maiora tendere, & opus nō esse vt iterum illud fundamentum pœnitentiæ & fidei ad deum iaciatur in illis. Idcirco autem fundamentum pœnitētiæ id vocat, quia sicut dictū est, baptizādis pœnitētia prius iniūgebatur. Vnde in Acti. Apo.B.Petrus dicit Iudæis ad fidem concurrentibus: Pœnitentiam agite,& baptizetur vnusquisque vestrum. Fundamentum quoque fidei ad deū est, quia fides qua accedimus ad deum,fundamentum est omnium virtutum. Nō debet esse,inquit, necesse vt iterum iaciamus fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis,& fundamentū fidei, per quam acceditur ad deum quod in vobis iactū est antequā ad baptismi gratiā venissetis. Pœnitentiā ab operibus mortuis agere,est ipsa opera mala per pœnitētiā delere quę animam mortificabāt. Opera nāq; mortis sunt peccata. Nā sicut anima viuificatur fide aliisq; virtutibus, ita infidelitate moritur & peccatis. Sequitur. *Non rursum iacientes fundamētum* baptismatum doctrinæ. Fundamentum baptismatum doctrinæ est institutio & doctrina baptismatis, videlicet quid contineat in se baptismus, & quid conferat ac fidem accedentibus. Sed quod dixit plurali numero baptismatum fundamentum,pro varietate accipientium posuit nō quòd plura baptismata debeant intelligi, sed vnum: quia sicut vnus est deus, & vna est fides.ita vnū baptisma *impositionis manuū* fundamentū nō debemus rursus iacere. Impositionē manuū appellat confirmationē, per quā plenissime creditur accipēdus spiritussanctus,quod post baptismū ad cōfirmationē vnitatis in ecclesia à pōtificibus fieri solet. His igitur perfecte in ecclesia perceptis, fides resurrectiōis & iudicij futuri habenda est,vnde subiūgit Apo.dicēs *ac resurrectionis mortuorū,& iudicij æterni* fundamētū nō debetis iacere iterū vt instruamini de fide generalis resurrectionis & iudicij quod dabitur iustis pariter & iustis, quasi iā nō sitis

de his instructi. Notandũq; ad omnia semper subaudiẽdũ esse, & non rursum iacentes fundamentũ. *Et hoc faciemus si quidem permiserit deus* hoc est, & ad maiora vos ducemus, & de his omnibus quę enumerauimus, plenissime docebimus vos, vt non sit iterũ necesse ex toto & à capite ponere fundamentum. Ne verò vllatenus quis secundum vel tertium existimaret post peccata fieri baptismum, mox subintulit dicens: *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati* subaudis, per gratiam sancti spiritus in baptismate fidei *gustauerunt etiam donum cæleste* hoc est remissionem peccatorum perceperunt in baptismate, siue cõmunicauerunt corpori & sanguini domini post baptismum *& participes facti sunt spiritus sancti* in distributione scilicet donorum *gustauerunt nihilominus bonum dei verbum* .i. doctrinam euangelicam intel lexerunt *virtutesque seculi venturi*, id est glorificationẽ resurrectionis, vitámque futuram *& prolapsi sunt* à fide Christi, negãdo illum, aut etiam ad criminalia peccata prolapsi *renouari iterum ad pœnitentiam* hoc est, nouos fieri per pœnitentiam, subaudis à superioribus, impossibile est. Impossi bile est, inquit, iterum renouari posse eos per pœnitentiã & per baptismum, qui postquam omnia quæ superius memorata sunt perceperunt, prolapsi sunt ad immunditiam criminalium peccatorum, aut etiã ad infidelitatem. Non di xit difficile est, sed impossibile. Quod enim difficile est, vt cunque potest agi. Impossibile verò est, quod nullo modo fieri potest. Quid ergo? Excluſa est pœnitentia post baptismum, & venia delictorum? Absit. Duo siquidem genera sunt pœnitentiæ, vnum quidem ante baptismum, quod & præparatio baptismi potest appellari de quo superius diximus, quia iniũgitur illis qui instruuntur antequam ad baptismũ perueniant, quod B. Apostolus hic excludit, dicens nõ posse iterũ renouari per pœnitentiam, quatenus pœnitẽtia peracta iterũ baptizentur: Alterum autẽ genus pœnitentiæ est quo post baptismũ delentur peccata, quam *Roma.6.* B. Apost. minime excludit. Terret ergo oẽs vt timeãt post baptismi gratiã grauioribus peccatis se implicare, quia nõ potest fieri secũda vice renouatio per lauacrũ baptismatis. Nã sicut Christus semel mortuus, & semel resurgens, iam non moritur: ita semel gratia baptismatis agẽda est, nec po test iterari, nisi dubium fuerit, vtrumnam quis captus ab hostibus

hostibus sit baptizatus. Renouari autẽ dixit nouum fieri. Nouũ autẽ fieri hominẽ sacri baptismatis est, de quo pro- *Psal.16.* pheta dicit Renouabitur vt aquilę iuuentus tua. Impossibile est inquam iterum renouari posse aliquẽ per pœnitentiã quæsit ante baptismũ ad hoc vt iterũ baptizetur pœnitentia expleta, qui ea quæ supra cõmemorata sunt perceperunt virtutésq; seculi venturi gustauerunt. Quod dicit, gustauerunt virtutes seculi venturi, tale est ac si diceret. Si cognouerunt quòd in resurrectione vẽtori seculi sunt electi sicut angeli dei in cælo: & quòd iusti fulgebũt sicut sol in regno patris eorũ: nullo modo possunt iterum ita renouari per pœnitentiã, & per baptismũ iteratũ si peccauerit crimi-le peccatũ, sicut in primo & baptismate noui effecti sunt. Erãt enim qui volebant baptismũ iterare, dicẽtes, *Mat.13.* Quicquid peccauero, nõ est mihi curæ, quoniã præcipiam me baptizare rursus, & renouabor totus sicut prius. Quod Apostolus denegat ex toto nullo modo posse fieri. Et quia virtus baptismatis in cruce & sepultura Christi maxime cõstat proinde subiũxit: *Rursum crucifigentes sibimetipsis filiũ dei, & ostẽtui habentes.* Tamẽ nõ ideo denegatur pœnitẽtia: quia licet nõ renouẽtur in baptismate, iterũ tamen indulgentiã valebũt accipere per cõfessionẽ peccatorũ, per humilitatẽ, per pœnitentiã, per eleemosynã si habetur facultas, & si dimiserint fratribus in se peccantibus. Qui iterum baptizari volunt, quantũ in se est, Christum quoq; iterum crucifigere volunt, & derisioni habere, hoc est, enim illum ostentui habere. Sed nõ potest fieri, quoniã sicut Christus semel mortuus est in carne in cruce, ita & nos semel mori possumus in baptismate peccato. *Terra enim sæpe super se venientem bibens imbrem, & generãs herbam opportunã illis à quibus colitur, accipit benedictionẽ à deo* Hoc paradigmate arguit Iudeos qui sæpe biberũt imbrẽ cœlestis doctrinæ, sed nunquã germina fidei bonorũq; operũ protulerũt. Ponit aũt primũ cõparationẽ de bona terra, ac deinde de mala. Terra, inquit, bibẽs imbrẽ, id est sanctæ & bonę volũtatis anima accipiẽs gratiã spiritus sancti, imbrẽq; diuinorũ eloquiorũ, & generãs herbã opportunã, hoc est, virtutes bonas, fidẽq; perfectã proferens suis prædicatoribus, à quibus excolitur, siue sibimetipsi, accipit benedictionẽ vitæ æternæ, vel abundantiã virtutũ, & refert fructus triceſimos, sexa-

gesimos,paritérq; centesimos. Nihil enim opportunius fide perfecta fideliū dei cū vita optima. Proferés ergo Apostolus hoc exéplum de anima florente in virtutibus, deiq; benedictione digna, mox subiūxit aliud paradigmi de illa quæ suam negligit salutem, dum frequéter imbrem cælestis doctrinæ polsit suscipere *proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledictioni proxima.* Per spinas ac tribulos punctiones peccatorum possumus intelligere, quibus
Gene. 3. pungitur anima, de quibus dominus dixit Adæ: Terra tua spinas ac tribulos germinabit tibi, id est, caro tua punctiones peccatorum & aculeos vitiorum proferet tibi. Siue per spinas & tribulos, curas superfluas, solicitudiné quæ istius seculi debemus accipere, de quibus dominus in euangelio dicit: Curæ istius seculi & solicitudines diuitiarum suffocant verbum, ita vt infructuosum reddatur. Anim. igitur proferens punctiones peccatorum, curis que seculi & solicitudinibus diuitiarum occupata, reproba est: hoc est, laude indigna, & maledictioni proxima. Notandum que quia nō dixit maledicta est, sed maledictioni proxima. Quandiu enim reseruatur ad pœnitentiam, quasi non est maledicta. sin vero pœnitentiam noluerit agere, iam maledicta erit, Vnde & sequitur *cuius consummatio*, id est, finis illius animæ in prauo opere & perseuerantia in malo vsque ad exitum vitæ *in combustionem* subaudis ignis æterni, *erit* quasi diceret: Non quidem quandiu spatium pœnitendi habet, maledictioni proxima est: sed si permanserit in iniquitate sua, combustioni æterni supplicij subiacebit. Hæc enim cōbustio nō erit nisi his qui vsq; in finé vitæ suæ permanserint in peccatis suis: quia in quacūq; die cōuersus fuerit peccator, vita viuet, & nō morietur. Postquā sufficiéter is crepauit eos, terruit ac perculsit, blandiēdo iterū alloquitur eos, ne desperatos redderet: sed tamé neq; in omnibus adulatur, neq; in omnibus percutit. Dicit ergo *Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora & viciniora saluti, tametsi ita loquamur.* Quia non habuit vnde eos ad præsens laudaret, laudat eos de spe futurorū quā habebat de illis: quasi diceret: Nō dicimus hoc veluti putantes vos spinis plenos, sed timétes ne tales efficiamini. Melius est enim vos verbis terreri, quā de rebus doleatis. Optima quæq; opera de vobis cōfidimus, vestræq; saluti proficua: quamuis ita loquamur.

Nam

Nam quod superius diximus de reproba terra & combustionibus proxima, non de vobis hoc diximus, quia meliora de vobis credim⁹. Reduxit quoq; eis præterita bona opera illorū in memoriā: & quatenus ex præteritis posset adducere ad bona quæq;, ideo subiunxit. *Non enim iniustus est deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine eius, qui ministratis sanctis & ministratis.* Ecce quomodo recreauit animos eorum & reformauit: præterita bona opera ad mentē reuocās quia in omnipotentē deū obliuio nō cadit, ideo nō obliuiscitur operū & laborū fideliū suorū: & in hoc est iustus, quia remunerat electos suos pro se laborātes. Si enim obliuisceretur operum illorum, nec eos remuneraret, vtcūq; iniustus putaretur, quod omnino nefas est dicere. Vnde Apo. dicit, Nō iniustus est deus, vt obliuiscatur operis laboris q; vestri & dilectionis quā ostēdistis pro amore nominis eius in inuicē, & in omnes, qui ministratis sanctis, & adhuc secūdū vestrū posse ministratis. De illis sanctis dicit, qui veniētes ad fidē Christi, expoliati sunt ab aliis Iudæis, quos laudat in hac epistola, dicens: Rapinā bonorū vestrorū cum gaudio suscepistis. & de quibus Isaias lōge ante prædixerat: Et qui recessit inquiens, à malo, Iudæorū prædæ patuit. Istis talib⁹ expoliatis, qui nō fuerant expoliati, prout poterant ministrabant. Quale vero quātúmue desiderium haberet de salute eorū, sequentibus verbis ex parte exprimit, dicens *Cupimus autem vnumquēque vestrū eandem ostendere solicitudinem* subaudis, quā retro habuistis *ad expletionem spei vsque in finē* vitæ vestrā, siue diēi iudicij *vt nō segnes efficiamini* hoc est pigri & desides in bono opere, & in mādatis dei perficiendis. Desideramus, inquit, vos nō tantū circa verba, sed etiā in virtutibus cōuersari, non quasi præterita opera vestra culpantes, sed vt de futuris soliciti sitis admonentes, hoc est, quales fuistis primū, tales cupimus & modo esse & in futurū. Et non dixit volo, quod est autoritatis diuinæ, sed quod erat paternæ dilectionis, hoc est, cupimus vnūquemq; vestrum eandem erga fratres semper ostēdere dilectionem, quam olim habuistis ad completionē spei in æternam resurrectionē, Expletio enim spei, est adeptio rerū quas nos cōsecuturos speramus *verum imitatores eorum* subaudis, cupimus vos esse *qui fide & patientia hæreditabūt promissiones.* Hortatur iterum

eos vt fide non ficta & patientia perfecta, expectent promissiones dei, & hæreditatem quam sanctis suis promisit. Quod dupliciter accipi potest: scilicet vt referatur ad patriarchas & sanctos veteris testaméti, qui multas promissiones acceperunt de Christo, & de hæreditate terræ repromissionis. Qui fidem habentes perfectam, qua crediderunt deum implere posse quæ promisit: & patientiam solidissimam, qua non in se, sed filiis suis promissiones expectauerunt implendas, meruerunt amici dei esse, & in filiis suis easdem promissiones hęreditare. Potest & ad Apostolos aliósq; sanctos referri, qui per fidem & patientiá meruerunt consequi, & hæreditare promissiones æternæ benedictionis à domino sibi omnibúsq; fidelibus promissas. *Abrahæ nanque promittens deus, quoniam neminẽ habuit maiorem per quem iuraret, iurauit per semetipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te.* Vt firmius corroboraret ea quæ superius dixerat de sanctis quos hæreditabant promissiones dei fide & patientia: idcirco vtitur exemplis. Sed mira est sapientia eius. Aliquando enim laudibus extollendo blanditur eis, aliquando terroribus terret. Nam in superioribus terret eos ne infideles essent, & minus creduli promissionibus dei: nunc autem exeplis hortatur ad patientiam & fidem, vt indubitanter credant, nõ solũ deo dicente, verumetiá iurante per semetipsum. Si promittente deo iniquũ est non credere, quàm impium est deo iurante fidem non accõmodare? Iurauit autẽ deus pater Abrahæ per semetipsum, quia neminẽ habuit maiorem per quẽ iuraret, dicẽs: Nisi benedicẽs benedicã te, &c. Repetitio verbi, cõfirmatio est rei. Nisi in hoc loco affirmatiue ponitur pro certe siue pro quia, & est sensus, Certe semper benedicã te in filiis tuis, semperq; multiplicabo te & *sic longanimiter ferens adeptus est repromissionẽ* hoc est, diu per patientiá credendo sustinens cõsecutus est promissionẽ in filiis suis de terra repromissionis, quam ei promisit, dicẽs: Terrã hãc tibi dabo & filiis tuis. & insuper promissionẽ de Christo, de quo ait, In semine tuo benedicentur oẽs gẽtes. Sequitur, *Homines enim per maiorẽ sui iurant, & omnis cõtrouersiæ eorũ finis ad cõfirmationem est iuramentum* quasi diceret: Si hominibus in futurum creditur de quibus per prophetã dicitur, omnis homo mendax: quãto magis dei iuramento credi

Gene. 13.
Gene. 22.

teredi debet, qui est veritas, & qui nec falli potest nec mẽtiri: & cui insuper sine iuramento credi oportet? Homines, inquit, per maiorẽ sui iurãt, hoc est, per deũ, qui est eorum creator. Iuramentũ quoq; est finis omnis cõtentionis eorũ ad cõfirmationẽ, quia per iuramẽtũ credẽdum est, nec debet postmodũ querela fieri iuramẽto cõpleto, sed finis cõtentionis debet esse iuramẽtum sub confirmatione. *In quo* subaudis iuramento, vel propterea quia confirmatio rei, iuramentum est: *volens deus ostendere abundantius immobilitatem consilij sui hæredibus pollicitationis*, id est, patribus siue promissionis hæredibus. *Interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est deum mentiri, fortissimum solatium habeamus*, id est, firmiter illi credamus *qui confugimus credendo ad tenendam propositam spem.* Hoc est, ad accipiendã promissam remissionem vel remunerationem. Duas res immobiles hic debemus accipere promissionem dei de Christo, qua dixit: In semine tuo benedicentur omnes gentes, & iusiurandum illius quod dixit, Per memetipsum iurauí tibi. Promissio enim illius est immobilis, quia non potuit mutari, & iuramentum illius veridicum est. Quidam enim rem immobilem, vnam intelligi volunt promissionem, & iuramentum illius: alteram autem completionẽ ipsius rei. Propositam vero spem, dicit veritatem rerũ gestarum, promissionem videlicet patriæ cœlestis, ad quam percipiendam confugimus per fidem *quam* spem *sicut ancoram habemus animæ tutã ac firmam* Sicut ancora proiecta à naui non permittit eam circunferri neque periclitari, licet venti cõmoueant eam, sed iactata firmiter tenet nauem inter procellas & fluctus: ita fides spe futurorum bonorum roborata, firmat mentẽ nostram inter prospera huius seculi & aduersa, & introducit nos in spem rerum, quã modo fide & spe tenemus. Ideóq; addit Apost. dicens. *& incendentẽ vsque ad interiora velaminis.* Interiora velaminis vocat secreta regni cælorum, & gaudia patriæ cælestis. Velum enim quod erat ante sancta sanctorum, significat cælum. Quæ vero erant intra velum, secreta sunt regni cælorũ. Spes autẽ interiora velaminis penetrat, dũ per mentis contẽplationẽ futura bona cõspicit, dũ cælestia præmia absq; vlla dubitatione credit sibi prouenire, sperat, amat, operibúsq; ostẽdit quòd credat, & quod speret. Si hanc spem nõ habueri-

Ibidem.

Psal. 4.

mus,vtique submergeremur,nō tantū in spiritalibus,verū etiam in carnalibus, sicut submergitur nauis non habens iactatam ancorā.Sed si vt ci prophetæ obaudierimus dicēti,Iacta super dominū curā tuā,& ipse te enutriet:tūc nostra spes fixa in interiora velaminis,nulla infidelitate mergi poterit.Sequitur *vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus,ſ ōtifex factus* & constitutus à deo pater *in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Vt firmiorem nobis spē adderet,ideo hoc de Christo subiunxit.Præcursor autem dicitur à præeundo & præcurrēdo,& est alicuius præcursor,sicut Ioannes Christi.Cōsiderandū autem quia non dicit simpliciter, Introiuit Iesus in interiora velaminis,sed cum additamēto,dicens:Vbi præcursor pro nobis introiuit, veluti absq; dubio nos oporteat prosequi præcursorem nostrū,Precursorem verò & cōsequentes,in eadē via esse cōuenit.Christus itaque resurgēs à mortuis,præcurrit nos ad altitudinē cælorum,factúsq; est nobis præcursor,aperiēdo nobis cælum,& gaudia patriæ cælestis reddendo.Si ergo volumus subsequi præcursorem nostrum, debemus sicut ille, & ipsi ambulare.Hoc autem ad naturam humanitatis filij dei refertur,in qua semetipsum obtulit deo patri in ara crucis sacrificiū salutis nostræ.Quare Christ⁹ secundū ordinē Melchisedech dicatur existere sacerdos,satis aperte(vt reor) paulò superius ostēsum est,Sed quod dicit introisse illum in interiora velaminis,more pontificum Iudæorum loquitur,qui semel in anno ingrediebantur intra velum in sancta sanctorum oraturi in templo pro populo, sic & Christus secreta regni cælorum penetrās,orat assidue pro salute fidelium suorum.

CAPVT VII.

Ic enim Melchisedech rex Salem,sacerdos dei summi subaudis fuit, *qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde regum,& benedixit ei, cui & decimas omnium diuisit Abraham* Tradunt hebræi ipsum Sem fuisse primogenitum Noe filiū, qui eo tempore quo natus est Abraham,habuerit annos ætatis ducētos nonaginta duos,eóque tempore quo mortuus est abraham, habuerit annos quingentos sexagintaquinque, & ita superuixerit Abraham annis trigintaquinque: quibus expletis,facti sunt omnes dies vitæ suæ sexcenti anni.

ni.Nec est mirum si abrahæ obuiā processerit,eiq; panem & vinū obtulerit,quod abnepoti suo iure paternitatis debebat,& benedixerit ei, decimásque prædæ atq; victoriæ ab eo acceperit,sicut sacerdos summi dei excelsi,nō falsorū deorum & idolorum,qui fuit etiam rex Salem.Salē autē (sicut Beatus Hieronymus dicit)non est putanda Hierusalem,vt Iosephus historiographus, nostrorumq; arbitrātur plurimi,sed iuxta opidū est Scythopolim,quæ vsq; hodie appellatus Salē siue salim,de quo(teste beato Hieronymo)in euangelio legitur. Erat autē Ioannes baptizans in Ennom iuxta Salim, quia aquæ multæ erāt ibi,Idcirco autē fit ista varietas noīm,quia hebræi multis in locis per cōsonātes solūmodo scribūt,subtractis vocalibus,atq; ita secundū arbitriū legētis pronūciatur, non vno semper eodemq; modo,Ostēditur autē in eodē oppido palatiū Melchisedech,ex magnitudinē ruinarū ostēdens veteris operis excellentiā:ad quā ciuitatē siue oppidū legitur etiā Iacob descēdisse,quę fuit in terra Canaā regionis Sichē.Cōsiderandū quoq;,quòd Abrahā de cæde hostiū reuertens quos persecutus est vsque Dan,non in via reuersionis habuit Hierusalē,sed potius Salem oppidū suprà memoratū. *Primum quidem qui interpretatur rex iustitiæ,deinde rex Salem, quod est rex pacis,sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum,neque finem habens vitæ.* Sæpe beatus Apostolus Melchisedech in typū domini saluatoris introducit. Quanuis enim penè omnes sancti & patriachæ & prophetæ prioris tēporis in aliqua re figurā Christi expresserint, tamē Melchisedech specialius,qui nō fuit de genere Iudęorū,in typo præcessit sacerdotiū filij dei, de quo deus pater dicit in Psal.11 0.Tu es sacerdos in æternū secūdum ordinē Melchisedech.Ordinem autē eius multis modis interpretari possumus,sicut iā supradictū est,Quòd solus rex fuerit,& sacerdos:& ante circuncisionem functus sacerdotio: vt nō gentes à Iudæis,sed Iudæi à gētibus sacerdotiū acciperent:neque vnctus oleo visibili,vt mosaica præcepta cōstituunt,sed oleo exultationis,fideiq; puritate:neq; carnis & sanguinis victimas immolauerit, sed pane & vino simplici purōq; sacrificio Christi dedicauerit sacerdotium.Sed primùm(vt Apo dicit)in hoc assimilatur filio dei,quia inteprætatur rex iustitiæ,melchō etenim siue melchi,regem

sonat: sedet vero, iustus siue iustitia. Et quis est ver⁹ rex iustitiæ, nisi Christus, qui dicit in Psal. Ego autem constitutus sum rex ab eo? Ipse enim iustè & rectè regit & gubernat electos suos, iustitiæ amatores effectos. Deinde autè assimilātur filio dei per hoc quod dicitur rex pacis, quod pertinet ad Christū. Salē interpretatur pax, Christus igitur nos iustificat, q est rex iustitiæ, & ipse pacificat omnia quæ in cēlis & quæ in terra sunt, qui nascēdo & moriēdo & resurgēdo atq; ascendēdo pacē attulit mūdo: cui secundū diuinitatē sine initio & fine rex est æterno patri coæternus, quāuis ex tēporali matre tēporalis esset. Sicut enim istius Melchisedech nō legimus initiū vel finē in scriptura sacra: sic nō nouimus filij dei initiū vel finē: quia non habet aliquid horū in natura deitatis, & in hoc est similitudo, quòd nec il li⁹ nec istius initiū legitur vel finis. illi⁹ quidē, quia non est scriptū: istius autē, quia omnino nō est. Neq; enim sub quo nat⁹ est Melchisedech legitur, neq; quādo mortuus est narratur, sed subitò introducitur, sicut & Elias. Nec omnino credendū est quòd Melchisedech sine pātre aut sine matre esset, cū Christus queq; secundū vtrāq; naturā & patrē habuerit & matrē: sed propterea hoc dicitur de illo, quia subitò introducitur in diuina scriptura, sicut diximus, & genealogia illius non commemoratur: de quo etiam dicitur quòd assimilatus filio dei, in his omnibus superioribus dictis *manet sacerdos in æternum* nō in se, sed in Christo Nam Melchisedech mortuus est, sed figura eius æternaliter in Christo manet. Similitudo autē hic nō pro æqualitate ponitur, sed pro figura. *Intuemini autē quantus sit hic cui decimas dedit de precipuis Abrahā patriarcha*, cōuertit sermonē suum ad eos qui gloriantur se filios esse Abrahæ, & nobilitatem generis ab illo ducere se iactant vnde in euāgelio domino eū præponere conabātur, cū diceret: Nunquid tu maior es patre nostro Abrahā? Vt ergo illorū cōfunderet superbiā Apostol⁹ dixit. Intuemini & attēdite diligēter quātus fuerit hic Melchisedech sacerdos dei summi, cui decimas dedit Abrahā patriarcha de precipuis, i. de meliorib⁹ spoliis. Qui b⁹ verbis vult ostēdere, maioris dignitatis & honoris fuisse Melchisedech, quē Abrahā, ac per hoc maius & sanctiꝰ fore sacerdotiū Christi, quā Iudæorū: quasi diceret. Quē vos excellentioré omnib⁹ hominib⁹ æstimatis, hic decimas ob

tulit

tulit Melchisedech: qui in figura Christi præcessit. *Et quidē de filiis Leui sacerdotiū accipiētes, mandatum autē decimas sumere à populo secundū legem*. i. à fratribus suis, quanquā & ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Tāta est (inquit) excellētia sacerdotij, vt etiā ipsi qui eūdem habuerant progenitorem, & ab vno patre descenderāt: propter excellentiæ meritū quo meliores erāt fratribus suis, vtpote Aaron, qui inter viuos & mortuos stans, irā domini placauit, sacerdotij dignitatē adipisci mererentur: ac propterea nisi Melchisedech maioris dignitatis esset quàm Abraham, nequaquam Abrahā alienigenæ decimas dedisset, sicut Aaron maioris meriti fuit quàm fratres illius reliquārum tribuum. Dicit ergo. Et quidem de filiis Leui accipiētes sacerdotium, sicut accepit Aarō & filij eius, mādatum & præceptum habent secundum legem sumere decimas à populo, quasi meliores illis, & hoc à fratribus suis, cum vnum eūdémq; habuissent progenitorem iuxta quod Apostolus manifestat, dicens, Quāquam & ipsi fratres Leui exierint de lumbis Abrahæ, *Cuius autem generatio*, id est Melchisedech, *non annumeratur in eu*, id est in filiis Leui *decimas sumpsit Abraham, & hunc* id est, Abraham *qui habebat repromissiones* de filio dei *benedixit* Ille Melchisedech. Hic ostendit incircuncisum sacerdotem circunciso sacerdote multo esse sublimiorem. Quomodo ergo hoc ostenditur? Vtique quia ipse Leui ex quo sacerdotale genus ortum est, decimatur est à Melchisedech in lumbis progenitoris sui, iámque erat Abraham circunciſus, iámque promissionem à deo acceperat quòd in semine eius benedicerentur omnes gentes, quando benedictus est à Melchisedech sacerdote in circūciso. dans ei decimas totius prædæ. Benedicens autem eum Melchisedech, dixit: Benedict⁹ Abrahā deo excelso, quo protegēte, hostes in manu eius prostrati sunt, & alia quæ sequūtur in eodē loco. *Sine vlla enim contradictione quod minus est à meliore benedicitur* quasi diceret. Omnibus luce clarius videtur, quòd minor à maiore benedicitur. Vnde Abraham quasi minor à Melchisedech tanquā à meliore benedictionem percepit. Proīde maior ac melior est typus Christi, quā illius qui promissiones de christo habebat. *Et hi quidem moriētes homines decimas accipiunt, ibi autem contestatur, quia viuit*. Hic, inquit, hoc est, in presenti seculo, vel in tēplo quod

adhuc ſtabat,moriẽtes homines,filij videlicet Leui(q̃ mortales ac moribundi ſunt)decimas accipiunt:ibi autem,i.in alia vita,vel loco vbi dicitur de Chriſto,Tu es ſacerdos in æternum,cõteſtatur deus pater cum iuramento,quia viuit Chriſtus. Vnde dicit Pſal.Iurauit dominus,& non pœnitebit eum:tu es ſacerdos in æternum ſecundũ ordinem Melchiſedech, *& vt ita dictum ſit,per Abraham & Leui qui decimas accepit*, In filiis ſuis, vel accepit hactenus à fratribus ſuis *decimatus eſt* à Melchiſedech *adhuc enim in lumbis* hoc eſt propagine ſeminis. *patris erat Leui quã lo obuiauit et Melchiſedech.* Quomodo dicit Leui decimatum à Melchiſedech,cũ nondum natus eſſet, præſertim cum & filius fuit naturalis Iacob?Vtique nõ eſt in ſe decimatus,ſed in Abraham,de cuius progenie deſcendit.Quando enim Abrahã decimas obtulit Melchiſedech,in illo omnes filij eius decimati ſunt,quapropter dicit Apoſtolus,quia Leui eius decimas accepit in filiis ſuis à fratribus ſuis,decimatus eſt per Abraham,ſiue in Abraham,Quibus verbis declaratur quia niſi ſacerdotium melchiſedech (qui in figura ſacerdotij Chriſti præceſſit)maioris dignitatis eſſet,nequaquã Abraham,omnéſque filij eius ab illo decimati eſſent.Dũ enim ſacerdotium à ſacerdotio decimatur,maioris dignitatis vnum altero oſtenditur. *Si ergo conſummatio per ſacerdotium Leuiticum erat(populus enim ſub ipſo legem accepit)quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium exurgere ſacerdotem,& non ſecundum ordinem Aaron dici? Tranſlato enim ſacerdotio,neceſſe eſt vt & legis trãſlatio fiat.* Hinc incipit iam plenius differentias noui teſtamẽti oſtendere,dicẽs.Si conſummatio.i.perfectio vitæ atque iuſtificationis per ſacerdotium leuiticum fuit:quid neceſſe fuit alium exurgere ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech?Nam quia Aaron primum poſt legem datam ſacerdotem fuiſſe de tribus Leui,nulli dubium eſt, ideo ſacerdotium quo functus eſt,Leuiticũ nominauit ſacerdotiũ:vel certe quia ipſe Leui in filiis ſuis functus eſt ipſo ſacerdotio.Nam abuepotes illius ſuſceperũt illud,Moyſes.ſ.& Aaron cum reliquis fratribus ſuis ex eadem tribu.Nam Leui genuit Caath:Caath vero Amram:Amram autem genuit Moyſen & Aaron. Ideóque dicit populum ſub ipſo ſacerdotio legem accepiſſe,quia Moyſes & Aaron principes erant illis temporibus in

in populo, qui ipſam legem adminiſtrauerunt de tribu ſacerdotali exiſtentes egro ſacerdotio leuitico multo melior eſt ordo ſacerdotij Melchiſedech, qui typum gerebat ſacerdotis noſtri.nequaquam enim dixiſſet ſecundum ordinem Melchiſedech, ſi illud ſacerdotium Aaron melius eſſet, ſub quo populus Iudæorum legem accepit. Si autem ſacerdotium legis tranſlatum eſt ad Chriſtum ſecundum ordinem Melchiſedech, neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat:hoc eſt,à lege Moyſi neceſſe eſt tranſire ad legẽ euangelij. Neque enim poteſt ſacerdos ſine lege & ſine teſtamento eſſe, & ſine præceptis. Summis niſibus laborabat Apoſtolus vt à lege Moyſi faceret eos tranſire ad legem euangelij, à carnalibus ad ſpiritalia. *In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu eſt, de qua nullus altario præſto fuit.* Manifeſtum eſt enim quòd ex Iuda ortus ſit dominus noſter, in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes locutus eſt. In quo enim,ait,hæc dicuntur,id eſt de quo hæc dicuntur, q̃ eſt ſacerdos in æternum, dominum ſignificans ſaluatorem, de alia tribu eſt, quàm ſacerdotali, de illa videlicet de qua nullus altario præſto fuit, hoc eſt, de tribu Iuda. Non enim ordine tantũmodo,neque teſtamento vel præceptis mutatum eſt,ſed etiam tribu. Et quomodo tranſlatum eſt ſacerdotium de tribu in tribum,de ſacerdotali videlicet ad regalem, vt eadem ipſa ſit & regalis & ſacerdotalis in Chriſto,qui eſt rex & ſacerdos?Intuere myſterium. Primo fuit regale ſacerdotium in Melchiſedech, ſecundum conſequentiam huius ſermonis, ſecundò autem fuit ſacerdotium ſolummodo ſacerdotale in Aaron, tertiò autem fuit iterum regale ſacerdotium in Chriſto,ſicut & primo. Vnde & eccleſia modò regale ſacerdotium habet,dicente Petro:Vos enim genus electum,regale ſacerdotium. Tribus ergo Iuda, ex quo dominus ortus eſt per virginem Mariam,cum ſemper regia eſſet,& nunquam ſacerdotalis,in Chriſto fuit vtrunque,& regalis,& ſacerdotalis,tranſlato ex toto ſacerdotio à tribu Leui, quæ antea ſacerdotalis erat. *Et amplius adhuc manifeſtum eſt,ſi ſecundum ordinem Melchiſedech, exurget alius ſacerdos qui non ſecundum virtutem vitæ inſolubilis. Conteſtatur enim* deus pater loquens ad filium *quoniam tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Defectus dictionis iſto in loco habetur ſatis

necessarius, quapropter nunc dicatur ita. Et amplius adhuc manifestum est, subaudis, destructum esse sacerdotium legis per hoc quòd Christus non secundum ordinem Aaron dicitur sacerdos esse in æternum: sed secundum ordinem Melchisedech, quàm per hoc, quia de tribu Leui non fuit. Quod enim dicit, si secúdum ordinem Melchisedech, exurgeret alius sacerdos: non dubitatiue loquitur, sed affirmatiue, quasi diceret, Amplius adhuc per hoc demonstratur destructum esse sacerdotium legis, quia secundum ordinem Melchisedech surrexit Christus alius sacerdos, qui non secundum carnalis mandati legem factus est sacerdos sicut Aaron. Legem carnalis mandati vocat, quia ex maxima parte carnalis erat, carnalia præcipiens, in circuncisione, in mundatione corporis, in hostiis & oblationibus carnalibus, in discretione ciborum, dierum ac temporum, dicens, Mane extra castra, laua corpus tuũ, offer hoc vel illud, abstine ab his cibis, obserua ista tempora: cæteráque his similia, quæ omnia morte finienda erant. Christi autem sacerdotium spiritale est, & secúdum virtutem vitæ insolubilis, id est secundum potentiam vitæ indeficientis, quæ nullo interueniente mortis metu solui poterit. Habet enim Christus in se vitam insolubilem: quia quãuis ad tẽpus mortuus sit in carne, tamen viuit in æternum diuinitate, & insuper humanitate, postquam victor à mortuis resurrexit. Vnde deus pater contestatur iurando quia viuit, dicens per Psalmistam: Tu es sacerdos in æternum *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati* hoc est legis Moysi *propter infirmitatem eius & inutilitatem.* Infirmitatem vtique in hoc habebat lex, quia operantes non valebat adiuuare, inutilitatem verò in hoc, quia nemini regnum cælorum valebat aperire. Vnde sequitur *Nihil enim ad perfectum adduxit lex,* Quid enim? Nihil profuit lex, profuit quidem aliquid corpora mundando, peccata leuia relaxando: sed nihil ad hoc profuit, vt perfectos facere posset seruientes in ea, quoniam grauiora peccata non tollebat, nec ianuam regni cælestis alicui aperiebat. Quapropter reprobata est, vt gratiæ daretur locus, in qua perfectio cõstat. Vtilis quidẽ fuit fidem habẽtibus in Christo, non illis qui totã spem suam in eius carnalibus obseruationibus ponebant *Introductio verò melioris spei* subaudis, est modò in gratia *per quã* spem

spem *proximamus ad deum.* Habuit quidem lex spem, sed non talem qualem gratia præstitit. Sperabant enim beneplacentes legemque custodientes possidere terram, iuxta illud, Si volueritis, bona terræ comedetis, nihilque erũnosum pati prospere viuere, sicut dictum est, Qui fecerit ea, viuet. Hic autem speramus, quia placentes & euangelica præcepta custodientes, non terram possidebimus, sed cælum, insuper etiam (quod cælo multo melius est) speramus proximi deo consistere, ad ipsum paternum solium peruenire, & ministrare ei cum sanctis angelis, iuxta quod saluator ait in euangelio: Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris sui, eruntque sicut angeli dei in cælo. Hoc verò sacerdotium, per quod hanc gloriam possessuri sumus, non est sine iureiurando, vt firmam dei promissionem credamus. Vnde Apostolus subdit *Et quãtum est* subaudis, firmum istud sacerdotium Christi de quo loquimur, vtique multum est: quia *non sine iureiurando* firmatum est *Alij quidem sine iureiurando facti sunt sacerdotes* vt Aaron, filiique eius, quibus deus non iurauit quòd essent sacerdotes in æternum secundum ordinem legis *hic autem*, id est Christus *cum iureiurando* sacerdos factus est *per eum* hoc est, per deum patrem *qui dixit ad illum, Iurauit dominus, & non pœnitebit eum,* id est non mutabit iuramentum suum, quoniam *tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Inquãtum melioris testamenti sponsor* siue promissor *factus est Iesus* scilicet inquantum cum iureiurando dei patris suam sacerdotium tenet. Inquantum sacerdotium Christi quod iuramento dei est sanctum, sua dignitate præcellit sacerdotium legis veteris: intantum præcellit etiam gratia euangelij legem Moysi. *Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco, quòd morte prohiberentur permanere, hic autem,* id est Christus, cui pater dixit cum iureiurando, Tu es sacerdos in æternum *eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium* Duas ponit hic differentias, B. Apostolus, quia sacerdos noster non habet finem, sicut sacerdos legis, & quia cum iureiurando suum sacerdotium possessurus est, quia enim sacerdotes legis mortales erant, plures facti sunt sacerdotes in ipsa lege, sicut Aaron & filij eius, idcirco quòd morte præuenti prohiberẽtur permanere in sacerdotio. Mortuis enim patribus succedebant filij in locum ipsorum: Ie-

sus autem solus, quia immortalis est, sempiternum habet sacerdotium, nec vllum habere poterit subsequentem, eo quòd ipse maneat in æternum. Sequitur *Vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad deum semper viuens ad interpellandum pro nobis*, vnde, inquit, quia Christus in æternum manet, & sempiternum habet sacerdotium, semper interpellat pro nobis, semperque potest saluare. Quia vero quidam codices habent, accedens per semetipsum ad deum, quidam vero plurali numero, accedentes, vtrumque recipi potest. Christus ergo pontifex noster non per alium pontificem maiorem se accedens ad deum patrem, sed per semetipsum, ideóque potest saluare in se credentes. Potest & ita intelligi quod dicit, saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad deum. Nos qui puri homines sumus, per illum accedimus ad deum patrem, quia mediator noster existens assistit dei vultui pro nobis, dirigens preces nostras ad deum patrem. Vnde & sacerdotes ecclesiæ altari assistentes dicunt? Suscipe domine sancte pater preces populi tui per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, Et quia semper viuit, semper interpellat pro nobis. Alij verò pontifices qui non semper erunt, non semper interpellant. Interpellat autem pro nobis per hoc quòd naturam assumpsit humanam, quam assiduè ostendit vultui dei pro nobis, vt misereatur secundum vtranque substantiam. *Talis enim decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus* Non eramus digni, nec promerebamur talem habere pontificem, sed necesse erat nobis vt talem haberemus pôtificem, qui esset sanctus in interiori homine, innocens manibus, impollutus corpore, segregatus à peccatoribus, id est ab omni peccato immunis, & à conuersatione peccatorum separatus. In hoc enim fuit separatus à peccatoribus, quia alij homines cũ peccato concipiuntur & nascuntur, atque ab hoc seculo cũ peccato transeunt: hic autem sine peccato est conceptus, sine peccato natus, & sine peccato ab hoc mundo trãsiuit, quoniã peccatũ nõ fecit, nec dolus inuẽtus est in ore eius. Factus autẽ est excelsior cælis, quãdo quadrageſima die admirandæ suæ resurrectionis super omnes cælos, & super oẽs ordines cælestiũ spirituũ eleuatus est ad cõsessum paternæ maiestatis, vbi sedet nunc in plenitudine honoris & gloriæ. Potest & ita intelligi quod dicit, Talis decebat vt nobis esset põtifex, quasi diceret, Iudæi velut serui per timorem legis deo seruientes, legales pontifices habuerunt, sibi cõseruos, mortales ac peccatores, qui pro semetipsis similiter indigebant offerre: nos autem quibus dictum est, Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos, & qui filij dei sumus, seruiendo illi amore filiationis: decet vt habeamus pontificem immortalem, segregatum à peccatoribus. Sequitur: *Qui non habet quotidie necessitatem (quemadmodum sacerdotes legis) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel seipsum offerendo* dominus noster Iesus Christus. Quid fecit? Vtique obtulit sacrificium non pro suis delictis, sed pro nostris: & semel hoc fecit, non amplius, quia semel mortuus pro peccatis nostris, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Magnitudinem sacrificij Christi hic ostendit, quod semel oblatum tantum prævaluit, quantum omnia sacrificia legalia non valuerunt. Vnum enim fuit, & semel oblatum, & sufficit in sempiternũ ad tollenda omnia peccata credentium. Pontifices autem Iudæorum peccatores erant, & ideo necesse habebant pro suis delictis hostias offerre, & ideo sacrificia illa hominem iustificare non poterant, quia inconueniens erat, vt pro homine rationali irrationale animal offerretur. Quærebatur, itaque pontifex sine peccato, & hostia rationabilis, nec inueniebatur: Inuentus est autem vnus sine peccato, Deus & homo, & obtulit seipsum rationabile sacrificium pro salute hominis rationalis, Lex *enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes* Dicit enim dominus ad Moysen in lege: vnges Aaron & filios eius mihi in sacerdotes. Sed quia illi infirmitatem, hoc est peccata habebant, quibus infirmabatur illorum anima, necesse habebant vt pro populi, ita etiam pro suis delictis hostias offerre, Iste autem tam potens est, vt non indigeret pro se offerre, sed insuper semel oblato suæ carnis sacrificio, omnium saluti sufficeret. *Sermo autem iurisiurandi qui post legem est, filium in æternum perfectum.* Subaudis, ostendit, siue perfectum constituit sacerdotem, nõ infirmitate grauatum, sicut lex constituit eos. Post legem factus est sermo dei patris ad Dauid de Christo cum iureiu-

rando,vbi dicitur,Iurauit dominus, & non pœnitebit eũ, &c. Ponit hic Apostolus filij nomen ad distinctionem seruorum,qui fuerunt in lege, qui serui infirmi fuerunt, siue quia peccatores,siue quia mortales erant,filium verò perfectũ ostendit,qui semper viuit,& semper sine peccato est.

CAPVT VIII.

C *Apitulum autem super ea quæ dicuntur* hoc est, repetitio super ea quæ dicuntur de Christo. Quo dicto significat aliquid summum & magnum,& quasi per recapitulationem præcedentis disputationis ad rem ipsam deducit auditorem. *Talem habemus pontificem* qualem subaudis diximus,sanctum videlicet,innocentem, impollutum,segregatum à peccatoribus & qualem adhuc dicturi sumus in sequentibus *qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis, sanctorum minister, & tabernaculi veri quod fixit deus, & non homo.* Sedem magnitudinis in cœlis debemus accipere plenitudinem paternæ maiestatis, in qua filius dei sedet,quæ etiam designatur per dexteram. Nec est pueriliter accipiendum, quòd deus pater dexteram aut sinistram habeat, qui spiritus est omnia implens, vt ita sedeat filius in dextera illius,sicut solet filius sedere iuxta patrẽ suum regem:sed,sicut diximus,plenitudinẽ maiestatis, summãque gloriam beatitudinis & prosperitatis debemus per dexteram intelligere,in qua filius dei sedet. Sedere autẽ filij pro habitare ponitur. Pontifex ergo noster qui cõsedit in summa gloria paternę maiestatis in cœlis,sanctorũ minister est,Quod duob⁹ potest modis accipite:veniẽs quippe dominus in mundũ per incarnationis exhibitionem,ministrauit sanctis apostolis, aliísq; fidelibus,& etiã qui adhuc futuri sunt, panẽ refectionis verbi spiritalis, & potum doctrinæ euangelicæ, dicens:Si quis sitit,veniat ad me, & bibat,&, Venite ad me oẽs qui laboratis & onerati estis,& ego reficiam vos. Ministrauit illis etiam documentũ fidei,& gratiã baptismatis:& insuper(quod maius fuit) sacramentũ redẽptionis per passionem suam,& cognitionem mysteriorum in lege & prophetis, ac postea sua ascẽsione ministrauit nobis aditum patriæ cælestis. Ecce quomodo & quid ministrauit electis suis apparẽs mundo. Dicatur & aliter:Sanctorum minister erit in futurũ,quando semetipsum ministrabit illis, vt cognoscant eũ cum patre

&

& spiritu sancto sicuti est, cum tradiderit regnũ suum deo & patri. Vnde in euangelio de se sub persona patrisfamiliâs loquens dicit: Amen dico vobis,q̃ præcinget se, & faciet illos discumbere,& transiens ministrabit illis. Transire enim dicitur,quia electos suos de iudicio ad regnũ transire faciet,vel à contemplatione humanitatis ad cognitionem diuinitatis suæ. Ministrabit illis,cum se & patrem cum spiritu sancto eis monstrabit. Nam cibus & vita illorum visio sanctæ trinitatis erit,sicut ipse dicit ad patrem: Hæc est vita æterna,vt cognoscant te cum spiritu sancto, & Iesum Christum quem misisti vnum & verum deum. Tabernaculi quoque veri minister est, quod constituit siue composuit deus,& nõ homo.i.cæli,quod ipse nobis administrat,vt clara ritate siderum illius illustremur. Tabernaculum enim quod Beseleel cõposuit in deserto, siue quod à Salomone factũ est in terra repromissionis,non fuit verum,quia carie & vetustate consumptum est,nec semper durare potuit. ideóq; tabernaculum verum cælum vocat, quoniam in æternum stabit,nullaque vetustate consumetur. Potest & altiori sensu intelligi,vt tabernaculum verum accipiantur animæ iustorum,quibus iste filius dei gaudia patriæ cælestis administrat,& in quibus ipse habitare dignatur, iuxta quod per prophetam dicitur, Inhabitabo in illis & inambulabo, & Apostolus: In interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris. &, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. *Omnis enim pontifex ad offerenda munera constituitur: vnde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat.* Non enim potest esse sacerdos,nisi habeat quod offerat. Pontifices verò veteris sacerdotij secundum præceptum legis munera & hostias pro suis & pro populi offerebant delictis. Christus verò cum in sempiterna diuinitatis suæ natura non haberet quod offerret, sumpsit ex nobis quod pro nobis offerret, id est, carnem humanam, seipsum videlicet, quem obtulit in ara crucis. Quid ergo tam aptum immolationi, quàm caro rationalis pro rationali? Et quid tam mundum pro immundis, quàm carnem sine vlla contagione offerre? Et quoniam quatuor in omni sacrificio consideranda sunt, videlicet cui offerat,à quo offeratur,quid offeratur, pro quibus offeratur: hæc etiam possumus hic reperire satis eleganter, Quòd enim

nulli sacrificium debetur, nisi soli vero deo, pontifex noster mũdam hostiam pro nobis deo patri obtulit, idem existẽs sacerdos & sacrificium. Offert enim sacrificium deo patri acceptum per ecclesiam suam. Dum enim nos offerimus sacramenta corporis eius, ipse offert. *Si ergo esset super terram.* subaudis sacerdos terrenus secundum ordinem Aaron, *nec esset sacerdos* secundum ordinem Melchisedech *cum essent* sacerdotes Leuitici generis *qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari & vmbræ deseruiunt cælestium, sicut responsum est Moysi cum consummasset* ac perfecisset *tabernaculum* oraculi. Si esset terrenus pontifex super terram, sicut Aaron, vel aliquis secundum eius ordiné immortalis & sine peccato, qui suis sacrificiis potuisset mũ dare genus humanum, perfectúmque reddere, non esset vtique sacerdos secundum ordiné Melchisedech in æternum, quia satis essent qui offerrét legalia munera Sed quia Aaron & filij eius mortales erant & peccatores, quapropter non poterant genus humanum perfectum reddere: ideo venit Christus sine peccato, qui in æternum suum sacerdotium teneret, suóque sacrificio genus humanum perfectissime mundaret, non talis quales fuerunt illi qui exẽplari & vmbræ deseruiunt cælestiũ. Exemplar est figura & similitudo, per quod res alia ostenditur: sicut imago expressa in pariete, exẽplar est & figura veri hominis. Sacerdotes igitur Iudæorum exemplari .i. figuræ & vmbræ cælestium mysteriorum deseruiebant, quia omnia illa similitudines & figuræ erant istorum, quæ in ecclesia modò in veritate aguntur. Cælestia autẽ mysteria dicit spiritalia, quòd obseruatores suos in veritate ad cælestia ducunt. Nónne cæleste altare est fides nostra, in qua offerimus quotidie orationes nostras deo? *Vide* (inquit) *omnia facito secundum exẽplar quod tibi ostensum est in monte.* Quoniam auditus noster minus aptus esse videtur ad disciplinam percipiendã q̃ visus (non enim ita animo cõmendamus quæ audimus quomodo illa quæ ipso visu percipimus) ideo non solũ auditu, verumetiã visu demonstratũ est Moysi à domino in mõte tabernaculũ quod facturus erat cooperãte Beseel. Vnde dicit ei: Vide vt oĩa facias secundũ illã similitudiné quæ tibi in monte ostensa est. Quod autẽ dicit, intelligendũ est tã de tabernaculi cõstructione vasorũq; eius, q̃ de sacrificiis

&

& hostiis quæ ibi oblaturi essent. *Nunc autem melius sortitus est ministerium*, sacerdotij videlicet dignitatem, *quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est* hoc est firmatum, statutum, & corroboratũ. Vides, inquit, quanto melior est ista celebratio, quàm illa quæ tunc temporis agebatur. Siquidem illa exemplar & figura, ista veritas est, sicut in euang. dicitur. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Nunc, hoc est, in hac nouissima mundi ætate, tanto melius ministerium sacerdotij sortitus est Christus, quàm fuisset illud legale, quanto & melioris testamenti est mediator. Quanto meliora sunt cælestia terrenis, ęterna tẽporalibus, tanto melioris testaméti dator & mediator est Iesus, & tãto melioribus promissionibus confirmatũ est istud: Testamentum etenim vetus, terrena ac tẽporalia promittebat, dicens: Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Et: Obserua quæ præcipio tibi, vt sis lõgæuus super terrã. cæteráque his similia promittens temporalia atque terrena. Nouum verò quod per Christum datum est, promittit ac tribuit cælestia & æterna, vitámque perfectam per gratiam baptismatis, & fidẽ dominicæ passionis, remissionẽ videlicet omniũ peccatorũ. dicit nanq; euange. Pœnitentiã agite, appropinquabit enim regnũ cælorũ. Et, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et: Quia erunt electi sicut angeli dei in cælo. Et insuper quod maius est, quod dicitur in euang. Ioan. Quotquot, inquit, receperũt eũ, dedit eis potestatẽ filios dei fieri. Ecce quomodo melioris testaméti mediator & dator est Christus, & quomodo melioribꝰ promissionibus confirmatũ est. In hoc quoq; melius sacerdotium sortitus est, quia illud tẽporale fuit, istud est æternũ. Illud non poterat hominẽ iustificare: nec regnũ cælorum suis obseruatoribus reserare: istud verò perfectè iustificat hominẽ, statimq; ei regnũ cælorum aperit. Mediator autẽ testaméti appellatur dñs, quia sicut Moyses mediator fuit inter deum & populũ, verba dei ad populum referens, iterúmque populi ad deũ: ita & Christus verba dei patris nobis retulit, iterúmq; nostra refert ad deum. Transiens Apostolus à sacerdote & sacrificio, tunc demum testamenti differentiam facit, dicens *Nam si illud prius* testamentum *culpa vacasset, non vtique secundi* testamenti *locus inquireretur,*

hoc est,si aliud testamentũ legis peccata posset auferre, vt obseruatores sui inculpabiles essent,nõ secundi testamenti locus nunc inquireretur. Sed quia illud nõ fuit perfectum, illo sublato inuentus est locus aptus secundi testamenti,sicut *vituperans eos*, id est, non approbans dignos laude, *dicit* per prophetam. *Ecce dies venient, dicit dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum quod feci cum patribus eorum in die qua apprehendi manum illorum vt educerem eos de terra Aegypti,quoniam ipsi non permanserunt in testamẽto meo,& ego neglexi eos,ait dominus deus.* Ecce dies noui testamenti,& vltimæ seculi ætatis venient, dicit dominus, & consummabo,id est,perficiam super domum Israel & super domum Iuda testamentum nouum. Quantum ad literam pertinet,per domũ Israel decem tribus intelliguntur, quæ separauerũt se à domo Dauid tẽporibus Hieroboam: per domum autẽ Iuda,duæ tribus Iuda & Beniamin cũ tribu sacerdotali, quæ adhæserunt domui Dauid. Altiori autem intellectu per vtranq; domũ debemus intelligere omnes tã ex Iudæis q̃ ex gentibus credentes, qui deum rectè cõfitẽdo(quod interpretatur Iudas)veri Israelitę sunt: hoc est,deũ mẽte vidẽtes,quibus dominus perfecit atq; cõpleuit nouũ testamentũ,gratiã scilicet euangelij. Testamẽtum autẽ nouũ dicitur ad differentiã veteris. Vt verò altius dicamus,vetus testamentũ ob hoc dicitur, eo q̃ hominem in vetustate peccati positũ, nouum reddere non valebat:at verò nouũ testamentum dictum est,eo q̃ veterẽ hominem id est,peccato veteris hominis Adæ cõmaculatũ, nouũ efficiat in baptismate per fidẽ dominicę passionis:quod nõ est simile testamẽto veteri,quod fecit cũ patribus eorũ:quia illud terrena ,promittebat ac tẽporalia, & præcipiebat carnalia,istud verò æterna & cælestia promittit, præcipiẽs spiritualia.Quod verò dicit:In die qua apprehendi manũ illorũ,vt eos educerẽ de terra Aegypti,magnã familiaritatem suã omnipotens deus ostẽdit,quã exhibuit illi populo.More enim mulierũ loquitur sermo diuinus, quæ apprehẽdere solẽt paruulorũ manus,& plerunq; secũ ducere, plerunque etiã hinc illinc̃que sustentando,ne labentur,vtpote firmos gressus nõ habentes adhuc.Sic omnipotens deus:cũ ille populus puerilis ac paruulus esset:quia neq; gressus bonę operationis

Iaco. 2.

rationis habebat,neq; fortitudinẽ qua se posset exoluere à iugo opprimẽtium,tetendit manũ suam ei,magnũ videlicet auxilium pietatis suæ: & extraxit eum de fornace ferrea: trahens ad cognitionem suam: & amplius amore eum diligẽs gratissimo, ,simúlq; deducens per deserti vastitatem, introduxit in terram omnibus meliorem. Sed quia nõ permanserunt in testamẽto eius ,id est,non obseruauerũt quæ præcepit in testamẽto suo:neglexit eos:hoc est,dimisit eos ire secundum desideria cordis sui,iuxta quod Psalmista dicit. Notandum autẽ quia cum dixisset sermo diuinus: Perficiam testamentum nouum,non secundum illud quod pepigi cum patribus eorum:ne forte Iudæi possent oblatrando dicere illud testamentum destruendum esse de quo dixit ad Abraham deus,In semine tuo benedicentur omnes gentes:discrete manifestauit de quo loqueretur , cum subintulit dicens:In die qua apprehendi manum illorum vt educerem eos de terra Aegypti . De lege enim dixit hoc, quam quinquagesimo die egressionis illorũ de terra Aegypti,datam esse constat in monte Sinai,in qua non permanserunt patres eorum , sed fecerunt vitulum conflatilem in Oreb, & adorauerunt illum. Nam illud quod pepigit cum Abraham , in Christo completum est , in quo benedicentur omnes gentes. *Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel* scilicet credentibus *post dies illos,dicit dominus, dabo leges meas in mente eorum, & in cordibus eorum superscribam eas,& ero eis in deum,& ipsi erunt mihi in populum, & nõ docebit vnusquisque proximum suũ,& vnusquisque fratrem suum, dicens, Cognosce dominum:quoniã omnes cognoscent me à maiore vsque ad minorem eorum:quia propitius ero iniquitatibus eorũ, & peccatorũ eorum non recordabor amplius.* Magna distantia est inter legem & legem,inter scripturam & scripturam,inter doctores legis doctorésq; euãgelij, inter literam & gratiã spiritalis intelligentiæ. Nã litera legis scripta est in tabulis lapideis,gratia autẽ spiritalis intelligẽtiæ data est fidelib⁹ per spiritũ sanctum,per quem charitas dei diffusa est in cordibus fidelium. Hoc autem quod dicit,Dabo leges meas in mente eorum, & in cordibus eorum superscribam eas:specialiter ad sanctos Apostolos pertinet , qui gratiã noui testamenti non habuerunt scriptam in tabulis lapideis,neq; in mẽbranis,sed in mente & in cordibus suis diuinitus ex-

Psal. 80.

araram habuerunt. Primùm quidem ante dominicam paſſionem, quando (ſicut Matthæus narrat) aſcēdit in monte, ibique cum illis illū prolixum ſermonem habuit, vbi inſtitutio totius perfectæ vitæ continetur. Secundò verò poſt reſurrectionem ſuam, quando (ſicut Lucas teſtatur) aperuit illis ſenſum vt intelligerent omnia quæ ſcripta erant in lege Moyſi & prophetis & pſalmis de ipſo, deinde verò decimo die aſcenſionis ſuæ adueniente ſpiritu ſancto in linguis igneis ſuper eos, reuelauit eis vt cognoſcerēt quicquid mortalibus de deo ſciendum erat. Quomodo enim poſſent euangeliſtæ tāta miracula & verba cæleſtia poſt eius aſcēſionē ſcribere, niſi ea in tabulis cordis diuinitus exarata haberēt? & precipue B. Ioannes qui ſexageſimo quinto anno poſt dominicā aſcenſionem euangelium ſcripſit, quomodo poſſet tāta de diuinitate illius proferre, quæ ipſe dominus eis protulit, maximè ea nocte qua cōprehenſus eſt? Nos autē partim in cordibus, plenius autē in membranis ſcriptū habemus ab illis nobis relictum, vt in illis meditando exerceamur. Quod autem ſubiungit, Non docebit vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuum, dicens, Cognoſce dominum: non ad præſens tempus referendum eſt, vbi inuicem docemur, ſed (ſicut dicit beatus Auguſtinus) dum loqueretur propheta Ieremias de primo domini aduentu, ſubitò conuertit oculū mētis ad ſecundum, poſt quē nemo docebit proximū ſuum vt cognoſcat deum, quoniā electi poſiti in eius contemplatione videbunt & cognoſcent eū ſicuti eſt. Nā in præſenti (ſicut diximus) docemur ab inuicē. Poſtea etiam peccatorū illorum nō erit memor: quoniā omnes expoliati ab omni fece mortalitatis & corruptionis corporis, & mutabilitate atque peccato, reſurrectionis gloria donati fulgebūt ſicut angeli dei in cælis. *Dicendo autē nouum, veterauit prius.* Sumens Apoſtolus fiduciā & authoritatem ex dictis propheticis, vbi dicitur, Conſummabo teſtamentū nouum ſuper domum Iſrael, oſtēdit vetus iā liquidius eſſe finiendū. Dicendo autē, Conſummabo nouum teſtamentū, oſtendit in vetuſtatem redigi ſiue vetuſtū effici illud quod erat prius, vnde ſubiungit. *Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.* quaſi diceret, Quia ſermo diuinus per hoc quod dixit teſtamentū nouū futurum, & vetuſtum eſſe prius: datur intelligi, quia ſi antiquatur,

tiquatur, & vetuſtum eſt prius teſtamentū, in proximo eſt vt intereat, finemque recipiat. Hoc verò intelligendum eſt non de præceptis vitæ ac morum, in quibus lex manet cōcordans cum euangelio, ſed de mandatis ſacrificiorum carnalium, in quibus adueniente Chriſto quem figurabant, finem acceptura erat lex.

CAPVT IX.

H *Habuit quidem & prius iuſtificationes culturæ, & ſanctum ſeculare.* Prius quidem teſtamentum habuit iuſtificationes culturæ, quia per diuinum cultum iuſtificabantur homines à leuioribus culpis: habuit & ſanctum ſeculare, in quo ſeculi homines, hoc eſt gentiles ad Iudaiſmum tranſeuntes recipiebāt. Patebat enim non ſolū Iudæis, ſed etiam gentilibus. Sanctum ergo ſeculare vocat locum atriorum vbi gentiles ſtabant ad adorandum poſt Iudæos. *Tabernaculum enim factum eſt primum, in quo candelabra & menſa, quæ* ſubaudis menſa vel propoſitio panum, *dicitur ſancta.* Non de illo tabernaculo diſputaturus eſt hic Apoſtolus, quod Moyſes fecit in eremo, vbi tantummodo vnum candelabrum fuit: ſed de templo quod poſtea Salomon ædificauit in Hieruſalem, vbi fuerunt plura candelabra. Vnde quod dicit primum, non eſt referendum ad tempus, ſed potius ad locum. Diuidit enim illud templum Salomonis B. Apoſtolus in duo tabernacula: & primum quidem tabernaculum appellat illam partem templi vbi erāt candelabra & menſa, ſuper quam ponebantur duodecim panes callidi, ſex hinc, & ſex inde, & ſuper panes duæ patinæ aureæ, plenæ thure, vna hinc, & altera inde: eratq; ibi à ſabbato vſq; ad ſabbatū: & erat ibi altare aureū, vbi offerebatur incenſum thymiamatis mane & veſpere: cum qua parte tēpli comprehendit altare holocauſtorum, quod erat ſub diuo ante fores tēpli domini, in quod tabernaculū licite ingrediebātur quotidie ſacerdotes, & reliqui miniſtri. Secundū autē tabernaculū vult intelligi ſancta ſanctorū, illā videlicet partem templi quæ diuidebatur pariete. 20. cubitorū & velo, quod pendebat ante parietē, vbi intrinſecus erat arca Moyſi, continens in ſe tabulas legis, & vrnā aureā, in qua erat manna, virga quoq; Aaron quæ fronduerat. Ipſa autē arca pleno ſchemate erat facta, ideoq; ſuper ipſam erat tabula aurea, quæ appellabatur propitiatorij,

eò quòd inde loqueretur dominus Moysi & sacerdotibus: & super ipsam arcã erant duo Cherubim, quæ alis suis obumbrabant tabulam propitiatorij, versisque vultibus respiciebant in propitiatorium. In istud secundum tabernaculum, hoc est sancta sanctorũ, nemo audebat ingredi, nisi solus pontifex semel in anno, qui accepto sanguine in vasculo ingrediebatur intus oraturus pro populo, septimadecima videlicet die septimi mensis à festiuitate paschali, quæ dies appellabatur quidem propitiationis. in crastinũ autem sequebatur festiuitas tabernaculorum. Spiritualiter autem illud primum tabernaculum vbi sacerdotes licite ingrediebantur, statum præsentis ecclesiæ significat, vbi sunt plura candelabra, sancti videlicet prædicatores, qui sibi & aliis lucent verbo & exemplis: vel etiam vbi sunt dona spiritussancti, quibus fidelium corda illuminantur, qui per fidem in ecclesia consistunt. Et de mensa, diuina videlicet scriptura, de qua Psalmista dicit, Parasti in conspectu meo mensam. Est & propositio panum in mensa, intellectus videlicet sacræ scripturæ, quo quotidie reficiũtur animæ fidelium. Possumus & per panem intelligere corpus & sanguinẽ domini, quod in ecclesia consecratur. *Post velamentum autem secundum tabernaculum* subaudis est, *quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circunteclam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti.* De his singulis quomodo & qualiter essent ordinata, secundum literam paulo superius elucidatum est: quapropter spiritualia mysteria videamus. Velum post quod erat tabernaculum, quod appellabatur sancta sanctorum, causa suæ dignitatis, sicut & cãtica canticorum, significat cælum, post quod sunt interiora patriæ cælestis. Eleuato velo ingrediebatur pontifex cum sanguine in sancta sanctorum, oraturus pro populo: & dominus noster pontifex cum sanguine passionis suæ eadem passione peracta, reserato cælo, Sancta sanctorum penetrauit, vbi assidue deum patrem exorat pro nobis. In sanctis sanctorum erat thuribulum, quia Christus in secretis patriæ cælestis consistit, per quem orationes nostras ad deum patrem dirigimus. Arca testamenti circunteclta ex omni parte auro, caro est domini nostri saluatoris, qui autor est vtriusque testamenti.

stamenti, & qui interius plenus erat diuinitate, & exterius refulgebat virtute miraculorum verborũque cælestium. In auro enim solet claritas sermonis designari, sicut sapientia dicit: Concupisce sapientiam sicut aurum. Vrna aurea habens manna, Christus est, in quo manna diuinitatis est, qui dixit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Virga Aaron quæ fronduerat, sacerdotij dignitas est, quæ semper floret in Christo: siue potentia imperialis. Duæ tabulæ testamenti in arca, duo sunt testamenta consistentia in Christo, Sequitur *super quæ erant* id est, super arcã *duo Cherubim gloriæ, obumbrantia propitiatorium* Duo Cherubim regentia arcam, quæ interpretantur plenitudo scientiæ, duo sunt testamẽta, in quibus plenitudo est scientiæ quæ tegunt Christum, qui est propitiatio pro peccatis nostris, quia in diuina scriptura latet, *de quibus* omnibus subaudis quid mysterij in se habeant *non est modo dicendum per singula.* Fortassis ideo reticuit, quia multis sermonibus opus habebat, siue quia necdum erant capaces omnia capere. *His verò ita compositis* & ordinatis, quæ diximus esse tam in primo tabernaculo quàm in secundo, hoc est, in sanctis sanctorum *in priori quidem tabernaculo* hoc est in illa parte templi in qua altare incensi erat, & ante cuius etiam fores erat altare holocaustorum *semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes.* Non est ita intelligendum, quòd in tẽplo super altare incensi hostias offerrent, autvbi perficerent sacrificia victimarum, sed potius sacrificiorum officia possumus accipere incensum, ad quod offerendum semper ingrediebantur sacerdotes mane & vespere, siue consummato & perfecto ante templum in altari holocaustorum, semper ingrediebantur in templum cum incenso. Potest & tertio modo intelligi, vt (sicut superius diximus) cum templo altare etiam holocaustorum comprehenderit, ac per hoc à parte totum voluerit comprehendere. Vtrunque tamen pro vero accipi potest. *in secundo autem semel in anno solus pontifex non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignorantia.* Secundum autem tabernaculum in quod solus pontifex cum sanguine ingrediebatur, significat interiora patriæ cælestis ille vero pontifex significat Christum, qui semel ingressus est sancta sanctorum intra velum, completa passione sua, vt adsistat nunc vultui

dei pro nobis orans,nõ pro ſuis,ſed pro noſtris delictis:nisi ſi forte dicatur orare pro ſuis,propter communionem quã habet cũ corpore ſuo,quod eſt eccleſia,vnde dicit in paſſione.Deus deus meus,vt quid me dereliquiſti?longe à ſalute mea verba delictorum meorũ.Quæ ſunt enim verba delictorũ,niſi corporis eius,quod nos ſumus?Ipſe enim peccatũ non fecit,nec dolus inuentus eſt in ore eius *hoc ſignificante ſpiritu ſancto,nondum propalatam eſſe ſanctorum viam*.i. hoc ſignificante ſpiritus ſancto ad Moyſem, nondũ veniſſe Chriſtũ,qui ſemel cũ ſanguine paſſionis ſuæ ingrederetur cælorũ ſecreta.q.d.aliis verbis:Ideo ſolus pontifex cũ ſanguine intrabat in ſancta ſanctorũ,vt diſcamus quia cæleſte regnũ inacceſſibile erat adhuc mortalibus, quoaduſq; veniret Chriſtus,qui expleta,paſſione ſua aperiret nobis ianuã patriæ cęleſtis,reſerato velo.i.cælo.Nondũ enim erat manifeſtata ſanctorum via ingrediẽdi in patriam cæleſtẽ, ſiue non manifeſta via intelligentiæ,quia ignorabant homines quid ſignificarent illa myſteria, Nec putemus illuc nos non poſſe ingredi quò pontifex noſter prius ingreſſus eſt.Ipſe nanq; dicit ad patrem:Pater, volo vt vbi ego ſum,& iſti ſint mecum,& alibi,Vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit.Et quia adhuc templum ſtabat quando apoſtolus iſta loquebatur,& munera legalia,quamuis ſine cauſa,ibi offerebantur,ideo ſubiunxit,dicens: *Adhuc priore tabernaculo habente ſtatum quæ* ſubaudis res *parabola eſt* hoc eſt, figura & ſimilitudo *temporis inſtantis* ſiue præſentis. Quod enim agebatur in templo tũc temporis, figura erat & ſimilitudo illius veritatis quæ iã in eccleſia completur. Sequitur *iuxta quam* ſubaudis parabolam ſiue figuram. *munera & hoſtiæ offeruntur*, adhuc ibi à ſacerdotibus, *quæ* munera vel hoſtiæ *non poſſunt perfectum facere ſeruientem iuxta conſcientiam.* Conſcientia dicitur cordis ſcientia, per quam intelligitur mens hominis.illa,inquit, munera carnalia non poterant perfectum reddere ſeruientem in lege,iuxta perfectionem mentis:quia non valebant mẽtem iuſtificare,dum non tollebant grauiora peccata.Neminem enim ad perfectum adduxit lex.Sed in quibus ex maxima parte mundatio legis conſtabat,ſubſequenter oſtendit,inquiens *ſolummodo in cibis & potibus & variis baptiſmatibus,& iuſtitiis carnis* ſubaudis:videbatur perfectum facere

facere ſeruientem, *vſque ad tempus correctionis*, id eſt,meliorationis & emendationis *impoſitis* iſtis ſcilicet iuſtitiis carnis. Hæ iuſtitiæ carnales in differẽtia ciborum & potuum, ac variorum baptiſmatum ſiue lauationum vſque ad tempus dominici aduentus impoſitæ fuerunt, ſicut & reliqua quæ agebantur in figura. domino autem adueniente correctæ ſunt,hoc eſt,emẽdatæ,ac in melius mutate.Nam per munda animalia quæ lex præcepit vt edantur, ſignificantur munda opera: per immunda verò animalia, immunda opera intelliguntur, à quibus abſtinendum eſt. Per potus vero mundos,doctrinam eccleſiaſticorum virorũ: per immundos verò, doctrinam hæreticorum nihilominus debemus accipere. De baptiſmatibus verò Iudæorum plenius in euangelio Marci legitur,vbi vituperabant phariſæi dominum & diſcipulos eius:non lotis manibus manducare. Omnes enim lauationes illorũ, nomine baptiſmatũ deſignantur.Aliquãdo autẽ manus ſolummodo lauant, aliquãdo pedes,aliquãdo totũ corpus, quando aut aliquid immũdum contingunt,aut etiam ſi ad mortuũ accedunt. Sed fruſtra lauant manus corpúſque totũ, dum contemnunt fonte ſaluatoris ablui.Nam quod propheta dicit.Lauamini,mũdi eſtote,& mundamini qui fertis vaſa domini: illi ſolũmodo carnaliter intelligebãt:cum potius de lauatione baptiſmatis Chriſti & munditia operum dictum ſit. Iſta omnia impoſita erant vſque ad tempus correctionis:hoc eſt,vſq; ad tempus dominici aduentus.Poſtea verò immutata ſunt à Chriſto in melius: quia dum carnaliter obſeruabantur,munditiam corporis adimplebant.dum verò ſpiritaliter cœperunt obſeruari,munditiam animæ pariter cœperunt operari. *Chriſtus autem aſsiſtens pontifex futurorum bonorum,peramplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt,non huius creationis.* Pontifex Iudæorũ qui ſemel in anno cum ſanguine introibat intra velum in Sancta ſanctorũ oraturus pro populo,Chriſtum ſignificabat, ſicut iam multis in locis declaratum eſt:qui cum ſanguine paſsionis ſuæ reſerato cælo ingreſſus eſt ſecreta patriæ cæleſtis, vbi nũc aſsiſtit vultui dei patris,orans pro nobis. Pontifex autem futurorum bonorum,duobus modis appellatur. Futura enim bona quæ nobis ipſe adminiſtrauit,fuerunt verba cæleſtia,paſsio illius,reſurrectio,baptiſmus, remiſsio pecca-

torum,perfectáque iustificatio:quæ idcirco futura bona appellabantur,vel quia mysteriis præfigurata sunt, vel etiam quia prædicta sunt in diuinis oraculis. Altiori autē intellectu futura bona possumus accipere gaudia patriæ cælestis, quæ nobis per Christū administrata sunt. Vnde & pōtifex appellatur,eo q̄ pōtem.i.viam iustitiæ, viámque ad patriā cælestem ascendendo nobis exhibuerit. Alia translatio habet, Christus aduenies pontifex futurorum bonorū. Nisi enim aduenisset,nequaquā hæc futura bona nobis administrasset,neq; assisteret vultui dei patris pro nobis. Notandúmq; quia non dixit simpliciter apostolus illum assistere, sed per tabernaculum vsus etiam cōparatiuo gradu, dicēs: Per amplius & perfectius. Tabernaculum autem per quod assistit deo patri,humanitas illius est: quoniā nisi homo fieret,nequaq̄ deo patri assistere posset. Tabernaculum ergo corporis dominici,amplius est tabernaculo Moysi, tabernaculo quoq; Salomonis, quia illa manibus carnaliū hominum facta sunt: hoc verò intra vterū virginis sine semine virili,totius trinitatis opere effigiatū est. Siue in hoc est amplius & maius illis tabernaculis,quia diuinitas verbi, q̄ tota nō potest cōprehēdi in tabernaculo manufacto, in illo homine plenissime requieuit, Perfectius siue sanctius in hoc est illis tabernaculis,quia cū neutrū illorū sibi ministrātes sanctificare perfectōsq; facere posset,istud tabernaculū ad se accedētes & à peccatis mundare, & perfectos facere potest. Quod dixit nō manufactū,exposuit ipse,dicēs,id est non huius creationis cuius nos sumus, quia nō fuit semine virili cōceptū. Iste est lapis quē vidit Daniel abscissum de monte sine manibus,hoc est,de populo Iudæorum,datū sine semine virili & coitu masculino. *Neque per sanguinē hircorum aut vitulorum,sed per proprium sanguinem semel introiit in sancta,æterna redemptione inuenta* non cum sanguine legalium animaliū,à quo perfecta iustificatio nō poterat dari: sed cū sanguine passionis suæ introiuit in patriā cælestē: quo sanguine omnes sunt redēpti,perfectéq; iustificati, nō tēporali,sed ęterna redēptione. De hac redēptione dicitur *Luc.1.* per Zachariā patrē beati Ioannis. Visitauit nos,& fecit redemptionē plebis suæ. Redēptio autem ad captiuos pertinet: & nos captiui eramus captiuati à diabolo in primo parente nostro, *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis*

cinis vituli aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis,quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum deo viuenti? Si sanguis animalium irrationabilium poterat carnem mundare, & (sicut tunc temporis videbatur) sanctificabatur si quis immūdus aspersus fuisset illo sanguine: multo magis sanguis Christi poterat mundare animam nostram, & plenissime iustificare. Sed ne quis putaret plenam iustificationem & emundationem prouenire aspersione illius sanguinis legalis,subintulit Apostolus carnis emundationem secundū legem per illum dari,quasi dicat. Sanctificatur quidem caro & mundatur propter legis præceptum, sed tamē anima nō expiatur. Addidit quoq; differentiæ causam, per quam demonstrauit illum sanguinē animalium non esse immaculatum,dicens de Christo: Qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum deo. Spiritus sanctus, qui repleuit illum hominem in vtero virginali, custodiuit eum vt absque peccato ab hoc mundo transiret, essetq; immaculatum sacrificium in odorem suauitatis deo patri. Emundabit conscientiam nostram.i.mentem nostrā ab operibus mortuis. Opera mortua sunt peccata,quæ animā occidunt. Sicut enim anima viuit virtutibus,quæ opera vitæ appellātur: ita moritur vitiis & peccatis, simúlq; trahitur ad mortē æternæ perditionis. Et bene dixit ab operibus mortuis,si quis enim in lege tangebat mortuum, polluebatur: tamen aspersione sanguinis postea mundabatur. Similiter qui imitatus fuerit opus mortuæ animæ,inquinatur, tamē per fidē dñicæ passionis mūdatur. Qui enim tetigerit picē,inquinabitur ab ea:tamen per fidē dominicæ passionis mundabitur,hoc est, si per pœnitentiā & gratiam baptismatis quis fuerit ablutus ab operibus mortuis, si eadem iterum attigerit,cōtaminatur. Sequitur. Ad seruiendum deo viuenti. Hic apertissimè ostēditur, quia opera mortua habentes nō possunt seruire viuo & vero deo,quia illi mortui sunt & fallsi. Si enim qui mortuum aut aliquod immundum tangebat, non oportebat eum intrare in templum: quanto magis quis opera mortua habens, non poterit intrare in cælum? *Et ideo noui testamenti mediator est, vt morte intercedente,* siue interueniente *in redemptionem earundem præ-*

uaricationum quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat seu interueniat *testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin,* id est, aliter *nondum valet* firmum esse testamentum *dum viuit ille qui testatus est.* Leges humanas hic videtur Apostolus tangere, quæ solent testamentum quod alter alteri de hæreditate sua facit, infirmum facere, quousque testator ipsius testamenti morte interueniente discesserit: mortuo verò illo testatore qui testamentum fecit, omnino iam firmum manet. In hunc modum testamentũ vitæ æternæ quod à Christo accepimus, non aliter nobis firmum manere poterat, nisi ipse morte sua illud roborasset. Tantum enim erat peccatum nostrum, vt aliter non potuissemus redimi & saluari, nisi vnigenitus dei filius pro nobis moreretur. Et quia ad illud consequendum quod ille promiserat, indigni eramus, ipse nobis morte sua mediator factus est, vt per morté suam indebitam, illam quæ nobis debebatur, auferret. Et quia fortasis poterant multi minus perfecti dubitare de promissionibus domini, maxime eo ꝙ mortuus est quasi infirmus, beatus Apostolus exponit exempla ex communi consuetudine legum humanarum, ostendens quia non viuentibus testatoribus, sed morientibus firmãtur testamenta, fortitudinémque accipiunt, Quandiu enim viuit testator, potest immutare sententiam suam, & alios atque alios hæredes adducere in hæreditatem suam. Quapropter volens Apostolus monstrare firmum esse testamentum quod Christus nobis dimisit, dicit, Ideo Christus noui testamenti mediator est, vt morte sua interueniente in redemptionem illarum præuaricationum quæ non poterant auferri & deleri in priori testamento, deletæ sunt autẽ per eius passionem, repromissionem æternæ hæreditatis accipiant illi qui vocati sunt æterna vocatione. Nã non loquitur hic de generali vocatione, de qua dominus ait, Multi sunt vocati, sed pauci electi: sed de illa de qua idem egregius prædicator loquẽs, ait de electis dei: quos præsciuit, hos & prædestinauit: & quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, illos & iustificauit: & quos iustificauit, illos & magnificauit. Titulũ autẽ æternæ hæreditatis ex parte in præsenti seculo iã possidemus nobis à domino datũ, euangelium videli-

Matt.10. *Roma.8.*

videlicet illius, quod obseruatores suos æternaliter cũ deo facit viuere, subministrãs gratiã spiritus sancti, remissionẽ peccatorũ, cognitionẽ suã, & pacẽ quã nobis reliquit pergens ad passionẽ suam. Pacẽ, inquit, relinquo vobis. Istum quidẽ titulũ hæreditatis quasi arã in præsenti habemus, sed perfectius nobis supplebitur, cũ erit deus omnia in omnibus, cum tradiderit Christus regnũ deo & patri, cum fuerimus perducti ad gaudia patriæ cælestis, in qua futuri sunt electi sicut angeli dei in cælo, videntes deum sicuti est. & hæc erit perfecta hæreditas electorum, quam Christus in morte sua confirmauit. *Vnde,* hoc est, quia testamentum in mortuis confirmatur *nec primum quidem testamentum sine sanguine dedicatum est,* id est, confirmatum & consecratum.

Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit, dicens. Omnia ista in figura agebantur. Nam vitulus ille, qui plerunque hostia sacerdotis erat, Christũ significabat, qui verus sacerdos existens, vitulum, hoc est semetipsum obtulit deo patri in ara crucis. Iste est vitulus, quem pius pater mactauit pro reuersione filij prodigi. Hircus quoque qui pro peccato offerebatur, eundem Christum significabat, qui pro peccatoribus oblatus est, iuxta quod idem Apostolus alias ait: Eum qui non nouerat peccatum deus pater pro nobis peccatum fecit, hoc est, hostiam pro peccato. Quòd enim vetus testamentum sanguine respersum est ad confirmationẽ, similiter & populus, typicè significabat sanguine passionis Christi nouum testamentũ confirmandum, & populum credentem mundandum. Aqua autem qua populus aspergebatur, aqua est baptismatis, qua fideles perfunduntur. Lana coccinea charitatẽ Christi significat qua pro nobis passus est, & de qua alibi dicitur. Sic deus dilexit mundum, vt filium suũ vnigenitum daret pro mũdo. Hyssopus herba est humilis in petra nascẽs, per quã humilitas designatur Christi, & fortitudo, qua interiora nostra purgãtur. Nam huius herbe genere pulmonũ vitia purgari solẽt. Potest & per hyssopũ pœnitentia accipi, quæ fortiter peracta interiora vitia mentis purgat. *Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos deus* ac si diceret. Hæc est cõfirmatio huius testamenti, quod mandauit ad vos deus. Iste

Lucæ.15. *Leui.9.* *1.Cor.5.* *Ioan.3.*

sanguis præfigurabat illum sanguinem qui de latere Chri
sti in cruce manauit. Hoc sanguine Christus & nos aſper-
Mat.26. sit,& teſtamentum ſuum cõfirmauit,ſicut ipſe dixit. Hic eſt
sanguis noui teſtamenti in remiſsionem peccatorũ. *Etiam tabernaculum & omnia vaſa myſtery ſanguine ſimiliter aſperſit.* Tabernaculum illi intelligendi ſunt, de quibus per pro-
phetam deus loquitur dicens,Inhabitabo in illis, & inam-
bulabo. Et de quibus Apoſtolus alibi dicit: Templum enim
dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Vaſa verò diuerſa, fideles
ſunt in eccleſia, diuerſa officia habentes. Quidam etenim
ſunt vaſa prædicationis,ſicut Apoſtolus, de quo dominus
1. Cor.12. ad Ananiã ait: Vas electionis mihi eſt iſte. Quidam verò di
uerſos gradus ac varia officia habent, quæ idem egregius
prædicator cõmemorans ait: Alij datur per ſpiritum ſermo
ſapientiæ,alij ſermo ſcientiæ,alij prophetia, alij gratia ſa-
nitatum: & alij atque alij diuerſa dona habent,quæ ſingu-
lis diuidit ſpirituſanctus prout vult. Tabernaculum ergo
& omnia vaſa illius ſanguine aſperguntur,quia vniuerſalis
eccleſia cum omnibus ſibi miniſtrantibus ſanguine paſſio-
nis Chriſti mundatur. Sequitur. *Et omnia penè in ſanguine mundantur ſecundum legem: & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſsio.* Quare dixit penè in ſanguine mundari omnia ſe-
cundum legem? Quoniam illis non erat perfecta munda-
tio,neque perfecta remiſsio. Corpora enim quantum ad le
gem pertinet, mundabantur aſperſione ſiue effuſione ſan-
guinis animaliũ,leuiáque peccata relaxabantur: ſed in hoc
quód maiora crimina non tollebat, neque perfectum ho-
minem reddebat,non erat perfecta mundatio. Perfecta au
tem mundatio & remiſsio in ſanguine Chriſti conſiſtit,qui
pro nobis effuſus eſt in remiſsionem peccatorum,ſine cu-
ius ſanguinis effuſione nemo redimitur. *Neceſſe eſt ergo exẽplaria quidem cæleſtium his* ſacrificiis & aſperſionibus *mun-dari. Ipſa autem cæleſtia,melioribus hoſtiis* mundantur *quam iſtis.* Sacrificia legalia,exemplaria,id eſt, figuram & ſimilitu
dinem vocat. iſta autem quæ modo in eccleſia in veritate
celebrantur,cæleſtia appellat,id eſt,ſpiritalia,quoniam ſpi
ritualia ſunt,& ſpiritualiter agenda: ſiue cæleſtia, eo quòd
illos qui in veritate ea celebrant, ad cæleſtia perducant.
Exemplaria,inquit,cæleſtium myſteriorum, ac rerum quæ
in lege agebantur in figura iſtorum quæ modo in eccleſia
complen-

complentur, neceſſe erat mundari talibus ſacrificiis typi-
cis, & aſperſionibus figuratiuis, quia non habebantur
vera: ipſa autem cæleſtia, id eſt ſpiritalia quæ in veritate
modò in eccleſia celebrantur, melioribus hoſtiis mun-
dantur quam iſtis legalibus: ſanguine videlicet paſſio-
nis Chriſti. nam quia quærebantur vera ſacrificia, quibus
perfectè potuiſſent homines mundari,nec inueniebantur,
neceſſe fuit tam diu manere illa, quouſque vera aduenie-
rent. *Non enim in manufacta facta Ieſus introiit exemplaria ve-rorum,ſed in ipſum cælum,vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Non introiit,inquit,Ieſus in manufacta ſancta, ſubaudis,
quæ ſunt exemplaria verorum. Manufacta appellat Sancta
ſanctorũ,quæ primùm manibus Beſeleel facta ſunt in ere
lomonis,in quæ nõ introiit Ieſus,ſed in ipſum cœlũ,quod
non eſt manibus hominum factum,ſed iuſsione & volun-
tate verbi dei extenſum. Igitur illa fuerunt exemplaria &
figuræ verorum,quia iſta vera Sancta ſanctorum præfigu-
rabant. quæ Chriſtus ſemel introiit. Introire autem dici-
mus Ieſum ſecundum id quòd homo eſt. Nam ſecundum id
quòd deus eſt,vbique eſt,& omnia implet: nec in manufa-
cta hominum introiit ſed in ipſum cœlum, iuſsione dei
creatum. Nec hanc ſolam differentiam oſtendit,ſed etiam
pontificem proximum primum factorem, vt appareat,in-
quit,vultui dei pro nobis,hoc eſt,vt ſeipſum exhibeat præ-
ſentiæ paternæ,nobiſque illũ propitiũ reddat. Vnde Ioan-
nes dicit, Aduocatum habemus apud patrẽ Ieſum iuſtum, 1. Ioan.2.
& ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. *Neque enim vt ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex intrat in ſan-cta ſanctorum per ſingulos annos in ſanguine alieno, alioquin o-portebat eum frequenter pati ab origine mundi.* Non eſt Chri-
ſtus ad hoc ingreſſus in ſancta ſanctorum, vt ſæpe ſemet-
ipſum offerat,quemadmodum pontifex Iudæorum ingre-
diebatur in ſancta ſanctorum per ſingulos annos: neque
cum ſanguine alieno, ſed cum ſuo, quoniam ipſe qui ſa- Rom. 6.
cerdos eſt & ſacrificium,ſemel ſeipſum obtulit in ara cru-
cis: at verò reſurgens à mortuis iam non moritur,mors illi
vltrà non dominabitur: nec eſt neceſſe vt amplius moria-
tur, quoniam ad ſalutem omnium credentium ſatis ſufã-
cit vna paſsio eius. Alioqui, hoc eſt,ſi aliter eſſet, vt ſemel

passus non prodesset omnibus, sæpius oporteret eum crucifigi ab origine mundi, hoc est, quot fuerunt electi, & quot futuri sunt, pro singulis mori illum oporteret, si eos redimere vellet: sed noluit nisi tantum semel mori, quia vna morte illius redemptio facta est. *Nunc autem semel in consummatione* hoc est, in fine *seculorum* in nouissima ætate *ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit*, hoc est, per corpus suum, quod fecit hostiam pro peccato. Semel, inquit, in fine seculorum ad hoc apparuit, vt per hostiam suam destrueret peccatum. Meritò tunc apparuit, quando multa erant peccata, vt ostenderet diuitias gratiæ suæ. Si enim in principio fieret, fortasis nullus crederet, & hoc semel in consummatione seculorum, per proprium sanguinem, non per alienum, *Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium, sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: secundò sine peccato apparebit expectantibus se in salutem.* Sicut hominibus statutum & decretum est vt non possint mori nisi semel, postea autem accipiant iudicium, hoc est prout vnusquisque gesit in corpore, siue bonum, siue malum, sic & Christus semel oblatus est à semetipso ad multorum tollenda peccata, nec potest amplius mori, sed nec indigemus. Notandum autem ad multorum tollenda peccata illum esse oblatum, & non omnium, quia non omnes crediturí sunt. Tale est quod & ipse dominus Apostolis ait: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionē peccatorū. Quod autem sequitur, secundò sine peccato apparebit expectantibus se in salutem, tale est ac si diceret: Primum quidem ille apparuit per hostiam suam, hoc est per corpus mortale, quod fuit hostia pro peccato: secundò autem apparebit sine hostia pro peccato, quia iam non erit hostia pro peccato, sicut prius fuit. Non enim poterit deinceps mori. Sicut enim vnusquisq; nostrum post mortem recipit iuxta opera sua, ita Christus deuicta morte, & adepto regno: secundò apparebit expectantibus se in salutem: vt iustè vindicet suos, qui iniustè passus est ab alienis. Melior est hæc apparitio expectantibus se in salutem, quàm communis visio, de qua dicitur, Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Hoc est ergo secundò apparere sine peccato, iam

Apoc. 1.

iam non videri in similitudinem carnis peccati, sed nec aliorum peccata portantem in corpore suo super lignum, sicut in primo aduentu fecit, nec interuenire amplius pro peccatis, sed vindictam exercere in peccantes.

CAPVT X.

Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere. Ordo verborum est, Habens lex vmbram futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, nunquam potest accedentes ad se perfectos facere eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter per singulos annos. Futura bona duobus modis intelligenda sunt, videlicet vel sacramenta quæ in veritate in Christo & in ecclesia completa sunt, quæ futura erant vt venirent: vel etiam gaudia patriæ cælestis. Vmbram autem vocat figuram & similitudinem, imaginem autem pro veritate ponit. Multifariam igitur sacramenta Christi & ecclesiæ per figuram ostēdebat, donec veniret ipsa veritas Christus, qui interiorem eiusdem figurę sensum data gratia spiritussancti ecclesiæ suæ patefaceret, simúlque moriendo in cruce, omnia illa sacramenta reuelaret. Nunquam autem potuit accedentes ad se perfecte mūdare eisdē ipsis hostiis quas semper offerebant ipsi sacerdotes per singulos annos. Easdem enim ipsas hostias irrationabiles offerebant omnibus annis, arietes videlicet, boues hircos, turtures, & colūbas. Sequitur *Alioquin cessassent offerri, ideóque nullam haberent vltrà conscientiam peccati cultores illius semel mundati. sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit* Alioquin, hoc est, si ab omnibus essent liberati peccatis, cessassent offerri illæ hostiæ, eò quòd nullam haberent vltrà conscientiam, id est memoriam & recordationem peccatorum illorum à quibus cultores illius semel mundati essent. Sed quia hoc non potuit fieri, & nunquam potuerūt maiora & criminalia peccata illis sacrificiis mundari, fit per singulos annos cōmemoratio peccatorū in ipsis hostiis, verbigratia. Si obtulisset quis præsenti anno hostias pro peccato adulterij, aut sacrilegij, aut patricidij, necesse erat vt omnib⁹ annis id ageret, quoniā non poterat perfecte expiari ab illo piaculo. Proinde accusatio peccatorum fuit quod fiebat, non

solutio infirmitatis. nō virtutis ostensio. In eo enim quòd semper offerebantur, redargutio peccatorum erat. In eo autem quòd semper erat necessaria redargutio infirmitatis eiusdem sacrificij, propter hoc, inquit, oportuit semper offerri propter infirmitatem, quia non poterat perfecte mundare: & vt memoria & redargutio peccatorum fieret. Quid ergo dicendum est? Nunquid & sacerdotes nostri quotidie idem non agunt dum offerunt assidue sacrificiū? Offerunt quidem: sed recordationē facientes mortis eius. Et quia nos quotidie peccamus, quotidie indigemus mundari. Et quia ille non potest iam mori, dedit nobis hoc sacramentum corporis & sanguinis sui, vt sicut passio illius redemptio & ablutio fuit mundi, ita etiam ista oblatio, redemptio & mundatio sit omnibus in vera fide offerentibus, bonamq; intentionem habētibus. In hoc enim differt ab illo veteri sacrificio sæpius repetito istud nostrum quod similiter repetitur, quia istud est veritas, illud figura, istud perfectum reddit hominem, illud minime: & istud nō causa infirmitatis suæ repetitur, quasi non possit perfectā cōferre salutem, sed in commemorationem passionis Christi, sicut ipse dixit: Hoc facite, inquiens, in meam cōmemorationem, & vna est hæc hostia, non multæ sicut illæ erant. Quomodo vna est, & non multæ. cum & à multis & diuersis in locis diuersisque temporibus offeratur? Attentissime ergo animaduertendum est, quia diuinitas verbi dei, quæ vna est, & omnia replet, & tota vbiq; est: ipsa facit vt non sint plura sacrificia, sed vnum sacrificium, licet à multis offeratur: vt sit vnum corpus Christi cum illo quod suscepit in vtero virginali, non multa corpora: Nec nūc quidē aliud magnū, aliud minus, aliud hodie, aliud cras offerimus, sed semper idipsum æquam magnitudinē habes. Proinde vnū est hoc sacrificium Christi, non diuersa, sicut illorum erāt. Nam si aliter esset, quoniam in multis locis offertur, multi essent Christi, Vnus ergo Christus vbique est, & hic plenus existens, & illic plenus, vnum corpus vbique habens: & sicut qui vbique offertur, vnum corpus est, non multa corpora ita etiam & vnum sacrificium. Sequitur *Impossibile enim est sanguine taurorū & hircorum auferri peccata.* Quæ ratio esse poterat, vt rationabilis homo sanguine irrationabilis animalis mūdaretur? Quapropter etsi leuiora peccata

cata per illa sacrificia purgabantur, corpúsque mundabatur, quantum ad legem pertinet, tamē impossibile erat criminalia & grauiora peccata illis sacrificiis mūdari. Vnde neminem ad perfectum adduxit lex. *Ideo ingrediens mundū, dicit: Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam deus voluntatem tuam.* Anteriores hostiæ ostendūtur his verbis inutiles esse ad integram perfectamq; mundationem, & forma magis fuisse, nec esse acceptabiles deo, quoniam ab initio nō placuerunt ei. Non est putandum quòd omnipotens deus nidore carnium & cōcrematione animalium vnquam delectatus fuerit, (licet legatur odoratus esse odorem suauitatis) sed fide & desiderio offerētis. Vnde & per Hieremiā dicit: Holocaustomata vestra nō sunt mihi accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi. & per Isaiam: Ne offeratis (inquit) vltrà sacrificium mihi, incensum abominatio est mihi. Qui mactat bouem, quasi qui excerebret canem. Sed quæstio hinc potest oriri non modica, quare imperauerit vt offerri debuissent, si illi non placuerunt, nec voluntatis illius fuit? Quæ gemina solutione potest solui. Considerans deus omnipotēs animos Iudæorū pronos ad idola colenda, & ritum gentium imitandum, imperauit eis multa & grauia sacrificia offerre, ne otiosi sine sacrificiis sedētes, in cultum deorū alienorum, cum vidissent alios offerre, incideret: maluitq; sibi offerri à se creata, quā idolis, dæmoniorumq; portentis, impositisq; illis in seruitutem, non iustificationē: quia non est eius voluntas talia offerri tali modo & egregius prædicator, vtpote creatura creatorē sequēs, suis in dictis peregit: dicēs: Volo oēs homines esse sicut meipsum, id est, castos & cōtinētes. & iterū: Volo (inquit) iuuenes nubere, filios procreare, propter fornicationē & adulterium. Ecce duas voluntates constituit, sed tamen non sunt eius ambæ. Primùm dicens: Volo omnes homines esse, incontinentia, sicut meipsum, volūtatem suam expressit. Secundò verò, Volo iuuenes nubere: indigentiæ causa taliter locutus est propter fragilitatem carnis. Similiter non erat voluntas omnipotentis dei talia sacrificia offerri, sed propter infirmitatem illorum præcepit. Vnde superius dixit, quia nō solum nō voluit, sed nec deside-

Hiere. 6. *Esaiæ. 1.* *1. Cor. 5.* *1. Tim. 5.*

rauit. Potest & ita resolui, vt quia futurum erat verum sacrificium per Christū in ecclesia, præceperit typica & figuratiua sacrificia præcedere. Et reuera ita necesse erat, vt sicut verbis prænuntiabatur, ita etiam & mysteriis præsignaretur, quatenus à figura citius transirent ad veritatem. Sed quia illi non placuerunt illa sacrificia, aduenit iterū de quo Apo. ait. Ideo (inquit) quia impossibile erat sanguine hircorū auferri peccata, & quia nō placebant deo talia sacrificia: ingrediens mundū (non dubiū est quin Christus) dicit. Ingressio autē ista, nihil est aliud nisi missio eius, apparitio eius videlicet humanitatis. Quando enim qui vbique præsens erat, sed tamē inuisibilis factus postea homo visibilis mūdo apparuit: quodāmodo vbi erat, illuc ingressus est. Et quid dicit deo patri? Hostiā, inquit, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. illud tibi offerā sacrificium acceptū. Holocaustomata & pro peccato nō tibi placuerunt. tūc dixi, Ecce venio, per incarnationis mysterium, vt meo sacrificio redimā genus humanum. Holocaustum dicebatur eò quòd totum cremaretur in altari, quasi totum incensum. Nam holon dicitur totum, caustum verò incensum. Sed si holocaustomata pro peccato ei non placebant, quæri potest quomodo mundabantur. Ad quod respondnedū est, quia fide & pœnitentia digna mūdabantur, sicut mundatus est Dauid à peccato adulterij atq; homicidij. Perfecta autem mūdatio in Christi aduentu data est. In capite libri scriptum est de me, vt faciam deus volū-
Gene. 1. tatem tuā. De huius libri capite diuerse à doctoribus disputatur. Quidam enim intelligūt hic initium Geneſis, vbi scriptum est, quòd in principio. i. filio fecerit deus cælum & terram. Quidam primum Psalmum, quem quidam referunt ad Christū. Quidam ad quemlibet electum, in quo dicitur. In lege domini voluntas eius. Sed quia in his nihil de morte Christi præfiguratur, de qua Apostolus sermonē per totum hunc locum habet, melius videtur intelligi de Leuitici libri initio dictum, qui liber cū totus de sacrificiis & hostiis cōtineatur primum sacrificium de vitulo præcipit offerri, dicēs: Si quis ex vobis hostiā offert domino de pecoribus, masculum immaculatum offerat, hoc est, vitulum de bobus, siue de armēto. Vitulus iste de bobus assumptus, atq; in sacrificiū oblatus, Christus est, de genere patriarcharum

rum ortus, ac pro salute generis humani immolatus. Dicit ergo Christus ad patrē: Quia sacrificia irrationabiliū animalium tibi non placent, eò quòd perfectè hominem mūdare nō possunt, ecce venio in mundum per incarnationis mysterium. In capite etenim libri Leuitici scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam, hoc est, vt moriar pro salute generis humani. Voluntas enim dei patris fuit, vt filius sua passione genus humanum redimeret. Vnde ipse filius appropinquans suæ passioni dixit: Sed vt cognoscat mūdus quia diligo patrē, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio: surgite, eamus hinc, ad passionem. *Superius dicens, Quia hostias & oblationes & holocaustomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur, tunc dixit: Ecce venio vt faciam deus voluntatem tuam aufert primum* subaudis testamentum, dum eius oblationes respuit *vt sequens* testamentum *statuat*, id est, stare & permanere faciat. *In qua voluntate* dei patris quam filius adimpleuit, *sanctificati sumus* in baptismate *per oblationem corporis Iesu Christi semel* Quod dicit Semel, tale est ac si diceret: Sanctificati sumus in baptismate per passionē quam Christus celebrauit semel, *Et omnis quidem sacerdos legis præsto est* altari *quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata* subaudis criminalia atque capitalia. *Hic autem* haud dubium quin Christus *Vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera dei, de cætero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius* Ministrare siue offerre, signum est ministrationis, per quod intelligitur humilitas Christi: at verò sedere, signum est iudicantis & dominantis, & vt ei ministretur: per quod ostenditur exaltatio & gloria filij dei, qui humilis quidem apparuit, nunc autem exaltatus super omnem creaturam, habitat in plenitudine paternæ maiestatis, expectans & considerans tempus de reliquo, quando iudicet orbē terræ. Et cuius rei causa fiat ista dilatio, exponit dicens, vt ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Inimici eius sunt Iudæi, hæretici, & falsi Christiani, omnes infideles, qui subiiciendi sunt potestati illius. hic enim & necessaria potest subiectio intelligi, quæ pertinet ad reprobos in nequitia permanētes: & voluntaria, quæ pertinet ad electos, qui deserentes viam nequitiæ, sponte se subdunt Christo

per fidem. Illi sacerdotes Iudæorum multas quotidie offerendo hostias, non poterant auferre peccata: Christus autem semel semetipsum offerens, abstulit peccata mundi, & sedet nunc in gloria Dei patris. *Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos*, id est semel se offerēs, perfectos fecit sanctificatos in sempiternum. *Contestatur autem nos & Spiritus sanctus, postquam enim dixit, Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos, dicit dominus, dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas, & peccatorum & iniquitatum eorum iam non recordabor amplius.* Contestatur, inquit, nos & Spiritus sanctus, id est, testimonio suo verba nostra confirmat, non solum per Psalmistam, sed etiam per prophetam, quia illæ hostiæ iam non sunt offerendæ. In sequentibus verbis defectus sententiæ est satis necessarius, quapropter dicatur ita: Post quam enim dixit omnipotens deus per prophetam Hieremiam, Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos, dicit dominus, Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas, statim subintulit: Et peccatorum eorum non memorabor amplius, ostēdens iam non fore dienceps necessarias hostias figuratiuas: quod etiam Apostolus manifestat dum subdit. *Vbi autem horum* peccatorum *remissio, iam non est necessaria oblatio pro peccato* Nam postquam hoc testamentum adimpletum est quod deus per prophetam promittebat, statim illæ hostiæ finem acceperunt, quia veniente veritate vmbra discessit. Notandum autem, quia vbi recordatio peccatorum non est, quæ in baptismate per fidē dominicæ passionis dimittuntur, iam non est necessaria oblatio legis pro peccato. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum dei.* Hactenus ostendit pontificis & hostiarum, tabernaculi quoque & testamenti & repromissionis distantiam, multāmque differentiam: nunc inuitando hortatur accedere ad ea quæ per Christum in veritate nobis aduenerunt, dans autoritatem de magno pontifice, dicens: Propterea (inquit) plus habemus fiduciam per sanguinem Christi mundari, quam illi qui carnaliter hostias offerebant: quia hostia nostra vera & rationabilis est. Intantum

tum enim maiorem fiduciam habemus in ingressu cælorū per sanguinem Christi, inquantum magis cohæredes effecti sumus. Nullus autem ad dona spiritus sancti peruenire valebit nisi per fidem siue fiduciam, id est per viam nouam & viuentem quam initiauit nobis Christus, hoc est, initium vtendi dedit: viam vero nouam dicit fidem nouam, quæ per Christum data est, siue exemplum humiliatis, per quod ipse perrexerit, humilians semetipsum vsque ad mortem. Possumus & nouam viam accipere aditum patriæ cælestis nobis per Chtistum reseratum: qui idcirco noua via appellatur, quoniam nulli antea gressibilis fuit. Dicendo autem nouam, conatur ostendere cuncta maiora noua nos habere. Siquidem nūc aperta est nobis via fidei per quam plenissimam iustificationem accipimus, & apertæ sunt nobis portæ cæli, quod nemini antea concedebatur. Viuentem quoque appellauit eam, hoc est, semper manentem, seu semper patentem, quoniam & fides recta æternaliter manebit, & porta cæli semper patebit. Initiauit autem hāc viam nobis Christus, id est, dedicauit & confirmauit seu initium vtendi dedit per velamen, id est per carnem suam: idemque primo secauit illam viam ascendendo ad patriam cælestem, & ipsa prima initium nobis dedit vtendi. Caro autem dominica non incongruè velaminis nomine designatur, quia sicut velum celabat aream, & ea quæ intra illam erant, ita intra illam carnem diuinitas verbi Dei latebat: & sicut per velamen peruenichatur ad interiora, ita per humanitatem peruenitur ad diuinitatis cognitionem. Sacerdos autem magnus super domum Dei, Christus intelligitur, qui est à deo patre constitutus super ecclesiam, iuxta quod ipse dicit, Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Sequitur. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei asperſi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda.* Ex superioribus ista pendent, vbi dixit beatus Apostolus. Habentes itaque fratres fiduciam in ingressu sanctorum per sanguinem Christi, accedamus ad eum cum vero corde. Quid esset in vero corde accedere ad Christum, exposuit subiungens, In plenitudine fidei, vt credamus resurrectionem generalem futuram, quasi diceret, Iam quia fiduciam habemus ingredi in patriam cælestem, non

Psal. 54.

debemus hæsitare quòd quorundam sit resurrectio; quorundam verò non, sed vera fide debemus credere omnes homines resurrecturos, quosdam ad gloriam, quosdam autem ad pœnam. Nam si quis de hoc hæsitat, non habet veram plenámque fidem. Potest & aliter intelligi. Plena fides est quæ concipitur corde, confitetur ore, & operibus bonis exornatur. Hac fide accedendum est ad deũ, quicunque vult introitum patriæ cælestis sibi reserari. Necesse est etiam vt sint asperſi corda à conſcientia mala. i. munda ti per corda siue mundata corda habentes à peccatis & voluntate mala. simulque ostendit quia non fide sola, sed etiam vita cum virtutibus quæritur, quoniam fides sine operibus mortua est. Iudæi corpora mundabant, nos conſcientiam. Abluti, inquit, corpus, id est ablutum corpus habentes aqua munda, hoc est aqua baptismatis. Idcirco autẽ dicit corpus aqua baptismatis abluendum, quia dum corpus abluitur aqua, spiritu sancto sanctificatur anima *teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem. Fidelis enim est qui repromisit.* Confessionem spei indeclinabiliter tenemus, si non desperamus de patria cælesti, & de omnibus quæ nobis promisit dominꝰ, vel si firmiter ea obseruamus quæ professi sumus in baptismate, Sicut enim fidelis & verus remunerator est Christus in promissionibus suis, ita fideles nos esse vult in promissis nostris quæ vouimus tẽpore baptismatis, diabolo videlicet contradicere, Christóque seruire. *Consideremus inuicem in prouocationem charitatis & bonorũ operum* hoc est, consideremus diligenter inter nos: & quécunque viderimus maioré charitatem habere, & operibus melioribus intentum, prouocemur illius exemplo, quatenus eum summopere imitemur, & in eum intendamus, vt diligamus, & diligamur. Ex dilectione quippe bona opera procedunt. Quapropter magnum bonum est dilectio, nullúmque bonũ quod nõ per charitatem fiat, quia plenitudo legis est charitas *non deserentes collectionem nostram* .i. congregationem fidelium *sicut est consuetudinis quibusdam, sed cõsolantes* subaudis vos *inuicem.* In hoc loco non solũ admonuit, sed etiam culpauit & terruit vnitatem charitatis scindentes. Erant enim multi qui conturbabãt congregationé fideliũ, quasi nõ possent inter illos habitare causa suæ sanctitatis, & deserebãt collectionem illorum habitantes soli.

vt

vt deo liberius viderentur vacare. Isti tales typo superbiæ distenti despiciebant reliquos, & disrumpebant charitatẽ: quod Apostolus vtrumque & admonet, & terret, hortans non deserere societatem fidelium, sed potius cõsolari simpliciores, & suo exemplo confortare. Si enim tantum valet societas fideliũ, vt vbi duo vel tres congregati sunt in nomine saluatoris, ipse sit in medio eorum: multo magis vbi plures sunt fideliũ, Christus eis semper præsens aderit. Sequitur. *Et tanto magis* semper subaudis, sectamini charitatẽ, vósq; inuicem consolamini *quanto videritis appropinquare diem* iudicij, in quo singulorum merita examinabuntur, vel etiam extremum diem vitæ nostræ. Dicit enim alio in loco. Nihil soliciti sitis, dominꝰ prope est *voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis,* id est post notitiam veræ fidei, gratiæq; baptismatis *iam non relinquitur pro peccatis hostia* Sponte peccantibus nobis & deliberatè postquam accepimus agnitionem veræ fidei, & postquam mũdati sumus in baptismate, non reseruatur nobis vltrà hostia pro peccato, quæ pro nobis offeratur, sicut in veteri lege donatũ est hostias sæpius offerre ꝓ peccatis. Neq; enim Christus, qui est hostia nostra, iterum immolandus est pro peccatis nostris. Hoc enim semel factum, & secundo opus non est, sed magis opus est post acceptam gratiam permanere in fide recta, & munditia bonorum operum. Mundatus es in baptismate, liberatus es à criminibus omnibúsq; peccatis, factúsq; es filius dei. Si ad primum vomitũ reuersus fueris, grauissimum te expectat iudicium (sicut sequentia manifestant) nisi per dignã pœnitentiã reuocatus fueris. His autem verbis non pœnitentiã excludit, neq; propitiationem quæ fit per pœnitentiæ medicamentũ, sed secundum lauacrũ baptismi excludit. Non enim ita est inimicus salutis nostrę, vt diceret, nõ est vltrà pœnitẽtia, neq; peccatorum remissio, sed hostia, inquit, vltrà nõ est, hoc est, crux vltrà nõ est secunda, vt iterum Christus crucifigatur, iterumq; nos baptizemur. Nam sicut Christus semel mortuus est, & iam nõ moritur, ita nos semel baptizati in fide mortis eius & sepulturæ, sicut Apostolus aliàs dicit, consepulti cum illo per baptismum in mortem, iam nõ possumus rebaptizari *terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio quæ consumptura est aduersarios.* Aemulatio ali-

V

quando pro imitatione ponitur: aliquando pro inuidétia: hic autem pro cõsumptione & vindicta accipitur. Terret ergo Apostolus omnes, vt metuant post baptismi lauacrũ ad vitia relabi: quia non possunt rebaptizari. Terret etiam vt si peccauerint, pœnitentiam statim studeant agere dignã, quoniam quicunq; pœnitentiæ medicamentũ neglexerit, vindicta & consumptio ignis æterni deuorabit eum. Quapropter vnusquisq; ad pœnitétiæ (dum tẽpus habet) medicamentum confugiat, ne igni tradatur æterno. *Irritã quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus* subaudis conuictus *moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Lex Moysi dicitur, vel quia per Moysen populo data, vel quia Moysi data est à domino, sicut & nos soliti sumus dicere in oratione dominica ad deum, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, non quòd noster antè fuerit, sed cum ab illo datur, noster efficitur. Incutit autem Apostolus terrorem Christianis, sumens comparationem à lege Moysi, quam si quis transgressus fuisset, irritam eam & inanem faciens, duobus vel tribus testibus conuictus, sine vlla miseratione, & venia à iudicibus diiudicatus confestim occidebatur. Dicit ergo: Si ille qui legem, quæ per seruũ data est, transgressus fuerat, sine vlla miseratione occidebatur, quanto magis maiora supplicia sustinebit, qui filium dei conculcauerit? Vtique quanto maior est Christus Moyse, & gratia euangelij per filium data, quàm lex per seruum administrata, tãto maiora merebitur supplicia, qui Christum conculcauerit. Sed quomodo possumus illũ conculcare qui in dextera dei patris sedet, eleuatus super omnes cælos? Dũ enim præcepta illius pro nihilo ducimus, dedignãtes ea implere, tũc vtiq; eũ conculcamus. Sicut ea enim quæ conculcantur, pro nihilo ducimus, & nullius honoris: sic & qui libere peccant, absq; timore & absq; pœnitentia, Christũ cõculcant, siue cõtẽnunt, atq; despiciũt, eũq; iudicẽ futurũ minime formidãt. Vel certe Christũ cõculcat, quicũq; corpus illius indigne percipit. Siue (vt tertio modo dicamus) Christũ cõculcat, qui male viuẽdo de tabernaculo cordis sui eũ expellit, qui dixit, Inhabitabo in illis, & inãbulabo. Sanguinẽ quoque

que testaméti pollutũ ducit, siue, vt in Græco habetur, cõmunẽ siue immũdũ: qui sanguinẽ passionis Christi pro nihilo ducit, quo testametũ nouũ cõfirmatũ est, quo ipse etiã sanctificatus est tẽpore baptismatis. Alio enim modo nihilominus sanguinẽ testaméti pollutũ ducere, est mysteriũ sanguinis Christi indigne percipere, nullãq; differentiam inter illum & reliquos potus facere, cum in illo sanctificatus sit tẽpore baptismatis, & possit etiam quotidie sanctificari, si digne perceperit eũ. De talibus dicit Apostolus: Qui mãducat & bibit indigne, iudicium sibi mãducat & bibit, nõ diiudicans corpus & sanguinem domini, siue discernẽs à reliquis cibis & potibus. Spiritui quoq; gratiæ, id est spirituisancto cõtumeliã facit, qui de tabernaculo, cordis sui male viuendo illum eiicit, vel qui non credit quòd per illũ in ecclesia fit remissio peccatorum: vel certe qui blasphemat illum opera eius denegando, & diabolo tribuẽdo. Vnde dominus dicit: Qui blasphemauerit in spiritum, non remittetur ei neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Qui idcirco spiritus gratiæ vocatur: vel quia per illum nobis gratis dimittuntur peccata: vel certe, quia illo distribuente diuidũtur gratiæ donorum spiritualium fidelibus, quas Apostolus cõmemorat dicens: Et alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, & cætera vsq; dum concludit, dicens: Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem spiritus diuidens singulis prout vult *Scimus enim qui dixit, Mihi vindictam, & ego retribuam* Loquitur omnipotẽs deus per prophetam: Mihi iniuriã & contumeliam facientibus vindictam reddam, & retribuam eis iuxta quod merẽtur, *Et iterum quia iudicabit dominus populum suum*, De inimicis suis hoc dictum est, Ego retribuam eis qui male faciunt: non de his qui male patiuntur, de his videlicet qui negligenter viuunt, & per pœnitentiam se purgare nolunt: sed cum male faciunt, securè ad mensam dominicam accedũt. Populum autem quem dominus iudicare dicitur, dupliciter possumus intelligere, & ad electũ scilicet populũ referre, & ad reprobum. Iudicabit enim dominus populũ suum, hoc est separabit plebẽ suã, & discernet bonos à malis, fideles ab infidelibus. Quod si ad reprobos relatũ fuerit, iudicare pro dãnare accipiendum erit, Populus autem domini appellatur non per gratiam, sed per creationem *Horrẽ-*

Deut. 32.

dum est incidere in manus dei viuentis. Incidit in manus domini, qui iudiciũ hominis contremiscit, & iudiciũ dei paruipẽdit. Incidit quoq; in manus domini, id est in potestatẽ & iudiciũ omnipotentis dei, quisquis post peccatũ cõtemnit pœnitentiam agere. Quicunq; ergo peccator est: si nõ pœnituerit de peccatis suis, incidet in horrẽdũ & valde timẽdũ iudicium omnipotẽtis dei, qui reddet vnicuiq; secundũ opera sua. *Rememoramini autẽ pristinos dies in quibus illuminati magnum certamẽ sustinuistis passionum.* Optimi medicorum cum vulnus secuerint, & per incisionem augmentum doloris fecerint, solatium & remedium illi loco adhibent vbi dolor inest, & perturbatam refouent animam. Postquã autem recreauerint illum, alteram iam non adiiciunt sectionem, quin etiam illa quę secta sunt, medicaminibus mitioribus & valentibus mitigare studẽt, sic & Apostolus, isto in loco more illorũ agit. Postquã enim concussit animos eorũ & cõpunxit mentione gehẽnæ, affirmans omnino disperituros qui gratiæ dei faciunt iniuriam, aliquo modo, & hoc ex lege Moysi, aliisque testimoniis edocens, & dicens metuẽdum esse incidere in manus dei viuẽtis, protinus ne multo timore in desperationem ruerẽt, cõsolatur eos per laudũ blandimenta & exhortationes, reducẽs eis ad memoriã præterita illorum bona opera. Rememoramini, inquit, pristinos dies in quibus illuminati per fidẽ, & confirmati per gratiã diuinã, magnum certamen sustinuistis, ac si diceret. Quãdo introducti estis in fidem, quãdo in initio fidei eratis: tatã fortitudinẽ demõstrabatis, vt magnũ certamẽ passionũ sustinueritis pro Christi nomine à cõtribulibus vestris Iudæis non credentibus, quidã enim expoliati sunt ab aliis nõ credentibus, quidã verò nõ, illi verò qui nõ fuerant expoliati, subministrabant aliis de facultatibus suis. Quapropter cũ hoc agnouissent infideles, multa mala intulerunt vtrisq;. Vnde nõ dixit Apost. simpliciter certamen sustinuisse eos, sed addidit magnũ. nec dixit tentationes, sed passiones *& in altero quidẽ* facto vel opere *opprobriis & tribulationibus: spectaculũ facti* estis: *in altero autem socij taliter conuersantiũ effecti.* Ex parte, inquit, opprobriis, id est contumeliis & irrisionibus seu tribulationibus spectaculum facti estis, hoc est, publicè in cõspectu multorum irrisi: ex parte autẽ altera effecti estis socij in cõpassione taliter

liter cõuersantiũ, Apostolorũ videlicet, & eorum qui sunt expoliati propriis facultatibus, & verberibus afflicti, atq; in carcerẽ retrusi. Duobus modis ostendit eos bene laborasse. s. vel quia publicè cõtumeliis & tribulationibus sunt diuersis afflicti, quod genꝰ humanũ grauius sustinet in cõspectu plurimorũ aliquid inhonestũ, aut verbis aut factis: siue etiã quia positis in carceribus cõpatiebãtur, victũq; ac vestimentũ prout poterãt subministrabãt: Vnde facti erãt eorũ socij, quoniam mercedem & retributionẽ quam precipiet prædicator veritatis pro Christi nomine positus in carcere, aliisq; tormentis afflictus, eãdẽ recepturus est ille, qui ei subsidiũ præbet ne deficiat in tribulationibus: sicut ipsa veritas promisit dicẽs: Qui recipit prophetã in nomine prophetæ, mercedẽ prophetæ accipiet. Notandũq; quia nõ dixit simpliciter tribulationibus afflictos, sed etiã augmentũ fecit dicẽs. Spectaculũ facti estis. Cum enim quis secretè exprobratur, contristatur quidẽ, sed multo amplius si publice, & in cõspectu multorũ. Genus enim humanũ sicut valde delectatur laude publica, sic facilè captiuatur op probriis apertè sibi illatis. Quòd autẽ illi ea exhibuerunt quæ enumeraui mus, apertius iam ostẽdit dum sequitur: *Nã & vinctis cõpassi estis, & rapinam bonorũ vestrorum cum gaudio suscepistis.* Mirabiliter laudat eos in fide, quoniã si fidem nõ haberent meliora se recepturos pro hac substãtia subtracta, nõ cum gaudio suscepissent rapinã eius: Quãdiu enim permissum est eis, cõpassi sunt aliis expoliatis, atq; aliis in carcere positis: expoliati verò cum gaudio susceperunt rapinam & damnum sibi illatũ, credentes se meliora recepturos. Vnde subdit *cognoscentes vos habere meliorem & manentẽ substantiam.* Quasi diceret, videntes diuitias spirituales vobis pro his temporalibus profuturas, sustinuistis cũ gaudio rapinam bonorum temporalium. Hoc autẽ totũ factũ fuit apostolicum opus, & dignũ fortibus animabus, vt flagellis gauderent, sicut in actibus Apostolorum dicitur, Eũtes autẽ à cõspectu concilij ibant gaudentes, quoniã digni habiti sunt cõtumeliã pati pro nomine Iesu. Et vt demonstraret istam temporalem substantiã non esse semper mãsuram, ideo dixit illos meliorem habere substãtiã & manẽtem, prout diceret firmam & substantialẽ atq; perpetuam, quæ perire non possit, sicut ista terrena perit. *Nolite itaque*

amittere confidentiam vestrã, quæ magnã habet remunerationem, id est nolite deficere in tribulationibus: quia magna est remuneratio. Apparet autem quia magnam confidentiã habebant ad deum: quam ne amitterent, instantissimè eos hortatur. Facilius enim iuntegra conseruãtur, quàm amissa recuperantur. Quapropter quod tenetur & formidiné habet, necesse est vt fortitudinem habeat. Nihil, inquit, vobis necessarium est nisi vt stetis firmiter in fide vestra, & permaneatis in fortitudine vestra, quæ magnam habet remunerationem apud deum. *Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem dei faciẽtes reportetis promissionem.* O quàm magna remunerationis & consolationis fiducia, veluti si quis ad athletam ac certatorem hoc diceret, qui cunctos superasset, nullúmq; relictũ haberet, qui sibi decertare posset: verbi gratia, dũ ille diceret: Iam quia omnes superaui, nullúsq; supersit qui mecum decertet, da mihi coronã: poterat illi quilibet dicere. Sustine parũper vsq; dum veniat arbiter, aut etiã rex qui tibi brauium reddat pro victoria tua. Quod si ille athleta impatienter ferret, non tolerans sitim atq; æstuationes, dicens: Aut date quod merui, aut recedã: diceretur illi. Patiẽter sustine hãc morulã, in proximo est vt veniat Rex, qui tibi reddet præmiũ. Isto modo & Apo. hortatur eos ne deficerẽt in laboribus, sed patiẽter expectarẽt domini aduentũ, Patientia, inquit, vobis necessaria est. hoc est, vnum opus habetis, videlicet vt perseueretis in agone, donec recipiatis coronã dignam labore vestro, non enim qui cœpit, coronabitur: sed qui perseueraueritin certamine vsq; in finẽ, hic saluus erit. In patientia (inquit dominus) possidebitis animas vestras. Reportetis, inquit, promissionem, id est accipiatis gloriã sempiternæ beatitudinis. *Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est veniet, & non tardabit.* Qui venturus est veniet, & non tardabit, haud dubium quin Christum significet. Cõsolatur eos tãquam parum sit temporis vsque dum veniet. non modica enim consolatio est laboris, citò sperare iudicem & remuneratorem, constantiam certaminis remuneraturum. *Iustus autem meus ex fide viuit. Quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.* Hoc propheticum testimoniũ intulit Apostolus ad exhortationem fidei in acquisitionem animæ. Sicut enim vita corporis anima, ita vita animæ fides est, quæ videlicet

Abac. 2.

delicet concipitur corde, confitetur ore, exornatur opere, quoniam fides sine operibus mortua est. A qua fide si quis subtraxerit se, non placebit voluntati dei. Nõ est enim putandum quòd deus pater, aut spiritussanctus, aut filius in natura diuinitatis habeat animam, sed morte humano loquens diuina scriptura, nobis consulendo, voluntatem illius, animæ vocabulo exprimit. Considerãdum autem, quia sicut displicebit qui hæsitauerit, ita placebit deo qui crediderit viuens in fide sua recta. Laborastis (inquit) in certamine expectate beatam spem, Nolite dubitare quęrere quę speratis, quia iustus ex fide viuit. *Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei, in acquisitionem animæ.* Non sumus, inquit, ego & vos filij illorum paganorum atque gentilium, qui se subtrahunt à vita fidei & luce sempiterna ad perditionem animarum suarum, sed sumus filij patriarcharum, qui fide probati sunt, & in fide perfecti fuerunt, vt acquirerent sibi suas animas ad salutem, & insuper aliorum suo exemplo.

CAPVT XI.

EST autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Ordo verborum: Est autem fides substantia sperandarum rerum, argumentum videlicet rerũ nõ apparentiũ. Fides est ea credere quæ non videntur, & dom ea credimus in veritate aut fuisse, aut esse, aut futura esse quæ non videmus, ipsa fides facit ea subsistere in corde nostro quasi ante oculos corporis. Iu rbus autem quæ videntur, neque credulitas dici potest, neque incredulitas, sed potius agnitio dicenda est. At verò fids est, ita animum firmum esse de his quæ non videntur, sicut de his quæ iam videntur: & dum hoc fit, fides facit ea absistere in nobis credenda, Verbi gratia, vt ex multis fæm paucis vtamur exẽplis: Resurrectio generalis necdum facta est, & eũ necdum sit in substantia, spes facit eam subsistere in anima nostra, quasi præ oculis eam habeamus. Hoc est quod dixit, fidem esse substantiam illarũ rerum quæ sperantur: necdũq; videtur, Et si argumentum est eademides rerũ quæ necdum apparent, quid est quod eam iam vlunt videre? Arguere dicebant antiqui ostendere, à quo venit argumentum, quasi ostensio & præmonstratio futurarm rerum, & illarum rerum quæ non videntur.

Est autem proprie argumentum, ratio quæ rei dubiæ facit fidem. Profectò ergo liquet, quia fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt. Quæ enim apparent, iam fidem non habent, sicut superius diximus, sed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas, dum palpauit, cui ei dicitur: Quia vidisti me, credidisti? Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali enim homine diuinitas videri non potuit. Hominem quippe vidit, & deum confessus est, dicēs:
Ioan.10. Dominus meus, & deus meus. Videndo ergo credidit: quia considerando verum hominem, deum quem videre non poterat, exclamauit. *In hac enim fide testimonium iustitiæ cōsecuti sunt senes.* Senes hic debemus intelligere patris veteris testamenti, patriarchas videlicet, prophetas, aliósque iustos qui in fide quia crediderunt deo, eiúsque promissionibus, testimonium laudis atque iustitiæ promeruerunt. Vnde Abraham qui credidit deo, reputatum est ei ad iustitiam, & amicus dei appellatus est. Hæc autē fides ita est accipienda, vt credat in corde, cōfiteatur ore, exorneur operibus. Ille enim veraciter credit, qui exercet opeando quod credit. Quod econtra de his qui fidē nomine tenus retinent, Paulus dicit: Confitentur se nosse deū, factis autē negant *fide intelligimus aptata esse secula verbo dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* Quia enim quidam Hebræorū adhuc debiles erant, & à fide quidem initium sumpserunt, ex passionibus autem tribulationum pusillanimes effciebātur, minúsve patienter mala sibi irrogata ferebant, hortatur eos Apostolus primò ex seipso dicens. Rememorami-
ni pristinos dies. deinde ex scriptura diuina dicens, quia
Abac.2. iustus ex fide viuit, deinde autem ex rationibus, ostendens fidem esse substantiam rerum non apparentium. Nunc verò ex progenitoribus incipit loqui, mirabiliter eo in exēplum ponens, quia sicut illi omnes per fidem salati sunt: ita & nos omnes per fidem saluamur. Cum enininuenerit anima in eisdem passionibus socium, requiesset ac respirat. Hoc in fide, hoc in tribulatione qualicunque solet accidere. Valde enim est fragile genus humanum nimiúmque hæsitans in cogitatione: quapropter necessaria est cōsolatio ex præcedentium fide & patientia. Apostolus ergo ex patribus eos quidem hortatur, sed primò ex communi initio, dicens: Manifestum est, inquit, quia non ex stentibus

bus quæ sunt, deus hæc fecit, sed ex inuisibilibus visibilia, ex non existentibus existentia. Ratiocinando hoc inuenire non possumus, quomodo fecerit ex nihilo omnia, vel ex inuisibilibus visibilia, quia non eramus quando facta sunt. Vnde ergo certum habetur? Vtique manifestum est quòd fidei res est ista credere, Fide quippe credimus aptata esse, id est, perfecta seu facta secula, quia non ex visibilibus, sed ex inuisibilibus facta sunt quæ videntur. Inuisibilia autem hic possumus intelligere informem materiam, de qua dicitur in exordio Geneseos: In principio fecit deus cælum & terram. In cæli autem nomine non est intelligendum istud cælum corporale, quod appellatur firmamentum, sed angelica natura, cælique spiritales. Per terram verò intelligitur informis materies, de qua facta sunt postmodum omnia corporalia, quæ tunc quodammodo inuisibilia erant, quando tenebræ erant superfaciem abyssi. Ex inuisibili autem materia facta sunt visibilia, quando per species & formas diuisa & discreta sunt omnia. Potest & alio modo intelligi quod dicit ex inuisibilibus visibilia fieri. Inuisibiliter mūdus antequā formaretur in dei sapientia erat, qui tamē per explerionem operis visibilis factus est humanis obtuitibus. Quod autem dicit secula perfecta esse verbo dei, per secula debemus intelligere omnia quæ facta sunt in tempore, siue secula verbi dei patris, iuxta quod Ioannes dicit, Omnia per ipsum facta sunt: secula autem, vt Ouidius Naso dicit, dicuntur à sequendo, eo quòd sese sequantur, atq; in se reuoluantur, teste Varrone, Secula autem ex eo dici possunt, ex quo varietas cœpit esse temporis. *Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius deo, & per illam defunctus adhuc loquatur.* Primum ponit eum qui mala passus est, & hoc à fratre, proprium illorum ponens exemplum. Etenim eadem passi fuerāt à cōtribulibus suis: Quapropter hortatur eos, vt sicut ille iniuste occisus est à fratre, & non recusauit persecutionem, ita & illi non recusarent si iniuste paterentur à contribulibus fratribúsque suis. Plurimum quippe, id est, maiorem hostiam Abel obtulit deo quàm Cain, non quòd illa hostia in rebus carnalibus maior extitisset, sed quicquid melius habuit Abel, per fidem deo beneuolo animo protulit, & ex-

inde ei sua multiplicata fuerunt: & intelligimus ipsum per hoc placuisse deo. Fide nãq; hoc fecit, quia credidit hęc quę bona voluntate offerebat, deo placere & se remunerandũ credebat ab eo. Testimonium quoque deo perhibente muneribus eius, siue quòd ignis descendit de cælo vt in Theophania legitur, quia inflammauit dominus desuper Abel & super munera eius. seu per illam sententiam qua à domino in euangelio est laudatus comprobatúsque est esse iustus. Sic enim dixit dominus in euangelio: Amen dico vobis, requiretur omnis sanguis iustorum qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ. Per illam etiam hostiam adhuc loquitur iam defunctus, vt dicitur: Sanguis Abel clamat ad me de terra. siue adhuc loquitur, hoc est, licet interemerit eum corpore, tamen eius gloriam non potuit interimere cum eo. Dum enim gloria illius in toto mundo prædicatur, dum eius laus in ore omnium versatur, dum eum omnes admirantur, quotidie adhuc licet defunctus loquitur. Qui enim alios suos exemplo admonet vt iusti sint, aliquo modo loquitur. *Fide Enoch translatus est ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum deus.* Enoch per fidem placuit deo, quæ fuit bonis operibus exornata, credens se omnino per illam placere deo. Quapropter translatus est in paradisum terrenum, vnde quõdam electus fuerat Adã: videlicet ne experiretur mortem temporalem donec tempus à deo constitutum percurrat. Quo habitu verò vel quo statu modo existat in paradiso, non est nostrum inquirere. Hoc tamen credendum est, quia sine aliqua molestia & sine aliquo dolore aut labore quieuit in illo paradiso: & sicut ille viuit sine aliqua impugnatione carnis, sine aliqua molestia, ita nisi homo primùm peccasset, completo omnium numero electorum à paradiso terreno transferretur ad paradisum cælestem. Vt autem transferretur, causa fuit quòd placuit deo: sed vt placeret deo, causa fuit eius fides. Nisi enim crederet quod redditurus esset ei deus mercedem, quomodo placeret ei? *Ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.* dicente scriptura quia ambulauit Enoch cum deo, obtemperans voluntati eius.

Sine fide enim impossibile est placere Deo. Credebat Enoch, quia si quis crediderit esse deum, & ad eum accesserit, tribulationem haberet. Quia ergo fides fundamentum est omnium bonorum, ideo sine fide nemo potest Deo placere. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Quicunque ad deum accedit credendo, credere oportet illum quia Deus est, hoc est semper habet esse, iuxta quod ipse dixit ad Moysen: Ego sum qui sum. &: Qui est, misit me ad vos. Credere etiam debet, quia inquirentibus se per bona opera, iuxta quod Psalmista dicit, Quærite dominum & confirmamini: æternus & verus remunerator sit *Fide & Noe responso accepto de his quæ adhuc non videbantur,* hoc est, de imbribus, *metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam* subaudis fidem *damnauit mundum,* comparatione scilicet melioris fidei & facti, *& iustitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus.* Fide credidit Deo quod inducturus esset aquas super terram, dicente sibi illo: Finis vniuersæ carnis venit coram me, & inducam aquas super eos fac tibi arcam de lignis leuigatis, & cætera quæ sequuntur: & ideo saluatus est cum omni domo sua, hoc est, familia sua. Perfectum autem operis aut rationis experimentum, nihil in hac causa profecit. Nubebãt, inquit, alij, vt ait dominus in euangelio, & aer serenus erat, signa quoq; nulla apparebant diluuij: veruntamẽ ille timuit, atque per fidẽ de his quæ necdum videbantur metuẽs, construxit arcam in salutem familiæ suæ, per quam fidẽ damnauit mundum comparatione fidei suæ, quam mundus habere noluit. Ostendit enim eos dignos hoc supplicio, qui neque per centum annorum spatia illius arcæ cõstructione corrigi voluerũt. Per fidem quoque, non per legem hæres iustitiæ est institutus, dum ipse solus fidẽ patrum tenuit, quam ab illo cæteri didicerũt. Hæres autẽ regni cælorũ vel hæres mũdi dicitur, quia de semine suo fuit reparatio mundi: & ex hoc apparuit iustus, quia credidit deo, *Fide qui vocatur* nunc *Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exiuit nesciens quò iret* quasi diceret, & ipse Abraham per fidem placuit Deo. statim enim vt ei dixit Deus, Exi de terra tua, & vade in terram quam monstrauero tibi, dabóque illam tibi & semini tuo, credidit Deo, & exiuit in locum in quem ei præceperat, nesciẽs quò abiret. Ignotus enim erat locus & habitatio illius terræ: & inquan-

Exod. 3.

Gene. 12.

tum ambulauit, per fidē ambulauit. Siue nesciens quò iret, quoniam quem imitaretur, nō habebat. *Fide moratus est in terra repromissionis tanquam in aliena in casulis habitando cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem* Casula diminutiuum est à casa, id est, domo. hic autem pro tentoriis tabernaculisque positum est, in quibus Abraham cū Isaac & Iacob cohæredibus more viatorū & peregrinorum habitabant docens eos fidē dei, vtpote cohæredes promissionis suæ. Ea enim promissio quæ facta est ad Abrahā, facta est ad Isaac & Iacob, omnésque qui simul cohæredes sunt in repromissionibus abrahæ. Abrahæ nāque dictū est: In te benedicētur omnes gētes terræ. &, in Isaac vocabitur tibi semē. Ad Isaac autē inquit: deus quod Complens iuramētū spospondi Abrahæ patri tuo, multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, dabóque posteris tuis vniuersas regiones has. Ad Iacob quoque dixit: Ego deus omnipotēs, crescere & multiplicari ex te gentes faciam, dabóque tibi terrā quā dedi abraham & Isaac. Ecce quomodo omnes cohæredes sunt in repromissionib⁹ Abrahæ. Notādum autē, quia fides Abrahæ duplicatur pro magnitudine fidei, vnde & caput fidei dicitur. Nam sicut fide exiit de terra sua, nescies quò iret: sic fide mansit & demoratus est in terra sua quasi in aliena. Vidit filium ibi vt peregrinum habitantem, vidit nepotem, vidit seipsum in aliena terra peregrinantem, & nihil turbabatur. Quanquam enim ad ipsum dictum esset, quia tibi dabo & semini tuo, non per semen tibi, sed tibi & semini tuo: tamen neque ipse, neque Isaac, neque Iacob potiti sunt hac promissione, sed successio illorum. Et quia quando obediuit deo, exiens de terra sua, nō vocabatur Abrahā sed Abram, ideo considerate dixit Apostо. Fide qui vocatur nunc Abraham, tunc autem vocabatur abram, moratus est in terra repromissionis quasi in aliena. Primùm quidem vocabatur ille Abram, deinde verò Abrahā. *Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor deus.* Ciuitas superna fundamenta habere dicitur propter stabilitatem & firmitatem sui. In qua qui semel locum inuenerit, nunquam poterit exhæredari, neque euelli. Ideo, inquit, illi fide morati sunt in terra repromissionis quasi in aliena, quia repromissiones in terra factas nō attendebāt, sed futuram quietem quærebant. Ostenderunt

Gene. 22.

Gene. 26.

runt enim seipsos maioribus esse dignos, idcirco non permisit eos accipere ista, quia maiora dare volebat. *Fide & ipsa Sara sterilis virtutē in cōceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis generauit, quoniam fidelem credidit qui repromiserat.* Quæstio hic oritur, quare dicat fidem accepisse Sara virtutem concipiendi, cum ab angelo reprehensa sit cur riserit causa infidelitatis? Risus enim ille etiam si gaudij, plenæ tamen fidei non fuit: risus autē Abrahæ & gaudij & plenæ fidei fuit. Quæ ita soluitur: Quia etsi primū dubitauit, postmodū tamen verbis angeli solidata est in fide, & euacuata dubitationis causa, introducta est fides. Virtutē in conceptione seminis accepit: quia iam mortificata erat ætate & sterilis. Duplex enim erat præclusio. Vna temporis, senuerat quippe iam: alia verò ex natura, sterilis enim erat: sed ad suscipiendum & retinendum semen accepit vertutem. Mulieres namq; ex duabus præcipue rebus steriles esse solent, siue quia in vulua caloris virtutem nō habent, qua excoquāt semen: quod in senectute euenit, cum deficiūt muliebria. siue quando vulua concluditur etiam in iuuentute, vt non perueniat semen ad loca conceptionis. Contra quæ deus dedit virtutem contra sterilitatem, stabilitatem contra senectutem. ad locū etenim conceptionis satis peruenit semen, & postquam peruenit, dedit partus soliditatem mulieri. Factúmque est vt fidei soliditate vteri insolida confortarentur, & omnia possibilia fierent credenti. *Propter quod & ab vno orti sunt: & hoc emortuo, tanquam sidera cæli in multitudinem* facti sunt *& sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis.* Propter hoc, inquit, quia vterque veram fidem habuit, Abraham videlicet & Sara, ab vno corpore Abrahæ & Saræ orti sunt innumerabiles populi. His verbis voluit ostendere, quia non solum Isaac genuit Sara, verùm etiam plures quam aliqua fœcundarum mulierum. Vnum autē corpus dicit habere illos duos, propter hoc quod in Genesi dicitur, quia erunt duo in carne vna. Addidit quoque adhuc & hoc, inquiens, corpore emortuo nati sunt non vita mortua, sed semine. Senex quippe homo semen quidem iam fundere potest: sed tamen soliditate seminis caret, vt filios procreare possit, nisi forte de adolescentula, vt alij fuerūt. Sicut sidera, inquit, cæli vel arena maris. Hyperbolicè hoc dictum est. Per sidera autem cæli,

boni intelligendi sunt ex vtroque populo, filij Abrahæ per fidem: at verò per arenã maris reprobi accipiuntur ex Iudaico populo filij Abrahæ per carnem, qui terrena semper quærentes, pondere peccatorum grauantur. Et si hominib⁹ stellæ cæli, siue arena maris, vel etiam illi qui designati sunt per hoc, innumerabiles sunt, deo tamen cui omnia patent, numerabiles existunt. *Iuxta fidem* id est, cum fide *defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus: sed à longe eas aspicientes salutantes & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt* scilicet quia peregrini sunt super terram *significant se patriam inquirere. Et siquidem illius terræ meminissent de qua exierant.* ad hoc vellent reuerti. *Habebant vtique tempus reuertendi, nunc autem* quia nolunt reuerti ad eam de qua exierunt, sed morantur in aliena quasi peregrini *meliorem appetunt,* id est cælestem. Duo quædam hic dignum est quærere. Cum enim suprà dixisset, translatus est Enoch, & non inueniebatur ne videret mortem: hic dicit, quia secundum fidem mortui sunt omnes isti. Et cum iterum dixisset non accepisse eos repromissiones, sed à longe aspexisse, superius dixit de Abel, quia testimonium consecutus est quòd esset iustus: & de Enoch, quia translatus est. De Noe quoque quia saluatus est de condemnatione mundi: de Abraham etiam, Isaac & Iacob, nulli dubiũm quin plurimas promissiones tam de Christo quàm de terra repromissionis acceperunt. Quæ duo huiusmodi solutione egent. Quod primum dixit, ōmnes isti mortui sunt, cum fide, ita est intelligẽdum, quòd omnes illi mortui sunt, præter solum Enoch, quem nouimus esse translatum. Quod verò subintulit, non accepisse eos repromissiones, manifestum est quia in quibusdã rebus acceperunt, in quibusdam minime. Accepit siquidẽ Enoch ne videret mortẽ, accepit Noe vt saluaretur, acceperunt & alij plurimi. Sed hæc quidẽ erant illis libamina quædã, erãt & primæ degustationes futurorum, non plenitudo repromissionũ. Deus enim non solũ quæ futura sunt nobis largitur, sed etiã quæ huius vitæ sunt necessaria præstat, sicut discipulis suis dicebat, Primũ quærite regnũ dei & iustitia eius, & hæc omnia temporalia vitæ, in quantum expediunt, adiicientur vobis. In hoc enim quia in præsenti seculo ex parte laudẽ iustitiæ promeruerunt, nec cũ impiis perierũt, locupletésque

Mat.9.

locupletésque fuerũt bonis tẽporalibus, licet peregrini essẽt (vtpote legitur de Abraham quia erat diues in argento & auro) aliquas degustationes promissionum perceperũt. In hoc verò quia plenã promissionem patriæ cælestis nõ sunt consecuti, quasi nõ perceperũt promissiones, de longe tamen aspiciebãt promissiones, quas veniens dominus Christus prædicauit, dicens: Quoniam si quis dimiserit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Istã promissionem non sunt consecuti illi ante domini aduentum, licet omnia sua reliquissent, sicut & Apostoli. Siue etiã promissiones de domini aduentu non sunt consecuti, quoniam licet eis promissus esset, tamen non viderunt eum præsentem in mundo. Salutabant quoque easdem promissiones, id est optabant & desiderabant, sicut dominus ait in euangelio: Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Ex metaphora nauigantiũ dixit salutantes, quia à lõge prospicientes desideratas ciuitates, antequam ingrediantur eas, salutatione præueniunt: eásque sibi familiares efficiunt. Aspiciebant autẽ in fide istas promissiones, salutabant desiderio, & confitebantur sermone quòd peregrini essent, iuxta quod Psalmista dicit, quoniam peregrinus sum apud te, sicut omnes patres mei. Peregrinus à peregre, id est à lõge proficiscendo dictus est. Peragrare enim perambulare dicimus. Nã qui in tabernaculis habitabant, qui sepulchra pecuniis emebant, certum est quoniam peregrini erant, intantũ vt etiam vbi suos sepelirent, nõ haberent. Quapropter prima virtus est peregrinum esse mũdi huius & hospitem, nihilque habere cõmune cum regibus huius seculi, sed remoueri ab eis sicut peregrinus, *Ideo non confunditur* .i. non erubescit *deus vocari deus illorum. Parauit enim illis ciuitatem* Ideo, inquit, quia illi deo crediderũt, nihilq; de terrenis sibi præsumpserũt, ad hoc vt in illis spem suam ponerẽt, idcirco nõ erubescit omnipotens deus vocari de⁹ illorũ. Sic enim ipse dicit, Ego sum de⁹ Abrahã, deus Isaac, & deus Iacob, per fidẽ videlicet, vitæque meritũ. Sicut enim glorificatur, quãdo benignorũ optimoru hominũ deus vocatur & colentiũ virtutẽ: sic ecõtrario cõfunditur & erubescit in actis nefandorũ, si inuocatur ab illis. Vnde dicit per

Mat.19.

Luc.10.

Deut.3.

Esa.52.

prophetam. Per vos nomẽ meum blasphematur inter gẽtes. Illi autem ita erant clari virtutibus, & confidetia pleni, vt non confunderetur, sed potius glorificaretur cum illorũ vocaretur deus. Dicitur autem generaliter deus terræ & cæli, siquidem & deus gentium, & non solum gentium. sed etiam totius mundi, eò quòd ipse omnia condidit. Sanctorum verò illorum non sic dicitur deus solũmodo per creationẽ, sed sicut amicus: dicitur & nunc dominus deus Christianorum. Parauit, inquit, illis ciuitatem, Hierusalẽ scilicet cælestem, ideóque nõ dedit illis in præsenti seculo hæreditatem. Vel etiam ideo nõ erubescit vocari deus illorũ, quia secum prædestinauit illos regnare in cælesti ciuitate. *Fide obtulit Abrahã Isaac cum tentaretur: & vnigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones: ad quem dictum est, quia in Isaac vocabitur tibi semen. arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est deus.* Quid est quod Beatus Iacobus in epistola sua mentionem Abrahę faciens laudat eum summopere ex operibus suis, beatus vero Apostolus non opera illius, sed fidem attentissimè commendat? Recte igitur beatus Iacobus ex operibus eum laudat, quem sciebat etiam fide perfectum, quoniam illis scribebat qui fidem quidem videbãtur habere, sed eandem fidem bonis operibus non exornabant. At vero beatus Paulus qui illis scribebat qui opera bona legis videbantur habere, sed fidem perfectam non habebant, iure fidem Abrahæ. attentius commemorat, quatenus studerent eum imitari: vel certe vt ostenderet quia qui filij Abrahæ volunt esse necesse est fidem & opera habeant, meritò vnus ex fide, alter nihilominus laudauit eum ex operibus Fide, inquit: obtulit Abraham Isaac cum tentaretur. licet non haberet filium liberum nisi illũ, & in illo percepisset promissiones quod multarum gentiũ esset futurus pater, tamen non fuit ideo inobediens deo: & quanquam contraria iterũ audiret, dicente sibi deo: Offer Isaac filium tuum mihi, à quo iã audierat quia in Isaac vocabitur tibi semen, tamen non hæsitauit de promissionibus, credens quia à mortuis posset illum suscitare deus, & ex eo multitudinem populorum multiplicare. Quapropter filium nox offerre voluit, quia à deo hunc continuo resuscitandum esse credebat. Sed ne posset quisquã dicere, quia habebat alterum filium ex quo sperabat repromissionem implendam,

implendam, propterea confidens obtulit istum, dicit Apostolus. Etiam vnigenitum obtulit ipse Abrahã, qui repromissiones de illo perceperat. Quare ergo tẽtauit illũ deus? Nunquid ignorabat fortẽ esse virum illum in fide & probabilem? Sciebat vtique. Tentauit autem illum non vt ipse cognosceret, sed vt aliis demonstraret, & manifestam eius fortitudinem faceret, sicut ipse ostendit dicens: Nunc cognoui q timeas dominũ, id est, alios cognoscere feci quòd timeas dominum. *Vnde eum & in parabola accepit.* Parabola græco vocabulo, latinè dicitur similitudo siue figura. Accepit eũ in parabola de morte à deo, qui dixit ei, Ne extendas manum tuam super puerum, quia ariete occiso iste saluatus est. Occisus est Isaac, quãtum ad voluntatem pertinet patris: deinde redonauit illum deus patriarchæ in parabola, id est in figura & similitudine passionis Christi, In similitudine enim erant omnia quæ tunc agebantur in Abraham, quæ pro nobis verus Abraham, deus videlicet pater & creator omnium gentium, in fine seculi agere dispo suerat, Abraham siquidẽ figuram dei patris gestabat: Isaac verò figuram Christi. Abrahã siquidem portabat (vt scriptura dicit) ignem & gladiũ, quia deus pater gladium passionis portauit quodammodo, quãdo eum occidi permisit. vnde dicit filius in psalmo ad eum: Quoniam quem tu percussisti, hoc est, percuti permisisti, persecuti sunt. Et deus pater per Zachariam: Percutiã pastorem, id est, percuti permittam. Ignis quoque quem ferebat, calor & feruor summæ dilectionis illius est, qua nos diligit: de qua dicitur: Sic deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret pro mũdo. Nam sicut Abraham vnicum & dilectum filium suum deo victimam obtulit, ita deus pater vnigenitum filium pro nobis omnibus tradidit. Isaac autem ipse sibi ligna gestabat quibus erat imponendus: quia & Christus portabat in humeris lignum crucis in quo crucifigendus erat. Aries significat carnem Christi. Isaac oblatus est, & non interfectus, sed aries tantùm, quia Christus in passione oblatus est, sed diuinitas illius impassibilis mansit: *fide & de futuris benedixit Isaac, Iacob, & Esau.* Fide de futuris benedixit eis, quia iuxta quod eis imprecatus est, ita postea omnia illis euenire credidit, & quæ futura illis erant, ea benedicendo optauit. Potest & aliter intelligi. De futuris myste-

filiis benedixit eis: quia Iacob figuram Christi siue populi christiani gestabat, Esau verò Iudaici. *Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ*
Gene. 48. *eius.* Legimus in Genesi, quòd audiens Ioseph ægrotare patrem suum, venit ad eum, & obtulit ei duos filios suos, Effraim & Manassen ad benedicendum: qui fidem habens omnia illis euenire iuxta quod illis à deo inspiratus optasset, benedixit eos. Idcirco autem dicitur singulos illorum benedixisse, quia super vtrunque propriam benedictionem fudit, posuitque minorē ante maiorem, quoniam præuidebat res ita futuras. Quódq; sequitur, & adorauit fastigium virgæ eius, id est, virgæ Ioseph, dupliciter intelligi potest. Spiritu siquidem prophetico afflatus Iacob, cognouit designari, per virgam illam Ioseph, regnum Christi: per fastigium verò, i. summitatem virgæ, potentiam & honorem re
Psal. 44. gni Christi, de qua Psalmista ait: Virga recta est virga regni tui. Ergo non virgam adorauit pro deo secundum ritum gentilium qui idola colebant, sed in virga Christum, cuius regnum & potentiā præuidebat præfigurari in illa. Quantum verò ad literam pertinet, fortasis secundum cō suetudinem illius temporis adorauit virgam Ioseph, quem videbat dominum esse totius terræ Aegypti, ea scilicet ra-
Hest. 5. tione qua Hester legitur adorasse virgam Assueri, *Fide Ioseph moriens de profectione filiorum Israel memoratus est, & de ossibus suis mandauit.* De profectione filiorum Israel locutus est, credens omnia vera esse quæ promiserat deus patribus eorum, præcipue quod dixerat ad Abraham: Scito
Gene. 15. prænoscens quia peregrinum erit semen tuum in terra aliena, maléque tractabunt illud annis quadringentis: veruntamen gentem cui seruierint iudicabo ego, dixit dominus: & post hæc reuertētur in terram patrum suorum. Nequaquam ergo de suis ossibus mundaret Ioseph, nisi plena fide speraret reditum eorum in terram repromissionis. Dicit enim eis, Visitans visitabit vos dominus post dies multos: efferte ossa mea hinc vobiscum. Et non solùm tribus Ioseph ossa patris sui deportauerunt secum per desertum in terram repromissionis: sed etiam reliquæ tribus omniū patriarcharū ossa secum detulerūt, sepelierúntque ea in Sichē quæ euenit in possessionem tribus Ioseph. Nam Abraham Isaac & Iacob in spelūca duplici Mambræ, vel Arbæ (quā Abra-

Abraham emerat à filiis Heth) sepulti sunt cum Sara & Rebecca & Lia, vbi & Adam cum Eua sepultus quiescebat. Fortasis verò quærat aliquis, quæ causa extiterit vt omnes illi sancti patres in terra repromissionis maluerint sepeliri quàm alio in loco? Cui respondendum est, non curā gerendo sepulchrorū hoc agebāt, sed potius quia per spiritū sanctum præuidebant dominū in ea terra genus humanū redempturum, ibique resurrecturum, summo cū desiderio ibi consepeliri optabant, quatenus eo resurgente, pariter cum eo resurgerēt. Nos autem non debemus pusillanimes fieri vbicunq; sepeliamur, cū plurimorum martyrū nesciamus vbi eorū corpora glorioſe iaceant humata. *Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eo quòd vidissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum.* Non sua fide occultatus est Moyses quia adhuc fari nō poterat: sed fide parentum suorum, patris scilicet ac matris, qui fidem habentes quòd omnipotens deus posset eū liberare & custodire, custodierunt illum tribus mensibus: deinde verò cū nō potuissent eū celare propter vagitus ipsius, posuerunt in fiscellam sirpeam, posuerúntque in carecto fluminis. Edictū enim huiusmodi regis erat, vt omnes pueri in fluuiū iactarētur. Sed quid est quod dicit non timuisse eos regis edictum? Si nō timuerunt, quare nō custodierūt? In hoc ergo timuerunt: quia non sunt ausi retinere eum: in hoc verò quasi non timuerunt, quia non proiecerūt illū in apertum fluuium: sed in fiscella, posuerunt eum, sicque immiserunt carecto fluminis, habentes spem atque fiduciam quòd omnipotens deus custodiret illum. quapropter acsi non timuissent, ita reputatum est illis. Vnde ergo isti sperauerunt saluare puerum, nisi per fidem? Viderunt (inquit) elegantem infantem. Siquidem ab ortu natiuitatis magna fuit illi infusa gratia venustatis, non natura hoc operante, quod natus est honestus infantulus: sed gratiæ diuinæ dono, quę eiam barbaram illam mulierem Aegyptiam, filiam videlicet Pharaonis, ad hoc excitauit, vt amaret eum, vt sumeret & nutriret. *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iocunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem.* Tanquam si dice-

ret ad eos quibus hæc scribebat: Nullus vestrum dimisit aulam regalem amplam & claram, neque regios thesauros, sicut Moyses fecit, qui non solum contempsit, sed etiã abnegauit. Cælo quippe præposito, noluit admirari Aegyptiaci regni pulchritudinem, magis eligens cum populo dei affligi, quàm temporalis peccati habere iocunditatem. Peccatum nanque deputauit, si maneret in aula regis, lætitia temporali fruens, suósque fratres in tribulatione relinqueret. Non affligi, inquam, cum aliis, peccatum esse iudicauit. Si igitur ille non affligi acriter cum aliis, peccatũ esse iudicauit, quantum cumulum peccati habituri sunt, qui cõgregationem fidelium deserunt? Vos, inquit, pro vobisipsis patimini, ille autem non solum pro se solo, aspiciens in remunerationem, sed etiam pro aliis hoc elegit, vt maiorem mercedem reciperet, vltroque se proiecit in tanta periicula, cum ei liceret & pie viuere, & secularibus bonis perfrui. Maiores (inquit) diuitias æstimãs thesauro Aegyptiorũ improperium Christi, Improperium Christi dicit, quia pro Christo sustinuit Moyses improperium, qui vnius essentiæ secundum diuinitatem cum patre est. Siue improperium Christi dicit, hoc est, quale Christus sustinuit à suis propinquis. Sicut enim Christus improperiũ sustinuit à suis quos venerat redimere, quando ei dixerunt: Dæmonium habes, & cætera mala ei intulerunt vsque ad passionem, ita & Moyses improperium sustinuit à fratribus suis: quos volebat liberare. dicebat enim ei vnus ex eis, Quis te constituit principem aut iudicem super nos? vtrum interficere me vis sicut interfeciſti heri Aegyptium? Similiter quando qui libet à domesticis, vel ab eis quibus beneficium præstitit, improperium sustinet, improperium Christi sustinet. Aspiciebat (inquit) in remunerationem suam, & totius populi. Ita quando quisque aduersi aliquid patitur, debet reducere ad memoriã quã remunerationẽ à domino exinde sit recepturus, *Fide reliquit Aegyptum: non veritus animositatem regis. Inuisibilem enim tanquam præsentem sustinuit.* Legimus in Exodo, quia cum Moysi dictum esset à quodam Hebræo qui faciebat iniuriam fratri, quem Moyses voluit increpare, Nunquid interficere tu me vis sicut interfeciſti heri Aegyptium? fugit Moyses in verbo isto, eo quòd Pharao audito hoc quæreret eum interficere, sed cum manifestum

Ioan. 8.

Exod. 2.

festum sit fugisse illum in Madiam, quid est quod beatus Apostolus dicit: Non veritus animositatem regis? Si enim non timuit, quare fugit? Quod ergo fugit, fidei fugit, credẽs liberari à deo & prætendit exterius timorem, cum interius nullum haberet metum: ideóque sic ei reputatur, quasi non timuisset. Idcirco enim noluit ibi manere, ne causa iactantiæ videretur se in apertum periculum præcipitare, ac tentare dominum deum suum, quod omnino diabolicum est. Sancti enim viri quandiu habent quod faciant, deum tentare non debent, sed debent imitari dominum suum, qui frequenter locum dedit Iudæis, audientes quòd ipse præcepit dicens: Cum vos persecuti fuerint in ciuitate vna, fugite in aliam. Fuga ergo Moysi tota exterior fuit: quoniam maxime de Dei auxilio fidebat. Vnde Apostolus dicit, Inuisibilem deum tanquam præsentem sustinuit. quod est dicere, ita erat fisus de dei adiutorio, & ita semper de eius protectione securus erat, tanquam omnipotentem deum (qui natura est inuisibilis) semper præsentem aspiceret.

Fide celebrauit pascha, & sanguinis effusionem, ne quis vastabat primitiua, tangeret eos. Fide qua Moyses credidit per illum sanguinem saluandum esse populum, celebrauit pascha, & sanguinis effusionem quo liniuit postes, ne angelus qui vastabat primitiua Aegyptiorum, affligeret Israelitas: ac si diceret illis, Si sanguis agni typici in medio Aegyptiorum, & in tanta deuastatione illæsos seruauit Iudæos quorum postes fuerunt respersi illo sanguine, multo amplius saluabit nos sanguis veri agni, hoc est Christi, quorum ostia, id est frontes, munita sunt signo passionis Christi. Timuit enim illum sanguinem angelus, intelligens ibi dominicam mortem, ac propterea non tetigit postes: licet quod fiebat, nihil esset: sed quod per illud fiebat, magnum erat. Sanguine agni illinuntur Israelitarum postes, ne vastator angelus audeat inferre mortem. Signantur dominicæ passionis signaculo fideles populi in frontibus ad tutelam salutis, vt ab interitu liberentur. *Fide transierunt mare rubrũ tanquam per aridam terram: quod experti Aegyptij deuorati sunt.* ac si diceret illis quibus ista scribebat, Intantum fidem firmiter tenere debemus, vt quando in desperationem aliquam animus noster fluctuat, tunc quoque fisi simus vt liberemur, etsi vsque ad mortem veniamus, & de nobis de-

speretur. Nam quæ spes poterat esse illis? Ex vna enim parte erat mare, ex altera parte cingebantur altissimis montibus, à tertia parte erant hostes. Si vellét fugere, aut in mari erant perituri, aut in manus Aegyptiorũ incíderent, Habentes autem fidem, cuncta vicerunt. Fide enim qua credidit Moyses deo, ad verbũ illius percussit mare, & diuisit illud in duodecim diuisiones, iuxta quod in Psal. dicitur, & *Psal.135.* credẽtes omnes illæ tribus sicco vestigio posse transire mare, ingressæ sunt: sed prima tribus Iuda, iuxta quod in Osee legitur. Iuda, inquit, princeps cũ deo in mari, Quapropter illud mare Hebræis fuit à dextris & à sinistris pro muro, præbens eis siccũ iter, Aegyptios autẽ submersit. Vnde dicit Apost. quia experti illud Aegyptij deuorati sunt, cognouerunt enim quòd mare esset. Ex hoc enim apparuit aquã esse, quia illi viuentes absorpti sunt, & ex hoc apparuit nó esse phantasiam, sed rerum veritatem, quam experti Aegyptij, deuorati sunt. Allegoricè autem mare rubrum baptismus est, rubore sanguinis Christi consecratus. Hebræi qui exierunt de Aegypto, & transierunt per mare rubrum: fideles sunt: qui derelinquentes tenebras infidelitatis, transierunt per fontem baptismatis. Pharao & Aegyptij mortui sunt in mari, quia in fonte baptismatis mortuus est diabolus, amittendo potestatem quam habebat. Mortua sunt etiam peccata originalia & actualia, siqua antea erant.

Fide muri Hiericho corruerunt circuitu dierum septem. Non enim tubarum sonitus murorum saxa deiecit, sed fides qua illi crediderunt deo, deiecit illos. Legimus quod domino præcipiente Iosue præcepit arcam dei portari per septem *Iosue. 6.* dies in circuitu Hiericho, ac personare tubis. Septimo autem die cum increpuissent tubis, corruerũt muri Hiericho: quod magno mysterio non vacat. Hiericho quæ interpretatur luna, speciem huius mundi tenet, quia sicut luna méstruis completionibus deficit, ita hic mundus quotidianis defectionibus cadit. In arca verò ecclesia figuratur: in tubis autem æreis prædicatores fortes accipiuntur. Iosue qui circundedit arcam, Christus est, qui ecclesiam suam per hunc mundum gubernat. Hanc ergo vrbem Hiericho diebus septem Israelitæ ferentes arcam, æneis tubis clangentibus circumeunt, & muri eius per arcæ præsentiã atque ærearum tubarũ sonitum cadũt, quia in hoc tempore quod

septem

septem dierum vicissitudine voluitur, defertur arca, id est dum orbem terrarum circuiens mouetur ecclesia, ad prædicantium voces quasi ad tubarum sonitum muri Hiericho, id est elati huius mundi & principes, ac superba infidelitatis obstacula corruunt, donec in fine temporum mors nouissima inimica destruatur *Fide Raab meretrix non perit cum incredulis excipiens exploratores cum pace* Magnam consolationem & exhortationem B. Apostolus isto in loco omnibus præbet: quia si meretrix infidelis & idololatra sola fide saluata est, multo magis illi saluabuntur, qui ad graviora crimina non sunt prolapsi. ac si patienter diceret, Inhonestum est, si meretrice infideliores estis. Illa tantum homines nuntiantes audiuit, confestimque credidit: vos autem non solum homines auditis, verum etiam voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur: & insuper ipsum filium dei ad vos missum cognoscitis. Nam Raab effectum fidei consecuta est. Omnibus quippe pereuntibus sola saluata est. Raab autem (quæ interpretatur dilatata) figuram tenet ecclesiæ, quæ dilatata est ab oriente in occidentem, ab aquilone in meridiem: & latitudinem charitatis habet, intantum vt etiam pro ipsis inimicis orationem fundat. Et bene de extraneis atq; alienis gentibus erat viuens in desideriis carnis, ac fornicationi deseruiens, quia ecclesia aliena erat ante domini aduentum à deo, secundum desideria viuens carnis, fornicationique atque idololatriæ deseruiens. Postquam autem Iesus verus misit ad eam duos exploratores, hoc est Petrum & Paulum, siue duo testamenta, fidelis effecta reliquit fornicationem idololatriæ, sicque saluata est, & saluatur quotidie ne pereat cum infidelibus. Hucúsque narrauit de legislatore, & de antiquis patribus: nunc dicturus est de iudicibus, qui fuerunt post Iosue (nomina eorum tãtummodo commemorans propter breuitatem sermonis) qui per fidem pugnauerunt, & gentes plurimas vicerunt. *Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrãtẽ* Hoc est, deficiet tempus destinatum ad scribendũ epistolam, si cuncta illorũ facta prosequi voluero, quos hactenus cõmemoraui, siue quæ narrare possum de his qui successores illorum fuerunt, *de Gedeon, Barach, Sampson, Iepte, Dauid, Samuel, & prophetis qui per fidem vicerunt regna,* Quòd omnes

siquidem in commune commemorat, illud est quòd singulorum opera eadem fide acta sunt: quia omnes illi per fidem simul vicerunt regna. Gedeon siquidem accipiens signum à domino in trecentis viris, qui manibus aquã hauserunt, de quibus dominus dixit ei, In his superabis Madian, in vellere quoque humido & sicco: fide repletus prostrauit Zebee & Salmana, accepitque victoriam ex hostibus. Allegoricè autem Gedeon (qui interpretatur in vtero circuiens) significat dominum Iesum Christum, quiper incarnationis mysterium in vtero virginis collocatus, plenitudine diuinitatis (quæ omnia replet) totum mundum circuibat, quia implẽdo omnia, circundat omnia. Trecenti autem viri qui manibus aquã hauserunt, & accepto igne in lagenis contra Madian profecti sunt, confractisque lagenis ignis resplenduit, tubisq; increpuerunt, simúlq; hostes in fugam conuersi sunt: typum tenet sanctorum prædicatorum, qui fidem sanctæ trinitatis habentes, signo dominicæ passionis insigniti sunt, quod designatur per thau literam, quæ suo numero trecentos exprimit, & quæ apud veteres Iudæos similitudiné crucis habebat, Lagenæ autẽ quæ sunt vascula fusilia vel fictilia, significant corpora eorundem prædicatorum infirma, de quibus idem egregius prædicator dicit. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, Sonus tubarum voces prædicatorum exprimit. Fractis ergo lagenis resplenduit ignis, hostésq; in fugam versi sunt. Medianitæ typum tenent istius seculi: quia postquã sancti martyres ab hoc seculo deficiunt, crescunt miraculo, sicque virtute miraculorũ concussi in fugam vertuntur scilicet aut fidei subdẽdo se, aut etiam à tormentis cessando, victi timore signorum. Illud quoq; non vacat mysterio, quòd Gedeone orante vellus primò Madidum fuit, & tota terra sicca: secundo vero vellus siccum, & tota terra madida. Vellus enim figuram tenet populi Iudaici, terra autem omnium gentium. Iure ergo vellus primò madidum fuit, terra manente sicca, quia quando Iudaicus populus rore supernæ sapientiæ fuit humefactus ante domini aduentũ, omnes gentes siccitate fidei & sapientiæ exiccatæ erant. Iterum cum post domini aduentum omnes gentes rore sapientiæ fuerunt madidæ effectæ, Iudæa ariditate periit. Barach ipse est Lapidoch maritus Deboræ, qui fide, qua credidit

credidit prophetiæ, superauit Sisarã, omnésque currus eius. Sampson fide qua credidit, impetrauit à deo quòd orabat, vt plures interficeret moriens quàm viuens. Dixit enim, domine deus memento mei, & redde nunc mihi pristinam fortitudinem, deus meus, vt vlciscar me de inimicis meis: & pro amissione duorum luminum, vnam vltionem accipiam. Iepte fidem habuit pugnando contra filios Amon, & filiam suam offerendo, licet in hoc stulte egisset, quòd omnipotenti deo sanguinem humanum fundens putauit placere. Vouit siquidem vt si ei dominus victoriam daret de filiis Amon, immolaret ei quicunque primus occurreret de domo sua. Quod & ita fecit. Nam occurrit ei filia sua, quam post deploratam virginitatem occidit. Sed potest quæri, qua de causa mos inoleuerit, vt omni anno virgines Hebræorum plorent filiam Iepte. Cuius ista cognoscitur esse ratio, vt dum cernunt deplorari illam à filiabus suis, nemo ad tantam stultitiam, tantúmque piaculum audeat prosilire, vt deo humanum sanguinem fundat. Dauid fide plenus, processit contra Philisteum, & interfecit eum. Et quoniam deo credidit, multas promissiones de Christo promeruit. Samuel propheta & sacerdos fidem habuit perfectam, qua vnxit Dauid in regem ad verbum domini, & occidendo Agag, regem Amalech, *Operati sunt iustitiam* quia quod crediderunt corde, opere compleuerunt, exornantes eandem fidem *adepti sunt repromissiones* de Christo vel de patria cælesti. Abrahã enim de Christo promissionem accepit, dicente sibi domino, In semine tuo, id est in Christo, benedicẽtur omnes gentes. Dauid quoque plurimas promissiones accepit, cui dominus dixit, Cũ dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum quod egredietur de lumbis tuis, & firmabo thronum eius super thronũ tuum. Et alibi. De fructu lumbi tui ponam super sedẽ tuã. Et cum iureiurando semel, inquit, iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit. *Obturauerunt*, id est clauserunt *ora leonum* vt Sampson, Dauid, & Daniel missus in lacum *extinxerũt impetum ignis* sicut tres pueri Danielis socij iussu Nabuchodonosor Chaldaica vrgente vesania, missi sunt in fornacem ignis ardẽtis, quibus nihil molestiæ intulit *Effugerunt aciem gladij*, id est repulerunt fortitudinem hostium à se, valide pugnando, sicut

1. *Reg.* 25. *Gene.* 22. 2. *Reg.* 7. *Psal.* 131. *Psal.* 88. *Danie.* 11.

Ioſue, Gedeon, Dauid, aliíque reges & principes Iudæorum *conualerunt de infirmitate* vt Iob, & Ezechias, qui cum ægrotaſſet vſque ad mortem, domino ſibi propicio redditus eſt priſtinæ ſanitati per ſpacium quindecim annorum. Poſſumus & infirmitatis nomine malum captiuitatis intelligere, de qua liberati ſunt, domino volente, Cyro iubente, Eſdra & Nemia procurante *fortes facti ſunt in bello* vt Ieſus Naue ſucceſſor Moyſi, Sampſon qui mandibula aſini multos Philiſtinorum interfecit, Dauid quoque rex, Iudas Machabeus & fratres eius, quorum temporibus etiam ſex milia Iudæorum interfecerunt centum milia hoſtium & tria milia miſſa Antiochiam in auxilium Demetrij, peremerunt centum viginti milia *Caſtra verterunt exterorum* in fugam. Frequenter hoc egerunt. Caſtra autem dicuntur à caſtrando, eò quòd ibi caſtretur libido. Non eſt enim mos militaris vt pergentes in prælium vxores aut fœminas alias ſecum ducant. Duo autem quõdam principes terræ cum comitatu vxorum perrexerunt in bellum, Darius videlicet, & Antonius, ſed vterque inibi corruit. Darius quidem ſuperatus eſt ab Alexandro: Antonius vero ab Octauiano Auguſto *acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos*. Eas mulieres dicit, quarum filij ab Elia & Eliſeo ſuſcitati ſunt, quos illæ acceperunt poſt reſurrectionem vel reſuſcitationem, non vt eos haberent in maritos: ſed quos amiſerant in morte, receperunt viuos. *Alij autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem.* Plurimi ſanctorum diſtenti ſunt, hoc eſt in cruce extenſi funibus colligati, ſicut beatus Andreas. Seu diſtenti, hoc eſt ad capita duarum arborum colligati, ac diſrupti, vel etiam ad brachia equorum indomitorum extenti, ſicque ab eis diſrupti. Vel certe diſtenti ſunt, hoc eſt, decollati, quæ omnia in ſanctis martyribus videntur eſſe completa. Non ſuſceperunt redemptionem, hoc eſt, liberationem in præſenti: ad hoc vt ſoluerentur à tormentis: vt meliorem atque glorioſiorem inuenirent reſurrectionem in futurum: quoniam quo ampliora quis tormenta pro deo in præſenti ſuſtinet, eo glorioſior in reſurrectione apparebit. *Alij verò ludibria & verba experti, inſuper & vincula & carceres.* Ludibria dicuntur à ludo, hoc eſt irriſione. Primò enim ſanctí

cti martyres ludibriis & irriſionibus deludebantur, deinde verberibus afficiebantur, ſicque vinculis aſtricti ponebantur in carceres: ad poſtremum verò interficiebantur diuerſis & exquiſitis tormentis. *lapidati ſunt.* Vt Naboth, Hieremias in Aegypto à reliquis tranſmigratorum, Ezechiel in Babylone, aliique complures in nouo teſtamento. *Secti ſunt.* Hic pluralis numerus pro ſingulari poſitus eſt. Neminem enim ſanctorum legimus in veteri teſtamento ſectum, niſi Iſaiam prophetam, quem fecit ſecari ſerra lignea Manaſſes res, qui filiam eius habebat in vxorem. *Tentati ſunt*, vt Abraham, & alij multi, non ad deceptionem, ſed potius ad probationem, illa ſcilicet tentatione de qua dicitur. Tentat vos dominus deus veſter, id eſt probat vos. nam deus intentator malorum eſt *in occiſione gladij mortui ſunt* vt Vrias & Ioſias, & alij multi. *Circumierunt melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti.* Eliam in hoc loco debemus intelligere, & alios qui taliter egerunt, & qui afflicti vndique penuriis & tribulationibus anguſtiati, fide ſuſtinuerunt omnia: vt ad deſideriorum ſupernorũ præmia poſſent peruenire. Omnis autẽ indigentia & egeſtas, anguſtia vocatur, qua anguſtiatur homo, id eſt affligitur, ſeu fame, ſeu alia inopia. Melotã dicunt quidam genus eſſe veſtimenti ex pellibus caprinis, ex vno latere dependens, quo genere veſtimenti propter aſperitatem in ægypto monachi dicuntur vti. Elias quoque legitur vſus illo fuiſſe. At verò quidam dicunt ex pellibus taxi, genus veſtimenti eſſe compotitũ. Eſt enim animal quod taxus vocatur & melus, ſolitus habitare in cauernis terræ, cuius pellis hiſpida eſſe fertur, à quo nomine deriuatur vocabulum huius veſtis, id eſt à melo melota *quibus dignus nõ erat mundus.* Mundi nomine hic ſub vna ſignificatione poſſumus intelligere amatores mundi, qui terrena ſolummodo appetentes, ab amore creatoris ſui longè remoti erant, ac propterea non erant digni tales ſocios habere, quales fuerunt illi quorum magnalia Apoſtolus ſupra deſcripſit. Siue mundi nomine poſſunt accipi omnia quæ continentur in cælo & in terra, aurum videlicet, argẽtum, gẽmæ, atque omnia precioſa, & ipſi inſuper reprobi amore mundanarnm rerũ decepti. Iſtis ergo ſanctis nõ erat mundus dignus, hoc eſt, ſi totus redigeretur ſub pre-

tio,nõ poterat vni illorum rectè comparari, neque enim si omnia illa in pretium dari potuissent,talem aliquem virum emere poterant.Vt ergo ex pluribus paucorum memoriã agamus,quomodo poterat talis ac tantus vir comparari,vt Moyses fuit,qui quando voluit mare diuisit,quando voluit aquas eius reduxit,quãdo voluit manna de cælo descẽdere fecit,aquam de petra produxit,& cætera innumerabilia quæ fecit?Vel quomodo poterat cõparari pretio mũdano talis ac tantus vir,vt fuit sosue successor eius,qui quãdo voluit solem ac lunam,illa duo maxima luminaria,vno in loco stare fecit,dicens,Sol cõtra gabaon,& luna contra vallem aialon ne mouearis?Fortassis dicit aliquis:Ideo nõ poterant emi:quia non poterant inueniri.Vtique verum est, quia non poterant in toto mundo similes illorum inueniri,& si potuissent,nequaquã vllo pretio possent comparari: quoniam quod totus mundus nequibat perficere,hoc vnus illorum verbo agebat.Nam cum totus mundus temporibus Eliæ laborasset per tres annos & sex menses siccitate, nec potuisset pluuiam impetrare, verbo Eliæ apertæ sunt cataractæ cæli,& venit pluuia super faciem terræ *in solitudinibus errantes,in montibus & speluncis & in cauernis terræ* Eliam eximium prophetarum hic vult intelligi,& filios prophetarum qui temporibus Achab & Iezabelis fugati sunt,eò quòd volebat eos Iezabel interficere,& tunc temporis pauit eos quinquagenos Abdias in spelũcis & in cauernis terræ.Vnde & meruit donũ prophetiæ iuxta quod dominus in euãgelio dicit,Qui recipit prophetã in nomine prophetæ mercedem prophetæ accipiet, *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, deo pro nobis aliquid melius prouidente, ne sine nobis consummarentur.* Qui sunt isti qui testimonio fidei sunt probati,nisi omnes superius memorati.Quorum tam clara & laudabilis fides commemorata est,stellæ videlicet firmamenti,terreni homines,& cælestes angeli,viui lapides,& splẽdidæ margaritæ, quorum opera quæ egerunt,fidem eorum confirmant, quoniam absque fide impossibile est placére deo.Testimonio itaque fidei fuerunt probati,hoc est, operatione sancta,quæ per fidem operabatur, laude digni inuenti sunt. Fides enim illorum operibus mundis declarabatur.Sed cum ita essent perfecti, repromissionem non acceperunt.

Dicit

Dicit ergo aliquis:Quid eis profuit deo seruisse,si hactenus sine præmio manét?Absit hoc à fideliũ cordibus,vt credamus eos sine præmio manere.Adhuc quippe mortali carne circundati,magnum premium perceperunt,videndi.s.deũ quæ cognoscendi,multáque mira patrandi:nũc verò quiescũt in anima,in beatitudine regni cælestis,ineffabili lætitia perfruentes.Sed videamus quid Ioãnes de illis in Apocalypsi sua dicit,sicq; nobis manifestabitur quã promissionem nõ acceperunt:Vidi,inquit Ioannes,sub altare dei animas interfectorum propter verbum dei, quod habebãt, & clamabant voce magna dicétes:Vsquequo domine sanctus & verus non iudicas,& vindicas sanguinem nostrum de his qui habitãt in terra.Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ,& dictum est illis vt requiescerent tẽpus adhuc modicum,donec impleatur numerus conseruorum & fratrum illorum.Singulas stolas modò habent animæ sanctorũ de sua immortalitate gaudentes,& de fœlicitate qua fruũtur exultantes.Binas verò stolas habebũt cum in generali resurrectione receperint immortalitatem & incorruptionẽ in corpore,quam modò habent solummodo in anima.Hãc ergo promissionem necdum perceperunt,de qua Isaias dicit.In terra sua duplicia possidebunt,scilicet post generalem resurrectionem.Et reuera ita dignũ est, vt qui in corpore & anima deo seruierunt, in corpore pariter & anima remunerationem percipiant.Quod sequitur, deo pro nobis aliquid melius prouidente, ne sine nobis consummarentur, hoc est,perfectionem consequerẽtur.illic more humano agitur:verbi gratia,sicut quidam filij reuertentes de agro,dicunt patri,pater laborauimus hodie, æstum solis perpessi sumus, tempus est vt tribuas nobis refectionem,& ille eis respondeat,substinete parumper quoadusque veniant omnes fratres vestri qui vobiscum similiter laborabant,& tunc cum eis plenissime epulabimini.Sic omnipotens deus quodammodo egit dum non dedit electis immortalitatem in corpore,vt maior gloria maiúsque esset desiderium, cum omnes generaliter in die iudicij binas stolas acceperint.Et hoc est quod dicit, ne sine nobis qui adhuc hic peregrinamur,perfectionem consequerentur in resurrectione corporum.

CAPVT XII.

Deóque & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum, per patiētiā curramus ad propositum nobis certamen. Nubem testium appellat multitudinem patriarcharum ac prophetarum, reliquorūque fidelium, qui testes fuerunt perfectæ fidei, testes etiam filij dei quem prædixerunt in mundum venturum. Qui bene nubes vocantur, propter altitudinem ac multitudinem meritorum. Sicut enim nubes à sole illuminatur, ciúsque calore perfunditur, sicque postmodum terram calefacit, & plerunque imbrificat illam, plerunque autem coruscationes emittit: ita illi sancti patres à vero sole calefacti atque illuminati, suo exemplo corda hominum calefaciunt atque illuminant, suóque tempore pluuiam emiserunt verbis, & coruscauerunt miráculis. Imposita est ergo nobis in exemplum tam magna nubes testium, vt fidem illorum & opera imitari satagamus. Quapropter simus deponentes omne pondus vitiorum per pœnitentiam, somnum quoque pigritiæ, & cogitationes infirmas. Per hoc autem quod subdidit, & circunstans nos peccatum simus deponentes, ostendit Iudæos ex omni parte à diabolo tentari, desideriisque carnalibus deseruire, multísque peccatis abundare. Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, vt sicut illi sustinuerunt patienter aduersa huius seculi, ita & nos sustineamus. Non dicit addamus cursui nostro aliquid, sed in eodem manentes, curramus addestinatum nobis certamen, iuxta quod Psalm. dicit: Viam mandatorum tuorum cucurri. In præsenti enim seculo in certamine sumus positi contra vitia carnis, contra dæmones, contra falsos fratres, & necesse est vt patienter curramus siue explea mus certamen istud, quatenus peruenire possimus ad promissum certaminis premium. *aspiciamus in autorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Sicut filij parentes, & discipuli magistros in studio operis atque in certaminibus attendunt, informantes mentem ex parte doctorum, sumentes quasdam regulas ab eis per visum, ita & nos si volumus currere & discere vt bene curramus ad autorem siue consummatorem

matorem Iesum Christum, attendamus qui dixit nobis: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. alibi, Si me, inquit, persecuti sunt, & vos persequentur: & si patremfamiliās Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius. Attendamus in Christum, & accipiamus in illo exēplum patientiæ, qui dixit: Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Ipse namq; est autor fidei & consummator. Autor fidei nobis est, quia ipse nobis fidem infundit. Non enim possumus credere, nisi ab illo præueniamur. Vnde ipse fidelibꝰ suis dicit. Nō vos me elegistis, sed ego elegi vos. Ipse consummator fidei siue perfector est, quia consummationē siue perfectionē nobis præstat in hoc vt in fide perseueremus: siue in hoc perfector est fidei, quia datvolūtatē atq; possibilitatem perficiendi bonum, quo ipsa fides exornetur. Nā fides sine operibus in perfecta est, mortua enim est. In illo enim omnes perfectionē habemus, qui propositio sibi gaudio sustinuit crucē. Ipse filius dei proponens sibi, hoc est in præsentia sua statuens gaudium resurrectionis atque ascensionis in cælū, totiúsque potestatis quā percepit post resurrectionē, sustinuit crucē, propter hoc quòd in postremo videbat sibi profuturū, confusione cōtempta, hoc est pro nihilo deputata verecundia, queniam sine erubescentia & verecundia illud opprobrium sustinuit. Gaudium nanque maximū fuit illi quòd pro nobis est passus, vt voluntatem dei patris impleret: pro quo postea potentiam supra omnem creaturā accepit. Vnde ipse dicit: Desiderio desideraui hoc pascha māducare vobiscū. Si igitur ille qui nullam habuit necessitatem vt crucifigeretur, crucifixus est propter nos: quanto magis iustum est nos omnia fortiter tolerare? Ad hoc itaque dominus apparuit in carne, vt humanam vitam admonendo excitaret, exemplum præbēdo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet. Propter hoc enim moriebatur, vt doceret nos nihil existimare gloriam quæ ab hominibus defertur. *atque in dextera sedis dei sedet.* hoc est, in prosperitate æternæ vitæ, & plenitudine paternæ maiestatis. Si nulla esset alia dei promissio & exhortatio, istud exēplum solū debuerat sufficere, quod in hoc loco de Christo ostēdit Apostolus ad persuadendū omnia aduersa patiēter tolerare, vt cū Christo mereamur cōsidere in gloria. *Recogitate eum qui talē sustinuit*

peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes. Omnia aduersa quæ Christus sustinuit à Iudæis, plagas, scilicet irrisiones, sputa, colaphos, alapas, blasphemias, ipsamque mortem. Apostolus solo nomine contradictionis ostendere voluit, Rememoramini (inquit) Christū, qui tanta ac talia sustinuit contraria pro peccatoribus, qui peccatū non fecerat, vt vos qui trāsgressores & peccatores esse dignoscimini, non fatigemini deficientes in animis vestris: sed imitando illum, sustine te similia patienter. Aduersus semetipsum sustinuit Christus contradictionem, id est, dimisit illos secundū quod voluerunt facere contra se, nihil eis contradicens. Hortatur autem eos ne deficiant in tribulationibus, dum vsque ad martyrium & sanguinis effusionem non adhuc peruenerant. Vnde & subdit *Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes* ac si diceret. Et si amisistis facultates terrenas, expoliati à contribulibus vestris, tamen mortem nō sustinuistis. Adhuc enim viui manetis. Vsq; ad sanguinem restitit pugnans aduersus peccatū, qui pro veritate fidei aduersus infideles pugnauit vsq; ad mortem, sicut sancti Apostoli, eorúmq; successores fecerunt, nā infidelitatis peccatum maximum est dum autem quis vult decipere aut blanditiis, aut terroribus, pugnās pro fide cōtra infideles, vtiq; aduersus peccatum repugnat. Potest & de omni peccato intelligi, de mala videlicet suggestione, & praua volūtate, immondóq; desiderio: quibus qui resistit non consentiendo eis, aduersus peccatum pugnat *& obliti estis consolationis quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam domini, neque fatigeris dum ab eo argueris* Sapientia dei patris, quæ per Salomonem loquebatur, inter cætera etiam protulit hoc per os illius, quod beatus Apostolus modo in exemplum assumpsit, hortans Iudæos ne deficiant in tribulatione: quia à domino arguū tur causa probationis. Dicit ergo: Fili mi, noli negligere, siue negligéter ducere disciplinam domini. Disciplina dicta est à discendo, quæ alio nomine correctio morum potest appellari. Dum enim quis angustiis & tribulationibus afficitur, non debet fatigari nec deficere, sed potius patienter sustinere, recogitās quia à domino corrigitur, *Quem enim diligit dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.*

pit. Ideo hæc testimonia ponit Apostolus, vt sicut filij à parētibus suis flagellantur, vt digni sint ad hæreditatē paternam accedere, vnde & plerunq; stare tota nocte in frigore iubētur, variisq; modis excoquuntur: ita & isti similiter correctiones à deo alacri animo sustineāt, vt ad verā hæreditatē perpetuæ patriæ peruenire sint idonei. Sunt enim multi qui in prosperis domino seruiunt, sed tamē in aduersis cedunt. Hi tales nō sunt adhuc perfecte probati ad hæreditatē captandam. Vnde Apostolus quem in prosperis bene viuere docuit, ne in correctione deficiat hortatur, quoniam filium quē diligit dominus, ad hoc vt hærede illū regni cælorum constituat, castigat illum variis diuersisq; modis: & flagellat aut infirmitate aut paupertate, aut persecutione, aut tormentis. Notandū autem quia non omnis qui flagellatur, filius est, sed omnis filius flagellatur. Quem ergo sanctorum ab hoc seculo ad hæreditatem sempiternā legimus peruenisse sine flagellatione diuina? quapropter tanto minus de flagello quo castigamur, murmurare debemus, quanto certius in eo paternæ dilectionis affectum sentimus. Vnde ipse dicit. Ego quos amo, arguo & castigo, Apoc. 3.
At verò multi flagellabantur, vt Antiochus & Herodes, nō vt ad hæreditatem assumantur, sed vt hic ex parte demonstretur quæ mala passuri sint post mortem *In disciplina perseuerate, tanquam filiis* charissimis *vobis offert se deus.* Subaudis, vt hæreditatem patriæ cælestis capiatis: ac si diceret: Melius est vobis per disciplinam & correctionem, quæ affectu paterno agitur, transire ad hæreditatem cælestem: quàm extra disciplinam esse, sicque ad pœnas descendere inferni. Putatis enim quòd odio vos habeat ac dereliquerit deus, per hæc quæ passi estis? Si hæc non pateremini, tunc magis hoc vos cogitare competebat. Nam si flagellat omnem filium quem recipit: qui non flagellatur, sine dubio non est in numero filiorum. His verbis ostendit eis, quia vnde putabant se derelictos esse, inde magis credere poterant diligi ab illo. *Quis enim filius quem non corripit pater?* Solet aliquoties paterfamiliās filios alienos negligere, suos verò castigare & corripere: ne eos opprimat mala negligentia. Nullus est pater sapiens qui non corripiat filios delinquentes, & aliquando bona agentes increpat, vt ad meliora accendantur. Vnde & Heli quia filios suos non 1. Reg. 2.

corripuit, non meruit eos hæredes sacerdotij post se derelinquere. *Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes* boni filij, vel patres sancti superius memorati *ergo adulterini, & non filij estis.* Quisquis extra disciplinam domini manet, cuius disciplinæ participes facti sunt omnes boni filij pertinentes ad hæreditatem cælestem, adulterinus filius est, nec pertinet ad hæreditatem paternam, quia non est filius liberæ. Cauete ne sitis adulterini filij. Omnes enim infideles & negligentes, disciplinámque domini contemnentes, adulterini, & non filij reputantur. Deinde *patres quidem habuimus eruditores, & reuerebamur eos. Num multo magis obtemperabimus patri spirituum, & viuemus* Deinde subaudis considerare debemus, quia patres habuimus eruditores, & timebamus eos: nónne multo magis ob temperabimus deo patri spirituum, & viuemus in gloria æterna: Pater spirituũ vel creator animarum, deus omnipotens est, quia omnia creauit primùm ex nihilo deinde verò ex elementis corpora hominũ, aliorumque animalium: animam verò hominis ex nihilo creauit, & creat adhuc. Non est enim putandum quòd anima pars deitatis sit: quoniam deitas non est creata, anima autem creata est. Idcirco autem omnipotentem deum creatorem animarum appellat non corporum, cum omnium creator sit, quia corpus nostrum ex semine paterno simúlque materno conficitur: anima verò semper à deo ex nihilo creatur. Si, inquit, patres carnales timebamus, à quibus temporaliter erudiebamur, vt hæredes illorũ merearemur fieri, quanto magis creatori animarum obedire atque obtemperare debemus, vt cum illo in gloria æternæ beatitudinis viuamus? Nec solummodo differentia est inter eos propter discretionem personarum, quia isti terreni, ille est cælestis, sed etiam ipsa causa disciplinæ atque eruditionis. Non enim ad eandem causam, vel ad res spiritales eruditur, sed ad id quod eis videtur, sicut Apostolus manifestat dicés: *Et illi quidem* patres carnales, ex quorum semine corpora sumpsimus, *in tempore paucorum dierum, secundum suam voluntatem erudiebant nos: hic autem* pater scilicet spirituum, *ad id quod vtile est erudit* nos, hoc est ad salutẽ & vtilitatem animæ nostræ *in recipiẽdo sanctificationem eius.* Illi quidé patres carnales ad hoc erudiunt nos, vt ipsis simus vtiles

les secundum suam voluntatem, quæ in omnibus non est vtilis: deus verò omnipotens ad omnia vtilia nos instituit, vt animæ nostræ salutem consequamur, & recipiamus sanctificationem eius, videlicet vt simus sancti secundũ quendã modũ, sicut & ipse sanctus est, iuxta quod ipse dicit, Sancti estote, quia ego sanctus sum. Ad hoc in quã nos erudit & castigat, vt nos efficiat dignos suis muneribus. Vnaquæque etenim geus secundũ suã volũtatem filios erudiuit, sicut cõsuetudo fuit Romanorũ suos filios erudire in re militari, & græcorũ literis instituere suos *Omnis autẽ disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris, postea autem fructũ pacatissimũ exercitatis per eã reddet iustitiæ* Omnis, inquit, disciplina tam humana quàm diuina, tunc quando discitur, non videtur esse disciplina gaudij, sed mœroris. Ideo autem hanc omnem & diuinam & humanam disciplinam vocauit: quia quicquid discitur, disciplina vocatur. Idcirco autẽ in præsenti nõ videtur disciplina gaudij, sed mœroris, quoniã flagellatur sæpissime & constringitur de quo id agitur, sustinet famem, patitur frigus, omnémq; laborem. At verò cum peruenerit ad perfectionem, gaudet, lætatur, gratissimámque mercedem recipit, sicut Apostolus dicit: Postea, inquiens, cum peruenerit ad culmẽ perfectionis, reddet ei eadem disciplina pacatissimum fructum iustitiæ per eam exercitatis, id est per eandem disciplinam probatis atq; perfectis. Fructum autem pacatissimum vocat gratissimam atq; acceptissimã remunerationem, quam percipiunt hi qui per eandem disciplinam exercentur atque probantur. Verbi gratia: Romani tirones qui in disciplina rei militaris sunt exercitati, multa contraria primùm sustinentes, postea, gauisi sunt, monarchiam totius orbis possidentes. Similiter intelligendum de his qui in disciplina diuina affligũtur, qui præmia æterna recepturi sunt, sicut sancti Apostoli, martyres & doctores ecclesiæ. *Propter quod remissas manus & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Propter quod? quia propter disciplinã mercedis prẽmium redditur, gaudiúmque subsequitur. Vel propterea, vt possitis hæreditatẽ supernam cum bonis filiis percipere, remissas manus à bono opere, & torpẽtes otio pigritiæ, & soluta genua erigite ad bona opera agenda. Per pedes Leui. 19.

autem & genua, debemus accipere bona opera, sicut & per manus: per gressus autem intellectum intentionémque mentis: & est sensus: Talia opera agite, quæ perfectum intellectum habeant quòd bona intentione fiant. Recte (inquit) ambulate, ne claudicatio plus accrescat, sed potius ad statum rectitudinis erigatur. Remissas manus & genua soluta mandat erigere, sicut & Isaias præcipit dicens: Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate, vt nõ claudicans quis erret, id est vt non hæsitans quis in fide bonísque operibus erret à via rectitudinis, magis autem sanetur à peccatis credendo rectè in deum: ac si diceret: Qui non recte credit, mélius est vt firmius & tenacius credat, quatenus omnibus modis inueniat medicinam animæ suæ. His autem verbis hæsitationes eorum tangit, ad hoc vt sine aliqua dubitatione crederent in deum *Pacem sequimini cum omnibus* subaudis bonis *& sanctimoniam, sine qua nemo videbit deum.* Plurima quidem sunt, quæ formam discretionémque christianitatis ostendunt, sed plus omnibus ac melius charitatis mutuæ affectus, & pax quæ omnium hominum corda consociat. Quapropter dicit ipsa veritas. Pacem relinquo vobis. & iterũ, In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem, propterea Apostolus dicit. Pacem sequimini cũ omnibus bonis. Pacis autem nomine intelligẽda est dilectio & concordia. Sanctimonia autem dicitur castitas mentis & corporis: ac si diceret: Ita diligite omnes bonos vt vosmetipsos, & sit in vobis castitas siue mũditia mentis, & corporis: quoniam sine pace & sanctimonia nemo videbit deũ, Beati enim pacifici, quoniam ipsi filij dei vocabuntur. Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt *contemplantes ne quis desit gratiæ dei.* Quod dicit contẽplantes, id est diligenter attendentes atque cõsiderantes, ne quis vestrum desit gratia dei. sic loquitur cum eis tanquam cum viatoribus, qui eum numero & comitatu in longa itinera permeant, quibus solet dicere is qui eis præest, Videte ne aliquis remaneat qui non pergat nobiscum: veluti si diceret. Non hoc tantum requiro, vt vos soli gratiam consequamini, patriáq; cęlestem intretis, sed etiam inspiciatis & cæteros. Gratiam autem dei dicit fidem spem & charitatem, per quas meretur homo gratiam dei inuenire, quia cum istis

istis habet & reliquas. Siue gratiam dei dicit remissionem peccatorũ, quæ nobis gratis datur à deo in baptismo. Videte, inquit, ne quis vestrũ alienus sit à gratia dei, quæ datur in baptismate, vel à fide perfecta, cæterísque virtutibus *nequa radix amaritudinis sursum geminans impediat: & per illã inquinentur multi* Radicem amaritudinis vocat voluntatem malam, prauamque intentionem, vnde procedit peccatum amaritudinis. Nã sicut radix amara fructus dulces nõ potest proferre, sed sui similes, hoc est amaros, sulphureus quoque fons aquas non emittit habiles ad bibendum, ita mala voluntas & intẽtio praua malam operationẽ & peccatum amaritudinis à se emittunt, quibus impeditur iter ad patriam ascendendi cælestem, atque per illam malam voluntatem (de qua procedunt semina nequitiæ) inquinãtur multi, quia modicum fermentum totam massam corrumpit, & vno peccato infidelitatis multa opera quæ poterãt bona esse, deprauãtur, & ab vno peccatore multi coinquinantur. Radix enim amaritudinis specialiter peccatum infidelitatis potest intelligi, licet ad malam voluntatem, atque intentionem nequam (vt diximus) referatur. Et cõgruè peccatum amarum dixit esse, quoniam nihil amarius est illo postquam fuerit perpetratum. Quod experimento agnoscunt, qui post admissum delictum conscientiæ mœrore macerãtur, diráq; satis amaritudine cõsumuntur, intantum vt amaritudo ipsius delicti, ipsum intellectum ipsamq; ratione ¦aliquoties subuertat, sicut de Cain legimus qui in desperationem fuit. *Ne quis fornicator aut profanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenita sua.* Fornicator appellatur Esau, qui contra volũtatem patris & matris vxores alienigenas duxit. Profanus autem propriè dicitur irreligiosus, quasi porrò, id est longe à fano & templo dei, hic autem pro gastrimargo, siue pro illo qui vtile pro inutili vendit, ponitur. Quod bene congruit Esau, qui fuit gastrimargus, atque gulosus, vendens primogenita sua pro vili cibo, pro lenticula scilicet rufa. Primogenita autem isto in loco appellantur honor & dignitas sacerdotij. Ante sacerdotium enim Aaron (quod à deo constitutum est in lege) omnes primogeniti sacerdotes erant, sicut fuit Sem, qui & Melchisedech, primogenitus filius Noë fuit. Magna etenim dignitas erat habere primogenita, quo- Gene. 36.

niam & de substantia atque hæreditate paterna maiorem portionem sumebant, vestimentorúmque ornatu locupletiore splēdebāt. Vnde legitur in Genesi quòd rebecca accipiens vestiméta Esau valde bona, quæ apud se domi habebat, induit ea Iacob: sicque adduxit eum ad patrem. Qui vt sensit odorem, vestimentorúmque eius fragrantiam, dixit: Ecce odor filij mei, quasi odor agri. Quia ergo inter Iudæos erant quidam sectatores Esau in fornicatione atque gastrimargia, reducit eis Apostolus ad memoriam factum Esau, hortans cauēdum ab omnibus illis, ne quis illis similis fieret, qui pro delectatione temporalium rerum vsque ad vendenda sua primogenita peruenit. Propria siquidem negligentia & cupiditate vendidit honorem quem à deo perceperat, & pro parua re magnam gloriam perdidit. Postremus factus est, qui erat primus: & qui erat secundus, mansit primus. *Scitote enim quoniam postea cupiens hæreditate benedictionem, reprobatus est.* Subaudis à deo. Narrat historia Genesis quòd Esau reuertens de agro vt comperit se præuentum à fratre ad benedictionem patris, dixit cum lachrymis, & clamore magno. Num vnam benedictionem habes pater? Benedic etiam & mihi. Cui Isaac: Dominum tuum illum constitui: & vltrà fili mi tibi quid faciam? Tandem victus Isaac clamoribus illius, deditei benedictionem de diuitiis huius seculi, & vt in his quæ terra profert abundaret, dicēs: In pinguedine terræ & in rore cæli desuper, erit benedictio tua. Apparet ergo quia cū voluisset hæreditare benedictionem paternam, dignitatem videlicet sacerdotij recipere, quoniā amiserat, necnon & sanctitatem patris cum spiritu prophetiæ, peccatis impedientibus ad hoc perductus est, vt reprobaretur à deo, & fraudaretur à fratre benedictione paterna, vnde & sequitur. *Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.* Quare non inuenit pœnitentiæ locum, id est veniam per pœnitentiam, quam cum lachrymis quæsiuit? Quia ita nó quæsiuit vt debuit. Lachrymæ enim illæ indignationis fuerunt potius amissi honoris, & rancoris contra fratrem, quàm humiliatis, veræque pœnitētiæ. Vnde & dixit: venient dies luctus patris mei, vt occidam Iacob fratrem meum. Quapropter quanquam cum lachrymis inquisisset eam, tamen ad illum locum benedictionis

dictionis non potuit peruenire vt frater suus. Ita enim debuerat pœnitere, sicut de Petro legimus, qui cum dominū negasset, egressus foras fleuit amare. Ideirco illi dimissum est tam grande peccatum, quoniam sicut debuit pœnitentiam egit. *Non enim accessistis ad tractabilē & accessibilem ignē, & turbinem & caliginem & procellam, & tubæ sonū, & vocē verborum.* Mos est illorum qui cōparationes faciunt, vt alteramparte deprimāt, atque extenuent, vt res alterius partis emineat. Sic & Apostolus ex cōparatione illorum, quæ fuerunt in veteri testamento, nostra maiora ostendit & clariora, mansuetiora quoq; & meliora, atque admiratione digna. Iacit enim nunc differentiam inter Christū & Moysen, inter euangelium & legem, inter cælum & montem Sina, apersionem sanguinis legalis, & emundationē sanguinis Christi, Multo enim meliora sunt ista quā fuissent illa. Ibi nim requiescit vmbra, hic veritas tenetur & panditur. Non accessistis, inquit, ad tractabilē & accessibilem ignē, id est, non accessistis ad visibilem & palpabile lumē ignis quod visu corporeo trāctari possit, sicut de veteri populo Iudaico legimus: sed inuisibilē & incomprehensibilē deū. Hæc in Sina mōte facta referūtur, quādo data est lex, ignis videlicet, turbo, caligo, procella, tubæ sonus, & vox verborum. Visus est, inquit, dominus deus in mōte Sina. Turbo e vētus validus auferēs stipulas & leuia quæq;, ac pulueré trīæ inuoluēs: plerūq; etiā extollit quę pōderosa sunt. Caligo est tenebrositas fumi & ignis. Procella est tempestas & pluuia. Facta sunt autē ista quando lex dabatur, vt corda ideorū prona ad peccandū concuterentur, ne ipsam legē aderent transgredi. Vnde & terræmotus extitit ibi, vt ipsi e tāto terrore perculsi, ad deū cælorū confugiū facerent. Tenebræ autē sicut & caligo obscuritatē ipsius legis designant, turbo siue cōmotio ventorū, cōminationem ipsius legis, quæ dicit, si quis hoc vel illud fecerit, occidatur. Procella ipsam vindictā. Tubæ sonus præsentiā & aduentū dei omnipotentis, vnde idē Apost. alias dicit, In iussu & in voce archangeli & in tuba dei descendet de cælo. Per tubam autem intelligitur ipsa vox angelorum. Non enim est putādū quod ænea aut cornea tuba Angeli increuerint. Vox eoque verborum non ipsius omnipotētis dei intelligitur: sed angelorum, Per subiectam enim creaturam, hoc est,

Exod. 19. 20.

Ioan.5. *Actu. 9.* per angelum loquebatur deus ad Moysen. Nam quod non esset vox dei, dominus demonstrat in euangelio, loquens Iudæis. Neque vocem eius audistis, neque speciem eius vidistis. Et quòd Moyses cum angelo, non cum domino fuerit locutus, ostendit B. Stephanus in concione sua, quã habuit cũ Iudæis, hic est, inquiens, Moyses, qui fuit cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina. Euangelium autem non fuit datum in tremore, neque cum comminatione, sed affectu paterno locutus est dominus fidelibus tanquã filiis. Nã ascendens in montẽ, quando inter cætera præcepta vitæ octo beatitudines eis protulit, nõ apparuerunt nec visa sunt signa quibus terrerẽtur, sicut quando lex data est. Sequitur *Quam* vocem tubarũ & angelorum, *qui audierunt, excusauerunt se ne eu fieret verbum*. i. ne eis loqueretur. *Non enim portabant quod dicebatur ad eos*, hoc est, nõ poterãt ferre vocem angeli præ timore. vnde & dixerunt Moysi *Exod.20.* loquere tu nobis: non loquatur nobis dominus, ne forte moriamur. Nimio enim timore fuerant perculsi, videntes totum montem Sina fumare, procellas quoque & tonitrua & voces tubarum *& si bestia tetigerit montem, lapidabitur* subaudis, lapidibus grandinis cælitus missis. Sic enim præ- *Ibidem.* cepit dominus. Longe se facient filij Israel à monte, quoniam si homo aut aliqua bestia accesserit ad montem, lapidibus grandinis interficietur, *Et ita terribile erat quod videbatur* subaudis, vt neque auderent audire, neque accedere ad montem. *Moyses enim dixit: Exterritus sum & tremebundus.* Si Moyses exterritus est, quid dicendum de aliis *sed accessistis ad Sion montem & ciuitatem dei viuentis, Hierusalem cælestem.* Ex superioribus ista pendẽt, vbi dictum est non accessistis ad tractabilem & accessibilem ignem mõtis Sinai: sed accessistis ad Sion montem. cætera per parẽthesin dicta sunt. Per Sion autem quæ interpretatur speculatio, & per Hierusalem quæ interpretatur visio pacis vult intelligi cælestem patriam, ecclesiam videlicet supernam, quæ constat ex angelis & hominibus iustis, ad quam acceditur fide & desiderio. Accessistis, inquit, ad Sion mõtem, hoc est ad ciuitatem dei viuentis. Hierusalem fide & desiderio, Et accessistis *ad frequentiam* siue multitudinem *multorum milium angelorum* consociati illis in fide, consociandi iterum in gloria, iuxta quod dominus dicit, Erunt electi

electi sicut angeli dei in cælo, & accessistis ad *ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cælis.* Ecclesiam primitiuorum debemus accipere in apostolis, qui primi crediderunt quorum fidei illi adiuncti sunt credendo, quorum nomina scripta sunt in memoria omnipotentis dei: iuxta quod ipsa veritas eis dixit. Gaudete quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. Et accessistis ad *deum iudicem omnium*, id est, ad *Luc.10.* dominum Iesum, qui dicit, Pater non iudicat quenquam, *Ioan.5.* sed omne iudicium dedit filio, per illum enim iudicabit deus pater non solummodo Iudæos, sed omnes homines. & accessistis *ad spiritum iustorum perfectorum.* Spiritum iustorũ vocat spiritum sanctum, per quem sanctificantur omnes in baptismate accipientes ab illo remissionem omnium peccatorum. Et bene perfecti vocantur, quia tunc iusti perfecti existent, dum ab omnibus contagiis mundabuntur. Siue spiritum iustorum perfectorum dicit animas sanctorum qui apud deum probabiles extiterunt, quibus cõiuncti fuerant illi fide & desiderio. Accessistis quoque ad *Iesum mediatorem testamenti noui.* Dominus Iesus per hoc quòd homo pariter & deus est, mediator noster est, quoniam sicut Moyses mediator fuit inter deum & populum, verba dei referens ad populum, rursúsque populi ad deum, secundũ quod ipse dicit, Ego sequester vester medius inter deum & vos: ita & dominus Iesus verba dei patris retulit nobis, & modo nostra refert ad illum, interpellans assidue pro nobis, simúlque sua passione confirmans nobis testamentum nouum. *Ad aspersionem quoque sanguinis* accessistis *melius loquentem quàm Abel.* More legis, aspersionis nomine emundationem Christi sanguinis timauit, quoniam mũdatio quæ per sanguinem fiebat, aspersio vocabatur. Accesserunt ergo illi ad sanguinem Christi siue ad emundationem, hoc est, ad passionem eius, quoniam fide passionis eius mũdati sunt. Sanguis verò Christi melius loquitur quã sanguis Abel, quia sanguis Abel vindictam exposcebat homicidij fratris, sanguis verò Christi vitam & indulgentiã *Luc.23.* implorabat suis persecutoribus, dicente illo ad patrem: Pater ignosce illis: quia nesciunt quid faciunt. Vel certe melius loquitur, dum nos loquentes facit quòd Iesus ipse est filius dei, cuius passione sumus redempti, & baptismate abluti: & quia per sanguinem eius sumus effecti filij dei. *Vi-*

dete ne recusetis loquentem quod est dicere, Cauete ne contemnatis Iesum loquentem per euangelium suum, quoniã in dextera patris sedet considerans quid vnusquisque nostrum agat. *Si enim illi non effugerunt recusantes eum qui super terram loquebatur, multo magis nos qui de cælis loquentem nobis auertimus* subaudis, nõ effugiemus: ac si diceret. Si patres vestri vindictam omnipotẽtis dei non effugerunt qui præcepta illius preuaricati sunt fabricãdo idolũ, quę per Moysen vel per angelum data sunt illis, quorum vterque in terra loquebatur, multo magis nos non poterimus euadere vindictam illius, si præcepta quæ nobis per filiũ data sunt, contempserimus. Illi eum in terra loquentem audierunt, nos de cælo. Propter vnitatem autem personæ quam habet filius dei in duabus naturis, dicitur de cælo nobis loqui. In terra enim videbatur loqui per humanitatem, sed erat in terra & in cælo per diuinitatem. Vnde ipse dicit:

Ioan.3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Similiter dũ euangeliũ prædicatur in terris, ipse quoque de cælo nobis loquitur: quapropter audiendus est multo melius quàm Moyses, Sequitur. *cuius vox mouit terram tunc* subaudis quando lex data est *nunc repromittit, dicens, Adhuc semel, & ego mouebo non solum terram, sed etiam cælum.* Ipse qui tunc iussione mouit montem Sina, & terram in circuitu eius vbi populus stabat, quando Moysi dedit legem, ipse nunc repromittit nõ partem terræ mouendam à se, neque ipsam totam terram solummodo, sed etiam cælum. Et ideo quanto maiora opera fieri promittit, tanto magis timendus est. Licet enim terræmotus sæpius fuerit in diuersis locis diuersisq; partibus mundi, non fuit tamen per totũ mũdum: & si mota est terra, non tamen cælum. Vnde bene dicit semel futurũ esse hoc in die iudicij, ostendens quia nunquam iterum mouebuntur. Vnde & sequitur. *Quod autem adhuc semel dicit, ostendit mobilium translationem tanquam factorum, vt maneant ea quæ sunt immobilia.* Ista motio cæli & terræ ad innouationem & meliorationem illorum pertinet. Terra quidem appropinquante die iudicij motũ sustinebit, ac pariter mo

1.Cor.7. uebũtur cælũ ac terra: & mutabũtur ab hac specie in meliorem, iuxta quod Apost. dicit alibi, Præterit figura huius mundi. Mutata figura, remanebit substantia, eritque postea cælum

cælum nouum, & terra noua. Cælum autem hic nõ sidereũ neq; æthereum, sed istud aereum accipe, à quo & aues cæli dicuntur. *Itaque regnum immobile suscipientes* subaudis nunc in spe, quod percepturi sumus in re *habemus gratiam per quam seruiamus placentes Deo cum metu & reuerentia,* Regnũ immobile ecclesia est cælestis, quæ constat ex angelis & hominibus iustis. Regnũ autẽ dei ecclesia ista est, & regnũ *1.Ioan.3.* ecclesiæ omnipotens deus est. Hoc regnum modo suscipimus in spe, tunc autem percipiemus in re, cum tradiderit Christus regnum deo & patri. Idcirco autem appellatur regnum immobile, quoniam si cælum & terra immobiliter permanebunt post immutationem, multo magis electi post resurrectionem immobiliter immortalitatem in corpore & incommutabilitatem in anima percipient, regnaturi cũ deo æternaliter: erúntque ipsi regnum immobile omnipotentis dei, & regnum illorum contemplatio sanctæ trinitatis. Et quòd istud regnum immobile suscipiamus in re, hortatur Apostolus vt habeamus gratiã per quam seruiamus deo, placentes illi. Gratiam autem dicit fidem rectam, spem certam, charitatem perfectam, cum operatione sancta, per quæ debemus deo seruire cum metu, timentes illũ vt deum & iudicem omnium, & cum reuerentia diligentes illum vt patrem. Timere eum debemus, ne & hic flagellemur, & postmodum à requie separemur.

CAPVT XIII.

Etenim deus noster ignis consumens est. Deus omnipotens ignis appellatur, non vt materiã quam fecit cõsumat, sed q̃ exterius homo attrahat rubiginem, scilicet peccatorum. Non enim illud cõsumit quod ipse fecit: sed quod malitia hominũ intulit. Agit & illud iste ignis, dũ corda videlicet hominũ ad amorem dei accendit. De quo igne veritas dicit: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Terra enim vocata sunt corda terrena: quæ dum semper in infirmis cogitationibus desideriisque terrenis versantur, à malignis spiritibus quasi terrena conculcantur. Sed ignem dominus in terram mittit, cũ afflatu spiritussancti corda carnalium hominum ad amorem Dei & proximi accendit.

Ecce quare appellatur omnipotens deus ignis, videlicet quia rubiginem peccatorum consumit, & corda hominum ad charitatem accendit. Sed potest adhuc quæri quare assimuletur igni. Ad hoc verò respondendū est, quia sicut ignis latet in silicibus & petris, ita omnipotens deus in creatura sua manet: sed tamen non videtur. *Charitas fraternitatis maneat in vobis.* Quod est dicere: Ita diligite omnes, sicut vosmetipsos, recogitantes vos habere vnum deum patrem omnipotētem, & vnam matrem ecclesiam, siue ex vno patre Adam, & vna matre Eua progenitos esse, *& hospitalitatem nolite obliuisci.* Non dixit, Hospitales estote, sed hospitalitatē nolite obliuiscī, Fuerant enim illi satis hospitalitatibus dediti antequam expoliati essent propriis facultatibus: sed postquam enudati sunt maxima parte propria substantia, erant iterum nimium tenaces. Quapropter hortatur eos Apostolus, vt secundum possibilitatis modum hospitalitatis officium adimplerent, dicens eis, Hospitalitatem nolite obliuioni tradere pristinam, Hospitalitas autem hilari mente & animo læto est agenda, iuxta quod Beatus Petrus dicit, Hospitales inuicem sine murmuratione. Et alibi: Hilarem datorem diligit deus. Sequitur. *Per hanc enim placuerunt quidam deo, angelu hospitio receptis.* vt Abraham qui meruit promissionē de filio accipere, & loth qui liberatus est de excidio Sodomorum. vnde ipse iudex omnium dicturus est in die examinis: Quandiu fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis *Mementote vinctorum tāquam simul vincti.* hoc est, sicut optaretis vobis subueniri, vestrīq; meminisse si essetis vincti in carcere, ita mementote illorum qui pro fide Christi vinculati tenentur, videlicet tanquam & vos simulsitis vincti cum illis *& laborantium.* sudaudis mementote *tanquam & ipsi in corpore* sitis *morantes.* quod est dicere: Quia in corpore adhuc estis morantes, per quod experimento cognoscitis quid necesse est laborantibus, mementote illorum qui laborant in doctrina & operatione sancta, subministrando victum & vestitimentum: sicut velletis vestri meminisse, si taliter laboraretis. Per hoc enim quia in corpore mortali manetis, sicut & illi, experimento probatis quia militia est vita hominis super terram: & homo ad laborem nascitur, sicut auis ad volatum. *Honorabile connubium* subaudis, sit in vobis, sicut

cut placet deo. *& thorus immaculatus* Connubium dicitur à connubendo. Erant quidam tunc temporis qui condemnabant nuptias, dicentes immundum esse coniugale connubium, nec esse mundum posse à lecto coniugis surgentem. Vnde B. Apostolus legitimum connubium quod causa amoris filiorum sit, non causa libidinis explendæ, non solum concedit, sed etiam dicit Deo illud placere. Honorabile enim connubium est, amore filiorum legitimè vxorem ducere, temporibúsque cæteris ab ea abstinere: nec plures vxores habere, quoniam in initio (vt scriptura dicit) creauit deus hominem ad imaginem suā, ad imaginē dei creauit illum: masculum & fœminam creauit eos: dixitque eis, Crescite & multiplicamini. In sequentibus quoque dicitur quòd futuri essent duo in carne vna. Huiusmodi connubij thorus immaculat⁹ est, hoc est, legitimus cōcubitus absq; fornicationis causa, & immaculatus lectus: immaculati & illi inde surgentes, hoc est, maculam peccati inde non trahentes. Vnde Beatus Matthæus Apostolus dicit in quodā loco, quia legitimum coniugium & thorus immaculatus, sordes habent quodammodo in commixtione seminis, sed peccati maculam non habens. Melius est enim vxorem legitimam ducere, quàm cum meretriculis fornicari, aut etiā alienorum vxores violare. Si verò non fuerit legitimum connubium, neque amore filiorum, sed causa libidinis explendæ, pluréſque fuerint vxores, iam non est honorabile connubium, neque thorus immaculatus *fornicatores enim & adulteros iudicabit deus* Fornicari, est quoquo modo polui, libidinémque explere. Adulterare vero est alterius thorum violare. Vnde adulter, quasi alterius thorum violans. Sed nunquid omnipotens deus solummodo fornicatores & adulteros iudicabit, hoc est, damnabit, prætermissis homicidis, sacrilegis, furibus, aliísque diuersis criminibus inuolutis? Minime. Quare ergo Apostolus specialiter fornicatores & adulteros iudicandos fore dixit? Nimirum quia de homicidis, sacrilegis, latronibus, parricidis, atque aliis peccatorum pondere grauatis, nulla hæsitatio est quin sint dānandi: de fornicatoribus verò & adulteris erant tunc tēporis qui dubitabant, dicentes ad hæc factos masculos & fœminas à deo, vt simul coeant, ideóque non esse peccatū cum qualibet muliere concumbere. quod omnino longè à

Gene. 1.

veritate est. Vnde apostolus, cum dixisset honorabile connubium & torum immaculatum placere deo, mox subintulit, quia fornicatores & adulteros iudicabit deus, ostendens iuste iudicari fornicatores & adulteros, Si enim connubium concessum est, iuste fornicatores supplicijs afficiuntur, iuste puniuntur adulteri, *Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus.* Mos est honestas vitæ & bene viuendi. Non dixit, Nolite possidere diuitias, sed sint mores, id est, vita & conuersatio vestra sine auaritia. Auarus dicitur auidus auri, videlicet quia tenax est in largiendo, & cupidus in accipiendo: & qui manum habet collectam ad dandum, & extentam ad accipiendum, De quo quidam sapiens admonuit dicens: Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. Fortassis postquam expoliati fuerant propria facultate à non credentibus, cupiebant sub retentu eleemosynæ iterū congregare diuitias: idcóque admonuit Apostolus vt essent mores illorum sine auaritia, contenti tantum præsentibus necessariis, non præcogitantes de futuro, iuxta quod ipse alibi hortatus fuerat dicens, Habentes victum & vestitum, his contenti simus, & ne forte dicerent, Quid facturi erimus si necessaria nobis contigerit deesse suffragia? protinus consolationem addidit, adhibens testimonium de libro Iesu Naue. *Ipse enim* deus omnipotens, *dixit, Non te deseram, neque derelinquam* Post mortem Moysi dixit dominus Iosue, Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum Confortare, & esto robustus: non te deseram, neque derelinquam. Quod exemplum vt pertinet ad Iosue, ita & ad omnem electum qui spem suam in deo habet positam. Nulla enim ratione mentitur, si in illo spem nostram ponimus. *ita* subaudis est ille nobiscum, *vt confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor est, non timebo quid faciat mihi homo.* Hominis nomine intelligitur hic non solum carnalis quilibet aduersarius, sed etiam hostis antiquus, qui homo appellatur, ab officio suo vocabulum sumens, eò quòd hominem decipiat, sicut & Christus leo appellatur propter fortitudinem, vnde propheta dicit, Eripe me domine ab homine malo, id est, à diabolo. Oportet ergo nos in omnibus tribulationibus seu tentationibus hunc versiculum Psalmographi seu Apostoli exclamare, dicentes: Dominus mihi adiutor est, non timebo

mebo quid faciat mihi homo. i. quilibet hostis aut aduersarius. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum dei quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* Omnes quidem prælati & doctores inquantum bona prædicant, & bona operantur, audiendi sunt & imitandi: inquantum verò aut non recte prædicant, aut male viuunt, neq; audiendi sunt, neque imitandi: verbi gratia, Si rectè prædicat, & bene viuit, audiendus est & imitandus: Si verò neutrum agit, non est audiendus neque imitandus At verò si recte prædicat, licet malè viuat: non est contemnendus vt non audiatur. Vnde dominus dixit: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite. Quia ergo isti bonos præpositos habuerant, sanctos videlicet apostolos, eorúnq; successores, hortatur eos vt memores sint istorū, eorúnque cōuersationis cōsiderantes exitum, hoc est, perseuerātiam vsq; in finē in fide recta, bonísque operibus imitarentur fidē, hoc est firmitatem bonorum. Quia ergo finem bonum habuit eorū conuersatio, idcirco imitamini fidem illorum. Fidem autem firmitatem seu perseuerantiā illorū dicit *Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula* Ad superiora pertinent ista, vbi testatus est dixisse deum, Non te deserā, neq; derelinquam. Poterant illi respondere hoc non pertinere ad dei promissum, quia non est nobis promissum, sed potius Iosue promisit hoc deus. ad hæc Apostolus: Nolite deficere, quoniā sicut pertinet ad Iosue ista promissio, ita pertinet ad vos: quoniā Iesus Christus qui vnius essentiæ existit cū patre, tunc tēporis ipse fuit, ipse est, ipse erit & in secula. Nolite putare quasi qui tunc temporis fuit, nō sit & modo. Idē enim qui fuit heri, idem erit & in seculū. Heri autē præteritum significat tēpus: hodie, præsens: secula verò futurum sine termino: tanquam diceret, Ante secula & in secula & post secula semper manebit, sicut de illo propheta dicit: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci,* Doctrinæ varia & peregrinæ, noua dogmata sunt hæreticorum, quibus abducuntur & seperantur simpliciores à veritate fidei, superstitiones, quoque Iudæorum, qui docent abstinendum à quibusdam cibis quos lex prohibet, quosdam vero concedunt. Quia ergo inter illos erant quidam carnaliter sapientes, qui escarum obseruatione & differentia se-

ducebãt quosdam,abstrahentes eos à doctrina euangelica quæ dixit omnia esse munda mundis,alloquitur illos Apostolus,ne illorum peregrina doctrina abducerentur. Quod & apertius manifestat subiungens. *Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis,quæ non profuerunt ambulantibus in eis* Optimum (inquit) & perfectum est,stabilire & consolidare intellectum animi in gratia noui testamenti,vt habeatis fidem perfectam,credentes omnia munda mundis:non stabilire in differentiis & obseruationibus escarum,dicentes quosdam cibos mundos,quosdam immundos,qui nihil profuerunt ambulãtibus in illis obseruationibus.Post domini aduentum omnia quæ in figura contingebant, cessauerunt:& maxime postquam dominus dixit.Non quod intrat in os,coinquinat hominẽ:sed omnia sunt munda,mũdis.Vidit siquidem deus cuncta quæ fecit, erántque valde bona.Melius est enim fidem retinere cum perfecto opere, quàm de differentia ciborum disputare,reiiciẽdo illa quæ deus munda creauit.Vna nanque perfecta obseruãtia est, abstinere à peccatis:nihil enim prodest abstinere à cibis,si non abstineatur à peccatis.Nam licet generent illi studiũ circa huiusmodi obseruationes,nihil eis profuit , si fidẽ nõ habuerunt.In hoc enim quòd legem custodiebant,profuit illis:in hoc quod escis non vescebantur,nihil vtilitatis perceperunt. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruunt.* Legalem consuetudinem ad mysterium spiritualémque sensum refert Apostolus, Legis siquidem præceptum erat , vt decima die septimi mensis à festiuitate paschali,festiuitate videlicet propinationis , acciperent vitulum & hircum , & immolarent eos extra castra:sanguinem autem illorum animalium ferret pontifex in Sancta Sãctorum,oraturus solus pro populo:carnes verò illorum portarentur extra castra,ibique conremarentur,nec esset licitum alicui tabernaculo deseruienti ex illis comedere.Spiritualiter autem illa duo animalia,videlicet vitulus & hircus,figuram tenent Domini Saluatoris , Ipse est enim vitulus,quem pius pater in regressione filij prodigi immolauit:ipse & hircus , qui pro peccatoribus oblatus est.Pontifex quoque ille,qui cũ sanguine illorum animaliũ intrabat in Sancta Sanctorum,oraturus pro populo , typũ gerebat istius veri pontificis , qui cum sanguine passionis suæ

suæ in interiora patriæ cælestis intrauit,oraturus pro fidelibus suis.Immolabantur illa animalia intra castra,sed carnes illorum extra castra comburebantur : quia & redemptor noster in Hierusalẽ quasi intra castra immolatus est, vocibus & iudicio filiorum Israel , sed carnes illius extra Hierusalem in cruce combustæ sunt igne passionis. Quãdo enim adiudicatus est morti,clamãtibus Iudæis,Reus est mortis:crucifige eum,quodammodo (quãtum ad illos pertinet)immolatus est. Quod Marcus euangelista volens nobis ostendere ita esse,dicit: Erat autem hora tertia,& crucifixerunt eum:linguis videlicet suis .Nam hora sexta in cruce est leuatus extra Hierusalem: ibiq; corpus eius cõbustũ est igne passionis. Altare autem illud Iudæorum quod fiebat extra castra.Vbi consumebantur carnes , altare ecclesiæ est: vbi quotidie corpus consecratur Christi. Habemus ergo altare ecclesiæ , vbi consecratur corpus dominicum, de quo non habent potestatem edere,qui tabernaculo corporis sui deseruiunt fornicatores videlicet adulteri, ebriosi,immundi,& hi qui seminant inter fratres discordias, omnésque qui voluptatibus & desideriis carnis suæ deseruiunt.Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem,horum corpora cremantur extra castra.* Hæc quomodo ad deum pertineant satis (vt reor) dictum habetur.Sed quia ipse caput omnium electorũ per carnes illas animalium possunt intelligi omnes electi qui extra castra,hoc est,extra conuersationem secularium carnalium quæ hominum mortificando membra sua cum vitiis & concupiscentiis, siue martyres pro Christi nomine sustinent omnia aduersa , & feruore sancti spiritus accensi consumunt in se quicquid fluidum atque libidinosum inuenitur ardéntque pariter amore dilectionis dei & proximi.Dupliciter enim consumuntur extra castra, siue dum mortificant membra sua cum vitiis & concupiscentiis , vt diximus,siue dum ad exemplum dominicæ passionis martyrij palmam subeunt, iuxta quod beatus Petrus hortatur dicens:Christus passus est pro nobis relinquens vobis exẽplum vt sequamini vestigia eius , Infertur sanguis illorum intra sancta per pontificem , dum illorum vita laudabilis Deo patri præsentatur per verum sacerdotem Iesum qui

est aduocatus noster interpellans pro nobis. Et congrue per sanguinē iuxta accipitur, quia vita hominis in sanguine est. Siue sanguinis illorum infertur in sancta, dum illorum animæ cum triumpho passionis ad cælestia deferuntur. Bene quoque in altari consumuntur quia omnia ista sancti martyres in fide adimpient, qua se credūt à deo remunerari. De his quæ in hoc altari consecrantur, non habent potestatem edere quæ tabernaculo deseruiunt, quoniam ad ea quæ sancti martyres in fide perfecta sustinēdo adimplent, non audēt accedere hi qui carnaliter viuunt, & amore huius seculi tenētur astricti. *Propter quod* subaudis mysteriū adimplendū *& Iesus vt sanctificaret per sanguinem suum populū in se credentem extra portam passus est.* Sicut liber Euangelium testatur, Dominus extra portam Hierusalem passus est, in loco decollatorum, qui vocabatur Caluarius. Vt ergo dominus vmbram & figuram in veritatem conuerteret, quæ de se suisque membris præfigurabatur, suóq; sanguine redimeret, atque mundaret populum in se credētem, foris Hierusalem passus est. *Exeamus igitur ad deum extra castra, improperium eius portantes.* Quia ergo dominus pro nobis passus est, hortatur Apostolus vt imitemur illum, dicens: Igitur, quia ipse extra castra passus est, vt nos sanctificaret: egrediamur ad eum extra conuersationem carnalium hominum, mortificantes membra nostra cum vitiis & concupiscētiis, & imitemur eius passionem, martyrium pro illo sustinendo. Hoc est enim improperium illius portare, eadem quæ ille sustinuit pati. Crux enim illius improperium eius videtur esse paganis: nobis autem est sanctificatio & redemptio. Exeamus igitur ad eum extra castra, despicientes præsentia, amantes futura, contemnentes visibilia, desiderantes & amantes æterna. Sequitur: *Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.*

Mat.13.

Certum est quia in hoc mundo non possumus habere habitaculum æternum, neque ciuitatem semper manentem: quoniam mundus transibit, & concupiscentia eius. Quapropter debemus tendere summis nisibus ad ciuitatem cælestem Hierusalem, quæ habitatorem habet deum, æternaliter permansurum. *Per ipsum igitur offerimus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Per ipsum, id est, Christum, debemus offerre deo patri

patri sacrificium laudis, & gratiarum actiones, pro omnibus bonis ab illo perceptis. Ideireo autem gratiarū actiones fructum labiorum vocat, quia eædem gratiarū actiones fructum præmiorum merentur. Vnde Apostolus dicit, *Roma. 10.* Quia ore fit confessio ad salutem. Illi ergo pecudes offerebant, nos autem nihil horum offerimus, sed solam gratiarū actionē deo offerre debemus. De hoc sacrificio dicit Psal. *Psal.49.* Immolo deo sacrificium laudis. *Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci. Talibus enim hostiis promeretur deus.* Beneficus dicitur homo largus, & eleemosynis deditus. Inde Beneficentia dicitur largitas eleemosynarū. Beneficentiæ, inquit, & communionis nolite obliuisci, id est largitatis eleemosynarum, & communionis (qua communicare & participare debetis aliis ex facultatibus vestris) nolite obliuisci. Si alij vestras rapuere substantias, tamen ex eis quas habetis, eleemosynas dare nolite obliuisci, sicut propheta dicit, Beatus qui inteiligit super egenum & pauperem. Talibus enim hostiis & muneribus eleemosynarū promeretur deus adipisci. Vnde dicit propheta, Misericordiam volo & non sacrificium. Non est considerandus pauper qui videtur accipere, sed potius qui iussit dare. Eleemosyna enim quę pauperi largitur in terra, à deo recipitur in cælo. Et noli attendere quòd hoc tibi sit redditurus quod accepit. Tu enim terrā dedisti, ille cælum reddet. Temporalia dedisti, æterna mercaberis. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* Obediēdū est omnibus prælatis & prædicatoribus, inquātū doctrina & mores illorū sanctæ & piæ existunt. Si autem à via rectitudinis deuiauerint, sicut scribæ & pharisæi, nō faciamus qualia agunt, sed qualia dicūt, nisi forte in fide cōtrarij extiterint. Nam si in fide cōtrarij extiterint, non solùm vitandi sunt, sed etiā fugiendi. At si bene docuerint, discrepauerint autē moribus à Christo, audiamus eū dicētem de talibus in persona scribarū & pharisæorum, Super cathedram Moysi sederunt scribę & pharisæi: Omnia ergo quæcūq; dixerint vobis, seruate & facite: secundū verò opera illorum nolite facere. Dicunt enim *Psal. 140. Osee. 6.* *Mat.23.* & nō faciunt. *Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Omnibus quidem prælatis & præpositis obediendum est, nisi fortè à veritate fidei ab errauerint: præcipuè tamen

illis qui peruigilant, hoc est, si sine intermissione vigilant in prædicatione, in bono exẽplo, & cura exteriorũ soliciti existentes, qualiter pro eis rationem reddant. Ideo subditi debemus esse prælatis nostris, qui soliciti sunt de nobis, vt póte pro nobis rationẽ reddituri, vt cũ gaudio hoc faciãt, & nõ gemẽtes, id est, vt cum lætitia & hilaritate curã nostri agant, & non cum murmure & perturbatione animi: quoniam plerunq; mala cõuersatio & inobedientia subiectorum ad amaritudinem prouocant animos prælatorũ, à deo vt segniores atque tristiores circa profectum illorum existant, siue obedire debemus illis, vt in die iudicij cum gaudio pro nobis rationem reddant, securi de præmio, & non gementes, anxij de nostra damnatione. *Hoc enim non expedit vobis*, subaudis, vt illi gemendo curam vestri agant, vel pro vobis rationem cum tristitia reddant. *Orate pro nobis.* Hic superbiam elationémq; mentis quorundam pontificum destruit, qui typo superbiæ inflati, dedignantur deprecari suos subiectos, quatenus pro eis orationes fundãt. Si ergo ille qui ad hoc vocatus est à domino, vt doctor & magister omniũ gentium fieret; nõ est dedignatus petere, quatenus pro illo subiecti eius, quos domino acquisierat orarent, quãto magis indigẽt pleni inuidia, rapina, aliisq; vitiis respersi, orationibus subiectorũ subueniri? Sequitur: *Cõfidimus enim quia bonã conscientiam habemus, in omnibus bene volentes conuersari.* Culpabatur Apostolus à Iudæis, quòd non diligeret gentẽ suam, sicut gentiles, ideóque blandè ac deprecatoriè alloquitur illos, ostendens se bonam voluntatem habere in omnibus hominibus. hoc est, & in Iudæis & in gentilibus. Confidimus, inquit, ego ac socij mei bonã voluntatem nos habere in omnibus hominibus, bene volentes conuersari tã Iudæos quàm gentiles. Nolite aliquas accusationes aut detractationes proferre, quoniã cõscientia nostra in nullo nos reprehendit, neq; damnat quòd bonã voluntatẽ non habeamus erga vos. *Amplius autem deprecor vos hoc facere, quò celerius restituar vobis* voluntatis quidẽ meæ est venire ad vos, ideóq; attentè deprecor vos pro me orare, vt citò desiderium meum impleatur veniẽdi ad vos. Et notandum quòd primò postulabat ab eis orationis suffragiũ, ac deinde non simpliciter, sed tota intentione, & omni prorsus studio piam orationem pro eis ad dominum fundit,

dit, inquiens: *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnũ ouium in sanguine testamenti æterni, dominũ nostrum Iesum Christum.* Deus pacis isto in loco intelligitur de⁹ pater, à quo vera pax procedit, qui est amator pacis, & qui nos pacificauit per omnia sibi per sanguinem filij sui, ipse eduxit pastorem magnũ ouium de mortuis. i. de sepulchro, qui locus propriè mortuorum est, suscitãs illũ tertia die, iuxta quod ipse filius appropinquãs passioni orabat, dicens: Pater clarifica filiũ tuum. i. suscita filiũ tuum. Et quid dicit eidẽ Deus pater in Psal. Exurge gloria mea, exurge psalteriũ. i. chorus omnium virtutũ. Cui filius: Exurgã diluculo. Deus ergo pater eduxit filium suum de mortuis, hoc est de inferno vel de sepulchro, iuxta quod Psal. prædixerat: Nõ dabis sanctum tuum videre corruptionẽ. Et vt ita dicamus, ipse filius suscitauit semetipsum per potẽtiã verbi. Nã sicut tota trinitas creauit illũ hominẽ in vtero virginali, ita tota trinitas eduxit illũ à mortuis, quoniã indiuisibiliter operãtur illæ tres personæ. Magnus autem pastor est dominus Iesus, qui ad pascua vitæ, & amœna prata virentis paradisi suas oues perducit. Ipse est pastor, qui dicit in euangelio: Ego sum pastor bonus. Oues eius sunt electi, de quibus ipse dicit, Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis. *aptet vos*. i. præparet vos, perfectósque reddat *in omni bono, vt faciatis voluntatem eius, faciens in vobis quod placeat coram se, per Iesum Christum, cui est gloria in secula seculorum Amen.* Deus, inquit, pacis aptet vos omni bono, hoc est faciat vos aptos in fide recta in doctrina, in operatione perfecta, vt possitis eius voluntatẽ perficere, faciẽs ipse in vobis quod placeat illi. A vobis enim nihil boni habere potestis, nisi illo præueniente & subsequẽte. iuxta quod Psal. exorat, dicẽs: Misericordia eius præueniet me, & misericordia eius subsequetur me. Apost. quoq; aliàs dicit, Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere. hæc autẽ omnia per Iesum Christũ, in oratione perficit, quoniã per illũ facti atq; redempti sumus, & per illum quicquid boni habem⁹, nobis subministratur. Cui est gloria, id est deo patri & Iesu Christo in omnia futura secula amen. Amen autem cõfirmatio est pro eo quod est fiat, vel ita est verũ, vt dixit. *Rogo autẽ vos fratres, vt sufferatis verbũ solatij. Etenim perpaucis scripsi vobis.* Nota quòd totam epi-

ris lã vnum verbũ appellauit, nec dixit, Rogo vos vt suffe-
ratis patienter verbũ admonitionis, quia pusillanimes erãt,
sed verbũ solatij, hoc est verbum consolationis verbúmque
adhortationis. Non enim scripsi vobis multa sed pauca, ad
comparationem illorũ quæ vobis dicerẽ, si præsens essem,
timens vobis oneri esse. *cognoscite fratrem nostrum Timotheũ
dimissum.* Timotheus coepiscopus erat B. Apost. & adiutor
in prædicatione, quẽ dicit dimissum à se & ad prædicatio-
nem directũ, siue Athenis, vbi illũ dimiserat fortassis Apo.
Potest etiã intelligi quòd in carcere retentus, tũc fuerit di
missus. *cum quo*, id est cum Timotheo, *si celerius venerit ad
nos, videbo vos* Mansuetiores eos vult reddere, dicens se pa-
ratũ ad eos venire. *Salutate omnes præpositos vestros, & om-
nes sanctos.* Sicut generaliter omnibus Hebræis hanc epi-
stolam scripserat, ita generaliter omnes, salute vigere op-
tabat, nõ solùm prælatos, sed etiam omnes subiectos, quos
sanctos vocat, quia sancti fuerant in baptismate, simúlque
blanditur eis, dũ honorabiliter eos salutat, quatenus ani-
maduerterent se diligi ab illo non ad oculum, sed ex toto
mentis affectu. *Salutant vos de Italia fratres.* Apertissimè
his verbis nobis innuit, quia Romæ hanc epistolã scripse-
rit, quæ in regione Italica sita est. & sicut doctoribus vide-
tur, in carcere erat tunc temporis. *Gratia cum omnibus vo-
bis Amen.* Gratia dicitur gratis data. Gratiæ autem nomi-
ne debemus hic accipere fidem perfectam cum executione
bonorum operum, remissionem quoque peccatorum, quam
percipiunt electi tempore baptismatis, donum etiã spiri-
tussancti, quod datur tam in baptismate quàm per impo-
sitionem manus episcoporum, quæ omnia gratis à deo
dantur, Orat ergo Apostolus vt ista omnia illi quibus scri-
bebat, possiderent. Oremus & nos dominum pia supplica-
tione, quatenus per suffragiũ egregij sui Apostoli, horum
munerum nos possessores in præsenti efficiat, fidémq; quã
docuit, integerrimè custodientes, bonisq; operibus exornã
tes, ad cõtemplationẽ supernæ visionis, Christo duce, per-
tingere mereamur, Amen.

*Excudebat Guilielmus Tiboutius, in vico vulgò nuncupato
Alexandri Angli, sub insigni Pauonis.* 1550.

FINIS.

s caminos y trabajos he passa
niendo esto en que me veo. O pa
erno no me has querido oyr, ro
ote que me llevasses con mi hi
as me le quitado tan abiltada
nradamente. O Gabriel la lle
gracia y bendita sobre todas, y
o bendito, vee donde ha para
lo, y ave piedad. O angeles y
y lumbreras vestidos del pa
yo. O tierra y mar y todas las
ras, como no bramays por
e tan injusta de tan innocente
o: o muerte tu sola serias mi so
intiesses, porq̃ mi anima viesse
ni hijo. Oyr a la madre y ver al
la cruz, tales dos lastimas nũ
eron. y sobre todas las otras
es, la santa Magdalena por

aereos han hecho llanto, y muestran
mucha tristeza. Pues la yglesia catho
lica por mostrar que ayuda al llan
to de la virgen en este tiempo, y mas
en este dia se cubre de luto en todas
las señales y cerimonias que haze.
El Centurion y los que estauan con
el, quando vieron q̃ el señor espiraua
clamando con tã gran boz, siendo tã
dessangrado y debilitado, y viendo
las señales marauillosas que acae-
cian en aquella muerte glorificando
a Dios dezian. Verdaderamẽte este
hombre justo, hijo era de Dios. y se-
gun el euãgelio, muchos de los que
alli auian venido y auian sido en la
muerte del señor, conocian su yerro,
y diziẽdo lo mesmo, yuanse arrepẽti-
dos hiriẽdo sus pechos